









SPECULUM S. AUGUSTINI

VITÆ APOSTOLICÆ

REPRÆSENTATIVUM,

SEU

REGULA

Ejusdem S. AUGUSTINI, Episcopi Hipponensis, Ecclesiæ Doctoris celeberrimi,

EXPOSITIONIBUS,


ET

MEDITATIONIBUS ILLUSTRATA,

Eremitarum Camaldulensium Montis Argentini prope Cracoviam


Per M. JACOBUM PAULUM RADLINSKI, Polonum, Sacræ Theologiæ Doctorem, Ordinis Canonicorum Regularium Custodum Sacrosancti Hierosolymitani SEPULCHRI CHRISTI Domini, Præpositum GENERALEM Infulatum.

Anno Domini 1759.



CRACOVIÆ
Typis Typographiæ Seminarii Episcopalis Academici.

IN STEMMA
CELSISSIMÆ DOMUS
ŁUBIENIANÆ.



Quod CAPUT invictum cæpit rexisse LEONEM,
Quo prior ex meritis Archi-Cathedra nitet:
Hoc modo Gnesnensis decoravit LILIA Sedis.
Martyris Alberti suscipit atq; ROSAS.
LILIA conveniunt CAPITI candore nitenti,
Convenit & GLADIO Purpura sancta ROSÆ.
Et sic Dilectus Sponsus Gnesnensis Ovilis,
Candidus inter oves, & rubicundus ovat.

CELSISSIMO PRINCIPI, EXCELLENTISSIMO, ILLUSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO DOMINO, D. VLADISLAO COMITI

à ŁUBNA

ŁUBIENSKI,

DEI, & Sanctæ Sedis Apostolicæ Gratiâ, ARCHI-EPISCOPO Gnesnensi, LEGATO NATO, PRIMATI & PRIMO PRINCIPI Regni Poloniæ, & Magni Ducatûs Lithvaniæ, Abbati Commendatario Tynecensi, Equiti Ordinis Aquilæ Albæ,

DOMINO, & PROTECTORI CLEMENTISSIMO.

D*Um in triumphali ad primam in Regno Poloniæ Archi-Cathedram Gnesnensem ingressu, Sapientissimo* Capiti Tuo *Speculum Augustini profero, statim coram eodem aperto* Capite, *mentem meam aperio, quòd Tibi Speculum istud, non ad*

observandum, sed ad protegendum subjicio, ARCHI-PRÆSUL Illustrissime, PRIMAS & PRINCEPS Celsissime. *Ad quid enim Tibi porrigendum Speculum Augustini? cùm Tu Ipse amplissimi Cleri, totius Regni, imo orbis universi Speculum clarissimum, resplendeas. Qui Tuum acutissimum* Caput, *Gladiô transfossum reverenter intuetur, hic ex illo colligit exemplar omnium virtutum, & heroicæ fortitudinis: simulq; observat vastitatem, & amplitudinem profundissimarum cogitationum Tuarum, ab illo dimanantium. Vastitatem* Tui Capitis, *& sublimium virtutum, probâsti in regimine tot Ecclesiarum, etiam Infulatarum, quibus gloriosissimè & exemplarissimè præfuisti: amplitudinem ejusdem* Capitis, *& scientiæ, exhibuisti in Libro Tuo, cui Titulus:* Orbis in omnibus partibus suis, Europa, Asia, Africa, & America, Geographicè, Chronologicè, & Historicè descriptus. *Alii scriptores tantùm per partes attigerunt orbem terrarum, & tamen non omnia sunt assecuti; Tu autem unô librô, orbem universum non tantùm attigisti, sed etiam plenissimè comprehendisti, simulq; demonstrâsti, quòd* Tuum Caput *toto orbe sit majus, cùm totum orbem intra se capere valeat. In eodem volumine Tuo totam Europam, Asiam, Africam, & Americam penetrâsti, regimen universale,*

sale,

ſale, & ſupremum S. Romanæ Eccleſiæ, & omnium Eccleſiarum, per totum orbem terrarum, S. Sedi Apoſtolicæ ſubjectarum, ad vivum exarâſti. In eodem pariter Volumine gubernacula Romani Imperii, Majeſtates Cæſarum, Sceptra Regum, Principum, & Ducum, revolutiones, caſus, mores, leges, divitias, theſauros, bella, victorias Romanorum, evidentiſſimè propoſuiſti. In tanta mole totius orbis, profundiſſimè adorâſti Auguſtiſſimam Domum Auſtriacam, Reges Galliæ, Hiſpaniæ, Syciliæ &c: Throno Sereniſſimi Auguſti III. *cognatiſſimos. Tandem antiquitatem* Piaſtorum, & Jagellonum Regum, *cum* Sereniſſimo Auguſto III, Rege Poloniæ, *ſanguine conjunctorum, ampliſſimè deſcripſiſti. O! quantum* Caput Tuum! *quod tot Majeſtates, Imperia, Regna, Provincias, Ducatus, Montes, Maria, Inſulas, ac novum orbem calamô, & ſcriptîs peragrare potuit.*

Hanc Tui Capitis, *tam in virtutibus, quàm in altiſſimis cogitationibus, & ſcientiis vaſtitatem, clariſſimè penetravit* Sereniſſimus Auguſtus III. Rex Poloniarum Invictiſſimus, *& ideò Te Archi-Epiſcopatu Leopolienſi decorandum cenſuit* : Clemens *autem XIII. Pontifex Maximus, ex ſpecula ſuarum Turrium, hoc ipſum diligentiſſimè advertens, benigniſſimè Annulô Piſcatoris conſignavit. Vix ergo*

Archi-

Archi-Cathedram Leopolienſem aſcendiſti, ſtatim primo intuitu Tuo, Clerum ampliſſimîs exemplîs illuſtrâſti, gregem univerſum virtutibûs ædificaſti, & ita glorioſiſſimè inſtruxiſti, ut primordia Tui regiminis fuerint conſummatio, & compendium vitæ Apoſtolicæ: idemq; Tibi erat veniſſe, vidiſſe, & viciſſe. Dimidium facti, qui bene cæpit habet; Tu, tam feliciter cæpiſti Archi-Præſuleos extendere faſces, ut, non tantùm dimidium regendi obtinueris, ſed totum ferè opus conſummaveris.

Ex ungue cognoſcitur Leo; ex Tuo Capite *cognovit Te Leo glorioſiſſimus, Eccleſiæ Archi-Epiſcopalis Leopolienſis, clarèq; intellexit, quòd iſtud* Caput *Tuum, non fruſtra ſanguinem fundat, ſed pro ovibus: non fruſtra Gladium portet, ſed pro Eccleſia defendenda: non fruſtra coronetur, ſed pro ampliſſimis erga Eccleſiam, &* Sereniſſimum Regem Auguſtum III. *& Rempublicam meritis. Sed quantùm exultavit Leo Cathedræ Leopolienſis, dum Te ſuum* Archi-Epiſcopum *ſalutavit, ſic modo fortiſſimè indolet, dum Te valedicentem dimittere cogitur. Sicut enim difficillimum, & aſperrimum eſt, corpus noſtrum, & membra ſeparari ab anima, & hæc ſeparatio inducit mortem: ita moleſtiſſimum Leoni, & Archi-Cathedræ Leopolienſi, à Tuo* Capite *ſeparari, quod fuit*

anima

anima ipſius: *& hæc ſeparatio ferè morti æquiparatur.* *Et certè, ſi modo* ARCHI-PRÆSUL Illuſtriſſime *corda Archi-Cathedræ Leopolienſis diligenter introſpicias, triſtiſſima, & planè mortua, ex Tua ſeparatione obſervabis.* *In hoc tantùm aliquod levamen doloris habent, quòd profundiſsimum* Caput Tuum *in prima Majeſtate Regni, & Sede Primatiali collocatum adorabunt.* *Credimus tamen, quòd ſicut ſufficies regere Liliatam Archi-Cathedram Gneſnenſem, ita curabis prodeſſe Leoninæ Archi-Cathedræ Leopolienſi, charitate, pietate, & conſiliô, & nunquam deſeres Sponſam, cui Te primò deſponsâſti.* *Neq; ſine arcano, tam citò Sedi Leopolienſi renunciâſti, nempe, ut in illa majus Tui deſiderium accenderes, & Tu ipſe eam magis amares, & æſtimares*: *magis enim illa amantur, & æſtimantur, quæ brevi tempore poſsidentur.* *Decenniô parit elephas, ſed elephantem, Tu non per decennium, ſed per plurimos annos parturiebas, & merebaris ſubſellia Regni, ſed poſtquam venit tempus coronandi Tua merita, tunc jam non minoribûs curulibûs, ſed ſtatim Archi-Epiſcopatu coronatus es*: *illoq; vix ſuſceptô, mox* ARCHI-EPISCOPUS Gneſnenſis, PRIMAS & Primus PRINCEPS Regni, *tanquam Sol refulſiſti.* *Sic plerumq; diſponunt Numina*: *retardant præſtare minora ſubſellia, ut majora, vel maxima conferant;*

Renovavit in Te Sereniſſimus Auguſtus III. Rex Poloniæ, *promotionem Nicolai Trąmba Archi-Epiſcopi Gneſenſis, qui in uno anno duabûs Cathedrîs Metropolitanîs ornatus apparuit, applaudente tantæ promotioni Pöéta.*

(a) Metropoles uno, ille duas accepit in anno,
Dignus fortunæ proſperitate ſuæ:

Neq; hic concluſit fortuna terminum, nam dum idem Nicolaus Trąmba *ad Concilium, Conſtantiam* Legatus *mitteretur, tunc pro ſummo Pontificatu, vota Collegii Cardinalitii promeruit, canente eodem Pöéta:*

Hunc fieri Papam voluit Conſtantia: rari,
Munifici, placidi mota favore Viri.

Nolumus PRINCEPS Celſiſſime, *Tuam offendere modeſtiam, ſed tamen poſt duos Archi-Epiſcopatus Tibi oblatos, etiam pares Regibus Eminentias, vel* Petri *Claves, Eminentiis Regum majores, Tibi precari poſſumus. Sed hîs cælo relictîs, jure merito Tibi debebatur Archi-Epiſcopatus Gneſnenſis: ubi enim creviſti, adoleviſti, maturuiſti, ubi Decani Cathedralis munus egiſti, ubi tot labores ſuſtinuiſti, ubi merita & amplisſimæ Fundationes* Celſiſſimi MATHIÆ ŁUBIENSKI, *Avi & Anteceſſoris Tui, in exornata & planè reædificata Archi-Cathedra Gneſnenſi, hactenus vivunt,*

(a) Janitius.

vivunt, & præsentantur: ibi horum laborum, & meritorum Coronam, Purpuram, & Tyaram recipere debuisti. Quamprimum igitur istius Archi-Diæcesis conscendis Thronum, tamprimum videtur omnibus, acsi Celsissimus MATHIAS ŁUBIENSKI *reviviscere, & totam Metropolim pietate Pontificia, & Majestate irradiaret. Tanta enim est in Archi-Diæcesi Gnesnensi memoria Tui Avi meritissimi, ut Eum etiam hodie optaret suum præesse* Archi-Præsulem, *si Te, ejus Ideam actualiter non haberet. Contentissimi ergo omnes* Tuo Archi-Præsulatu: *pro memorando autem Avo Tuo ad cælos suspirant, ut quàm citissimè inter Sanctos referatur, qui Gnesnæ, communiter* Sanctus Episcopus *nominatur:* (b) *& utinam à S. Sede Apostolica pro Sancto decernatur. Præterea sub duobus Serenissimis Regibus Poloniæ,* Augusto II. & Augusto III. *Throno constantissimè & fidelissimè adstitisti, & oracula consiliorum à* Capite Tuo *tamdiu porrexisti: proinde nihil est justius, quàm quòd geminis Archi-Episcopatibus successivè insignitus fueris. Et certè nihil jucundius poterat evenire Archi-Cathedræ Gnesnensis Prælatis, & Purpuratis Senatoribus, quàm dum Te olim sui Peraugusti Capituli Membrum & Fratrem meritissimum, nunc* Archi-Episcopum & Caput *venerari grantulantur,*

(b) Vita MATHIÆ cap. 28.

tur. *Nunquam poterant meliùs reflorere gentilitia Lilia Reverendissimi Capituli Gnesnensis, quàm dum sudoribus* Tui Capitis *rigabuntur: nunquam poterant feliciùs Purpuris admoveri, quàm dum heroico sanguine* Tui Capitis *aspergentur: nunquàm poterant tutiùs & gloriosiùs defendi, quàm* Łubienianô Gladiô. *Exultant ergo modo hæc candidissima Lilia, quoniam à Tuo candore Pastorali, majorem candorem sunt assumptura, & ver continuum habitura. O! quàm gratissimos bonæ famæ & virtutum odores, præfata Nobilissimorum Liliorum folia reddent, quando à Sacro* Capite Łubieniano *regentur! non facilè aut nunquam marcescent, quia* Caput *sanis consiliis plenissimum, pro fundamento & planta habent. Mutua gratitudine quòd* Caput *sangvine madebat pro Patria, nunc etiam Liliis reflorescet, & coronabitur.* (c) *Exultat venerandum Corpus* MATHIÆ ŁUBIENSKI, Avi Tui *æstimatissimi, plùs quàm à centum annis, in suo Tumulo incorruptum permanens, expectans, quòd Te ad Gnesnensem Archi-Cathedram elevato, & illud elevabitur.* (d) *Exemplô Peraugusti Capituli Gnesnensis, exultant omnes Ecclesiæ Cathedrales, Collegiatæ, Parochiales, & plurima Monasteria, à* MATHIA *Avo Tuo, & Celsissima Domo* Łubieniana *fundata, vel reparata: nam certò con-*

(c) Vita Mathiæ Łubieński cap. 29. (d) Vita ejusdem cap. 18.

fidunt

fidunt, quòd si aliquam ruinam vel decessum patiuntur, à Te fulcientur, erigentur, & ornabuntur! Exultat pariter Tui sanguinis nidus Łubna, *ab Aquilis Gnesnensibus non adeò remota, & tota amplissima Domus, quod Tuos Archi-Præsuleos fasces, frequentiùs venerari, adorare, & intueri poterit! Quemadmodum Mater per longam distantiam remota à Filio, nimium gaudet, dum illum sibi præsentem conspicit: ita Mater Domus Tuæ* Łubna, *summopere lætatur, dum Te partibus Russiæ redeuntem, planè domesticum habebit. Exultat item mons* Principis, *quòd discrimina contra eum occurrentia, Sapientiâ & Prudentiâ* Tui Capitis *temperabuntur. Exultat tandem olim Regum Sedes, Civitas Gnesnensis, suamq; Aquilam alis expensis eminentē, Tuo substernit* Capiti.

Sicut autem exultant Catholicæ Ecclesiæ, quòd Te Archi-Præsule *reflorebunt: ita tristantur hæreses, timentq; Tuum profundissimum* Caput, *ne ab illo, altissimis cogitationibus, & argumentis de veritate Fidei Catholicæ convincantur, & Gladium Tuum exhorrent, ne per illum à Tuo* Capite *resecentur. Si tamen Tuo Clementissimo* Capiti *se submittant, ab eodem Gladio tutamen habebunt. Sicut enim Tui Triumphalis* Capitis, *est ardentissima cogitatio, & desiderium Clerum reformare, totam Archi-Diæcesim*

 instru-

instruere, gregem amplissimum pascere, ita æquale est propositum, hæreticos convertere, inobedientes extirpare, discolos fulminare. Quot autem hæreticos jam ipsô factô, in aliis Ecclesiis per Te directis, extirpaveris, contentus es hôc solô, quòd id superos non lateat. Sic enim sapientissimè Tuas virtutes, & zelum convertendi occultare didicisti, ut nos Tui animi secreta assequi, & comprehendere non valeamus.

Cæterùm Contra-Talmudistæ recenter in partibus Metropolis Leopoliensis, & Diæcesis Camenecensis exorti, cognoverunt hanc pietatem Tuam, & ideò per publicum supplicem libellum porrexerunt Tibi preces suas, ut eos protegeres, eosq; ad Sanctum Baptisma admitteres. Nihil Tibi jucundiùs, gloriosiùs, & solenniùs fuerat, quàm tales audire supplicationes, quæ salutem animarum petunt, quare in instanti illis Pastoralem protectionem exhibuisti, & negotium examinandi demandâsti. O! quàm felicia Archi-Episcopatûs Leopol ensis, & Gnesnensis initia! in quibus Gens excæcata, & suis perfidiæ tenebris involuta, per Te lumen Fidei Catholicæ amplecti desiderat, & non tantùm Tuo Capiti *subesse optat, sed etiam universale Caput totius Ecclesiæ amplecti, agnoscere, & credere publicè concupiscit. Ex hoc heroico opere Tuo, immensus zelus Apostolicus in Te relucet, quòd licèt Metropo-*

tropo-

tropolim Leopolienſem deſeras, tamen Oves Tuas non deſeris, ſed illis provides veritatem Catholicam à Capite Tuo, *præſidium* à Gladio. *Si autem valedicendo Metropoli Leopolienſi, tanta promovendæ Fidei exhibes monumenta, quanta exhibebis in Metropoli Gneſnenſi, in qua prælucent Tibi ſæculis memorandi* MATHIÆ ŁUBIENSKI Avi Tui, Archi-Epiſcopi Gneſnenſis, *piiſsima veſtigia.*

Tanto Archi-Præſuli *gratitudinem exhibentes præſens ſubmiſsionis noſtræ tributum, in Speculo Auguſtini, Tibi reddimus.* (e) Magnus enim in Eccleſia Servus DEI, MATHIAS à Łubna ŁUBIENSKI, Avus Tuus, *ſic appretiavit Speculum Auguſtini, ut ejus Inſtitutum in Ordine noſtro profiteretur, & ſolennem votorum profeſsionem publicè emiſerit. In hoc Inſtituto & profeſsione tantum profecit, & refloruit, ut brevi Præpoſitus Generalis Ordinis, poſtmodum Chełmenſis, Poſnanienſis, mox Vladiſlavienſis & Pomeraniæ Epiſcopus, tandem* Archi-Epiſcopus Gneſnenſis, Legatus Natus, *Regni Poloniæ & Magni Ducatûs Lithvaniæ* Primas Primuſq; Princeps *renuntiaretur. O! quàm magnum à Speculo Auguſtini incrementum! O! quàm felix ex ejus ardentiſsimo in ſupereminentem Triadem corde, enituit ſæculorum Phænix! O! quàm pretioſa, & plùs*

quàm

(e) B. Joſephus Calaſanctius Mathiam Łubieńſki prædixit magnum Servum DEI in Eccleſia.

quàm aurea, ex mari Aurelii emerſit Gemma! Auguſtinus Epiſcopus multos ex Diſcipulis ſuis, dedit in Africa, multis Cathedralibus Eccleſiis Epiſcopos: in Regno autem Poloniæ, Diſcipulum & Filium ſuum, MATHIAM ŁUBIENSKI, *dedit tot Eccleſiis Epiſcopum, & tandem* Archi-Epiſcopum, Primatem & Principem. *Nec immerito:* MATHIAS *enim* ŁUBIENSKI, *non alio tempore, ſed in die, S. Auguſtino Sacra, Speculum Auguſtini ſuſcepit, & ſolennia profeſsionis vota emiſit: Auguſtinus etiam* MATHIAM ŁUBIENSKI, *Speculum tot Eccleſiarum, ſua ad ſuperos interventione, promovit. Nunquam fuerant in Ordine noſtro celebriora Auguſtini natalia, quàm dum* MATHIAS ŁUBIENSKI *in natali Auguſtini, ſtatuit cuſtodire vias omnis perfectionis, & pietatis.* (f) *Magnum Ordini noſtro præſtitit ornamentum Baldvinus III. Rex Hieroſolymæ, dum noſtri Ordinis habitum à Patriarcha, & Capitulo Hieroſolymitano ſuſcepit: æqualem vel majorem ſplendorem effudit in Ordinem noſtrum* MATHIAS ŁUBIENSKI, *dum jam Pro-Rex gloriatus eſt Inſtituto Ordinis noſtri, & illud in multis Diplomatibus clarè & expreſsè recognovit, & S. Sedi Apoſtolicæ præſentavit, quando licentiam pro condendo teſtamento ab Urbano VIII. Pontifice Maximo poſtulavit.*

(f) Geſta DEI per Francos.

Sicut

Sicut autem MATHIAS ŁUBIENIUS *nobilitavit diem ſacerrimum Auguſtini, ita etiam eundem Auguſtinum ſtudioſiſsimè imitari decrevit. Præſul Auguſtinus totus erat in convertendis Hæreticis, Manichæis, Donatiſtis, Pelagianis, & aliis:* Mathias Præſul & Archi-Præſul, *totas vires exeruit ad convertendos, extirpandos, & eliminandos Hæreticos,* (g) *cujus rei teſtes ſunt Chełmenſis, Poſnanienſis, Vladislavienſis, & Eccleſia Archi-Epiſcopalis Gneſnenſis, & tandem Colloquium Torunenſe cum Hæreticis, ab eo indictum, promotum, & conſummatum. Non ſolùm autem per ſuam authoritatem, tantum fidei negotium promovit, ſed etiam Vladislaum IV. Regem Poloniæ, ad ſimilem zelum induxit. Auguſtinus Regulam vitæ Apoſtolicæ condidit:* MATHIAS ŁUBIENSKI *Conſtitutiones Ordini noſtro cudit; earumq; approbationem à S. Sede Apoſtolica obtinuit. Auguſtinus Sacroſancti Sepulchri Hieroſolymitani magnus Æſtimator & Orator:* MATHIAS ŁUBIENIUS *ejuſdem SSmi Sepulchri Canonicus, & vigilantiſsimus Cuſtos, zeloſiſsimus Ampliator, & Defenſor, Auguſtinus Præſul, plurimas Africanas Eccleſias, ſuâ doctrinâ & ſcriptîs fundavit:* (h) MATHIAS *pariter plurimarum Eccleſiarum, ac etiam noſtræ Conventualis Eccleſiæ Wągczovienſis, & S. Barbaræ* in

(g) Vita ejuſdem Mathiæ cap. 19.
(h) Erectio Eccleſiæ Conventualis Wagczovienſis.

in Miechow, Fundator *Liberalissimus. Quanta autem in Ecclesia & Conventu Generali Miechoviensi fecerit & fundaverit: hæc non sunt referenda, quia suis cacuminibus loquuntur, cælos tangunt, & ab omnibus videntur. Zelum* MATHIÆ *secutus est* Stanislaus à Łubna ŁUBIENSKI, Episcopus Płocensis, Princeps Pułtoviensis, *Ecclesiæ Wągczoviensis* Con-Fundator, *& Hæreticorum strenuissimus extirpator. Tandem eundem zelum* MATHIÆ *secutus est* Casimirus à Łubna ŁUBIENSKI, Episcopus Cracoviensis, Dux Severiæ, *qui per Synodum Cracoviensem à se celebratam, omnes hæreticos circumscripsit, damnavit, & eorum ampliationem interdixit. Cùm ergo ex antiquissima* Domo Łubieniana, *intuemur duos* Archi-Episcopos, Primates, & Primos Principes Regni, *duos* Episcopos, *pariter &* Principes, *proinde Illos tanquam quatuor Evangelii Præcones, vel quatuor Columnas Ecclesiæ, totus Sarmaticus Orbis recognoscit, & adorat. Plura Nomina & Numina* Tuæ Celsissimæ Domûs *enumerare nolo: cùm Tu* Celsissime PRINCEPS, *omnium sis Speculum, Exemplar, & viva Imago. In Te uno, omnes intuemur: & Illi omnes, sunt Tuum memoriale perenne, & Corona. Tandem Amplissima* Celsissimæ Domûs Tuæ Familia, *satis descripta*

est

est in Vita MATHIÆ, *proinde hic illam transcribere nolo.*

Inter speciales MATHIÆ Avi Tui *Pastorales curas, illa fuit præcipua, quòd Religiosorum Ordinum Tutor, Defensor, & Protector esset, ut docent tot documenta ad S. Sedem Apostolicam pro Religiosis Ordinibus interposita. Quamprimum ergo* ARCHI-PRÆSUL, PRIMAS & PRINCEPS Celsissime, *Archi-Cathedram Gnesnensem, à celeberrimo Avo Tuo tot sanctîs exemplîs illustratam, ascendes, illud unicum supplicamus, ut* MATHIÆ Principis *exemplô, nostri Ordinis Tutor, Protector, & Defensor maneas, annosq;* MATHIÆ *vel adæques, vel supervivas, & in tanta opinione sanctitatis* Caput Tuum *inter sidera referas, in quanta opinione retulit* MATHIAS Archi-Præsul, Avus Tuus Gloriosissimus. *Ita precatur suo, & totius Ordinis nomine. Die 18. Maji. Anno 1759.*

Primatialis Celsitudinis Vestræ,
Domini, & Protectoris Clementissimi,

Servus humillimus
Jacobus Paulus Radliński,
Ordinis Canonicorum Regularium
SSmi Sepulchri, P. G. I.

PRÆFATIO
Ad Benevolum Lectorem.

QUod præſenti meo Opuſculo titulum præfixerim: *Speculum S. Auguſtini:* conſtat ex ipſa Regula, in qua ad finem dicitur: *Ut ergo vos in hoc libello, tanquam in ſpeculo, poſſitis inſpicere, ne per oblivionem aliquid negligatis, ſemel in ſeptimana vobis legatur.* Quòd autem idem ſpeculum ſit repræſentativum vitæ Apoſtolicæ, conſtat partim ex ipſa Regula, in qua dicitur: *Sic enim legitis in actibus Apoſtolorum, quia illis erant omnia communia, & diſtribuebatur unicuiq;, ſicut cuiq; opus erat:* partim ex vita Auguſtini, in qua dicitur: *Mox in Africam reverſus, cùm fermè trienniò cum eis, qui ei adhærebant, abalienatus à cunctis ſæcularibus, mira ſanctitatis & doctrinæ opinione, apud propriam domum, & agros vixiſſet à Valerio notæ ſanctitatis Epiſcopo Hipponenſi, licèt invitus Presbyter ordinatur. Quo tempore monaſterium Clericorum, religiosè regulariterq; viventium, apud Eccleſiam civitatis inſtituit, cum quibus cœpit vivere ſecundùm Regulam, ſub Sanctis Apoſtolis conſtitutam*

Quoniam autem ſuper Regulam S. Auguſtini, tot graviſſimi Authores & Doctores ſcripſerunt, eamq; expoſuerunt: nempe, ex S. Ordine Lateranenſi, Rmus Auguſtinus Erath, S. Th. Doctor, & Scriptor celeberrimus: ex S. Ordine Premonſtratenſi, Rmus D. Gervaſius de Layruelz, Abbas S. MARIÆ ad Nemus, S. Th. Doctor, & totius Ordinis Premonſtratenſis Vicarius Generalis: ex S. Ordine Prædicatorum, Rmus Humbertus, Generalis præfati Ordinis: ex S. Ordine Eremitarum S. Augu-

ſtini,

Ad
SPECULUM AURELIANUM
ALLUSIO.

HIpponaPræſuleĩs quondã celebrata triumphĩs
Clavibûs Aurelii clarior atq; Mitrĩs.
Quanta perauguſti majeſtas fronte Parentis
Fulſerit, attonitam te ſacer egit honos!
Admirabaris viventis Præſulis ora
Miſta verecundo fundere verba ſale.
Nunc mirare novam ſpeculo præſente repingi
Aurelii faciem, nunc ſua ſcripta premi!
Exprimit Aurelios Jacobi penna colores,
Dignaq; Doctorum Principe verba facit!
Talis erat, cùm dogma daret bon9 Hippone Paſtor
Qualem nunc compto codice preſſa ferunt.
Aurelii ratione, ſtylo, ſenſuque redundat
Paulus, ut Aurelium ſcribere cuncta putes!
Et niſi, res magnas pertractans, fuſior eſſet,
Lector id Aurelii quiſque putaret opus;
Attamen: ut, noſtri fuerit mens quanta Parentis?
Non poterat ſpeculô candidiore legi;

Sic,

Sic, quæ ſancta videns oracula fixerat intra,
Non poterant ſpeculô magna minore capi.
O! nimium laudanda bonæ ſolertia mentis!
Quæ valet antiquos ſic renovare viros!
Hæc eſt, quam ſpeculum præſentat, copia noſtri
Præſulis, hæc vaſtæ mentis imago capax;
Jam, quotquot ſpectatis opus, concludite mecum:
Hoc ſpeculo ſpeculum fit Pater iſte Patrum.

Facta per Studium Cracovienſe Theologicum Ordinis Canonicorum Regular: SSmi Sepulchri. Anno 1759. die 20. Maji.

EXPO-

indiſcreto regimine, ſcire tamen debent, quòd ſicut Sanctus Legislator, ita & ſucceſſores ejus Superiores, habent authoritatem uti hoc verbo *præcipimus.*

2do. Uſus eſt S. Legislator hoc verbo *præcipimus*, ut doceret ſui inſtituti cultores, quòd poſt emiſſa vota, non tantùm ex conſilio, ſed etiam ex præcepto obligati ſunt ad proficiendum in vita regulari, præſertim in his, quæ ſpectant ad vota ſubſtantialia Religionis.

3tio. S. Legislator uſus eſt hoc verbo *præcipimus*, ut per hoc inculcaret nobis, quatenus non tantùm ex conſilio, ſed etiam ex præcepto Superiorum, diſcamus agere, & exercere nos in voto obedientiæ: quamvis enim verbum *præcipimus*, videatur eſſe aliquomodo ſeverum, tamen ſi illud alacriter impleamus, habemus occaſionem exercendæ obedientiæ, conſequenter & meritum proficiendi in obedientia noſtra, quam vovimus.

4to. S. Legislator non uſus eſt hoc verbo *præcipio*, ſed *præcipimus*: ut oſtenderet, quòd authoritas Superiorum non ſit privata ſed publica, non ſit delegata ſed ordinaria, reſpectu ſui Ordinis, ita ſicut eſt in Epiſcopo reſpectu totius ſuæ Diæceſis, conſequenter Superior Ordinis, non tantùm dicere poteſt *præcipio*, ſed etiam *præcipimus.*

Qui ergo Regulam S. Auguſtini profiteris, diſcas quòd obligatio diligendi DEUM & proximum ſit ex præcepto tam DEI, quàm Regulæ: proinde cùm ſint duo præcepta, eo ipſo magis obligaris ad exercendam utramq; dilectionem, & ardentiùs in illa proficere debes. O prima Regula morum, & univerſalis præceptorum Magiſter perfectiſſime DEUS! da mihi intellectum, ut ſciam teſtimonia tua, & diligam mandata tua ſuper aurum & topazion,

ut sic tuo Divino Spiritu ad omnia mandata tua directus, omnem viam iniquam odio habeam. Da mihi pariter rectam voluntatem, & plenè subjectam Superioribus meis, ut eorum non tantùm consilia, sed etiam severa & gravia præcepta, promptô animô implere possim.

Considera *2do.* Cui Sanctus Legislator præceperit observationem Regulæ? Respondeo: constitutis in Monasterio: dicit enim: *Hæc igitur sunt, præcipimus in Monasterio constituti.* Porrò per constitutos in Monasterio, *1mo* intelligi possunt illi, qui actu in Monasterio, Collegio, vel Conventu resident. *2do.* Possunt intelligi illi, qui sunt quidem extra Monasterium vel Collegium constituti, cæterum tamen sunt ejusdem Professionis, obedientiæ, & Religionis cum residentibus actualiter in Monasterio vel Collegio.

Dum igitur S. Legislator inquit: *Præcipimus, ut observetis in Monasterio constituti.* Per constitutos in Monasterio, non soli illi intelligi debent, qui actu resident in Monasterio, sed etiam illi, qui sunt actu extra Monasterium residentes, ordinati vel ad curam animarum, vel ad aliud negotium expediendum: quia si illi soli intelligerentur, qui actu resident in Monasterio, tunc actu residentes extra Monasterium non obligarentur ad præcepta Regulæ servandæ, non tenerentur voto obedientiæ, possent licitè in proprietate sæculariter vivere, hoc autem est nefas dicere.

Ratio *2da* est, quia Professio religiosa, & ejus obligatio, non cadit supra hunc locum determinatè, quasi verò in hoc solùm loco, Vir religiosus teneatur ad observantiam regularem, sed cadit supra ipsam personam,

adeoq;

adeoq; ubicunq; fuerit Persona illa, sive intra, sive extra Monasterium, ubiq; eam comitatur semel suscepta obligatio, consequenter ubiq; debet præceptis Regulæ, & suæ obligationi, satisfacere.

Ratio *3tia* est: quia præcepta Divina, non tantùm nos obligant ad executionem sui, in aliquo determinato loco, sed ubicunq; fuerimus: adeòq; & præcepta Regulæ eandem vim & naturam habent, consequenter quocunq; nos converterimus, ibi convertitur nobiscum status; & natura Regulæ. Sicut ergo profitens militiam in castris, non tantùm in castris, sed etiam ubiq; debet esse paratus ad obediendum suo Duci, ad pugnandum cum hoste, ad subeundum vigilias noctis, ad servandum ordinem militarem, & statuta ejus: ita professus vitam religiosam, non tantùm in Monasterio, sed etiam extra Monasterium, obligatus est ad obediendum suo Superiori, ad pugnandum cum hoste animæ, & salutis suæ, ad subeundas excubias contra insidias dæmonum, carnis, & mundi, ad servandum Ordinem religiosum, ad implendam Regulam, & constitutiones Ordinis, & ad proficiendum continuò in observantia regulari.

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, quando audis: *Hæc igitur sunt ut observetis præcipimus in Monasterio constituti*, non intelligas, quòd te præcepta S. Legislatoris obligent tunc nonnisi, quando actu resides in Monasterio, sed scias, quòd illis tenearis, etiam extra Monasterium: proinde ubicunq; fueris, ibi memor esto Regulæ & præceptorum ejus, memor esto vocationis religiosæ, ubicunq; religiosum agas, & præferas, non tantùm habitu, sed etiam observantia regulari.

Considera *3tio.* Quòd licèt tam constitutis in Monasterio, quàm constitutis extra Monasterium, injuncta sit observatio Regulæ, hôc unô verbô *præcipimus :* tamen Vir religiosus constitutus extra Monasterium, plùs debet curare observationem Regulæ, & compositionem vitæ suæ, quàm dum est constitutus in Monasterio: quia dum est constitutus extra Monasterium, obvius est hominibus sæcularibus, aliquando etiam dissolutis, qui citiùs scandalizantur, quàm Viri religiosi, quod majus seu frequentiùs contingens scandalum ut evitet, eo conatu niti debet, ut observet totum illud, quidquid vocationem ejus concernit. Deinde dum est constitutus extra Monasterium, Vir religiosus, plures ædificare potest suô bonô exemplô, quàm in Monasterio, quia in sæculo habet sibi obvios, secum de negotiis tractantes, quàm dum est intra septa Monasterii, ut ergo plures ædificet, & in viam salutis dirigat, plùs curare debet compositionem religiosam, & observantiam sibi competentem. Præterea Vir religiosus constitutus extra Monasterium, majoribus est expositus negotiis, se impedientibus à fervore spiritûs, quàm dum est in Monasterio, ut ergo fervorem spiritûs per negotia temporalia non dissipet, quandocunq; tempus sibi inveniet, intensiùs spiritum religiosum colligere debet.

Qui ergo Regulam S. Augustini profiteris, expendas, qualiter te geras extra Monasterium, an diligentiùs, an tepidiùs, & quidquid neglectum & omissum repereris, illud in te ipso corrigas.

Considera *4to*, qualiter se gerere debeat Vir religiosus, constitutus extra Monasterium.

1mo. Igitur debet se gerere ita, ut locum illum particu-

ticularem, in quo degit, putet esse tanquam Monasterium, hoc fine, ut in illo se gerat tanquam in Monasterio, quia non mænia, aut cellæ, multæ faciunt Monasterium, sed ipsi Viri religiosi, religiosè in illis vivendo, adeòq; si etiam in loco particulari, religiosè vivat Vir regularis, per ipsam vitam regularem, efficit sibi monasteriolum particulare personale.

2do. In loco illo, in quo degit extrâ Monasterium, (si solus est) debet sibi ipse esse Superior, & ipse subditus, debet esse Superior, ut se ipsum moneat, còërceat, & puniat, debet esse subditus, ut sibi ipsi obtemperet, obediat, & monitionem suam exequatur.

3tio. Debet se ita gerere, ut sicut est sol in cælo, ita ille sit in mundo, diffundens in mundum lucem virtutis, & exempli boni, licèt enim specialiter ad Doctores intelligatur illud dictum: *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in in cælis est:* tamen hoc ipsum aptissimè deservit & illis, qui sunt constituti extra Monasterium: cùm enim Vir religiosus, sit factus spectaculum mundo, Angelis, & hominibus, talem se debet exhibere, ut dignus sit tanto spectatore, & ut nihil in se admittat, quod offendat intuitum tanti spectatoris.

4to. Debet se ita gerere, sicut apis argumentosa, hæc dum extra alveare evolat, nunquam otiatur, nunquam venenosæ herbæ inhæret, sed continuò laborat, & mellificat, & in illis tantùm quiescit herbis, & floribus, qui non lædunt naturam ejus, nec obsunt ejus palato: postquàm autem id perfecerit, à quo evolaverat, libenter ad suum alveare revertitur, ibiq; fructum laboris sui, favum

scili-

ſcilicet mellis, in communi alveari deponit. Hoc totum debet facere Vir religioſus, egrediens extra Monaſterium, nempè non debet otiari, ſed continuò laborare pro ſalute animæ ſuæ: non debet adhærere illis perſonis, quæ venenoſæ ſunt, ſeu ſcandaloſæ, aut diſſolutæ, ſed potiùs his debet adjungi, quæ non lædunt ejus conſcientiam, nec obſunt illius vocationi, imò illam ædificant. Tandem poſtquàm id executus fuerit, ad quod ordinatus erat negotium, libenter ad ſuum Monaſterium debet redire, ibiq; fructum laboris ſui, quem extra collegerat, in communi gremio Ordinis deponere.

5to. Debet ſe gerere ita, ſicut miles de caſtris excurrens, ad capiendam prædam: hic dum ex caſtris excurrit, non tanquam ibi manſurus, ſed tanquam migraturus poſt horam, nullibi ſecurus ſubſiſtit, nullibi ſecurus dormit, aut quieſcit, ſed continuò vigilat, & in omnes partes advertit, ſi ex hac vel illa parte hoſtis non inſtat. Idem totum debet agere Vir religioſus, dum egreditur extra Monaſterium: unde tali intentione debet exire, ut ibi non ſit manſurus, ſed migraturus. Item non debet ibi ſecurus ſubſiſtere, vel dormire. Tandem debet invigilare, ſi ex aliqua parte non inſtat hoſtis ejus, ad ſeducendum eum, ad aliquod peccatum, ſicut enim miles extra caſtra exiſtens, facillimè capitur, quando vitam ſuam non cuſtodit, & non vigilat, ita Vir religioſus, extra Monaſterium degens, facilè à dæmone comprehenditur, & ſeducitur, quando vitam ſpiritualem animæ ſuæ non cuſtodit, nec vigilat contra inſidias dæmonis.

6to. Vir religioſus degens extra Monaſterium, debet ſe gerere ita, ſicut Angelus: hic licèt extra cælum deſcen-

dat

dat in terram, tamen cælum totaliter non deſerit, hominem cuſtodit in omnibus viis ſuis, & tamen ſimul DEUM intuetur, plerumq; terrena negotia à DEO commiſſa tractat, & tamen illis ſe non implicat, nec eis mente adhæret, DEO ſimul & homini miniſtrat, in cælo & ſimul in terra præſens eſt, cæleſtia ſimul & terreſtria officia implet. Hoc omni modo debet ſe componere Vir religioſus, extra Monaſterium ordinatus, nunquam Monaſterium debet plenè relinquere, commiſſa ſibi negotia debet cuſtodire in omnibus viis ſuis, & tamen ſimul Regulam ſuam intueri, terrena etiam negotia debet aliquando tractare ſi jubeatur, ſed tamen non debet ſe illis implicare, & totum involvere; Regulæ ſimul & Monaſterio debet miniſtrare in mundo, & tamen Monaſterio ſimul debet ſaltim mente præſens eſſe.

7mo. Debet ſe gerere ita, ſicut DEO fidelis Tobias, hic cùm extra ſuam Patriam degeret, viam veritatis non deſeruit, cùmq; eſſet junior omnibus in tribu ſua, nihil tamen puerile geſſit in opere. Deniq; cùm alii omnes irent ad vitulos aureos adorandos, hic ſolus fugiebat conſortia omnium, ſed pergebat in Jeruſalem, ad Templum DEI, & ibi adorabat Dominum DEUM Iſrael. Tandem cùm deveniſſet in civitatem Niniven, dum omnes ederent ex cibis Gentilium, iſte cuſtodivit animam ſuam, & nunquam contaminatus eſt, in eſcis eorum. Pergebat præterea ad omnes, qui erant in captivitate, & monita ſalutis dabat illis. Hæc ſingula Vir religioſus extra Monaſterium ordinatus debet æmulari, nempè viam veritatis non debet deſerere, quamvis juvenis ſit, nihil puerile debet agere, licèt omnes eant ad idola peccatorum adoranda,

da, ille debet fugere consortia talium, sed potiùs debet currere ad Templum DEI, & adorare DEUM: præterea licèt alii jejunis diebus, cibis prohibitis utantur, ille debet custodire animam suam, & cibis eorum non contaminari. Tandem quantùm fieri potest, debet pergere ad illos, qui sunt in captivitate peccatorum, aut dæmonis tentantis, & monita salutis illis suggerere.

8vo. Debet se ita gerere sicut Joseph in domo Pharaonis: hic multoties sollicitatus ad peccatum, nunquam consensit, sed respondit: *Quomodo ergo possum hoc malum facere, & peccare in DEUM meum*: tandem ad extremum, maluit proprium pallium, quàm virtutem perdere. Similiter cùm Vir religiosus sollicitatur ad peccandum extra Monasterium, DEUS avertat, ut consentiat, sed continuò debet sibi in mente revolvere: *Quomodo ergo possum hoc malum facere? & peccare in DEUM meum*: Quod si tentatio urgeat, meliùs est vitam, quàm integritatem conscientiæ religiosæ amittere.

9no. Et principaliter debet se ita gerere, sicut se gessit ipse Christus Dominus, cum Matre sua, & Sponso ejus in Ægypto. Porrò Christus Dominus ita se gessit in Ægypto, ut simul opus redemptionis nostræ tractaret, & obediens esset Parentibus suis, Pretiosissima autem Mater Christi Domini, & Sponsus ejus, ita se gesserunt, ut de moribus Ægyptiorum nihil contraherent. Dum Religiosus est extra Monasterium in mundo, est in Ægypto; mundus enim hic, Ægyptus est: quare in hac Ægypto, debet se Christo Domino accommodare, & assimilari; & ita in omnibus Pretiosissimæ Virgini MARIÆ, & Sponso ejus conformari, ut nullam maculam contrahat de Ægypto hujus mundi.

10.

10. Debet esse in conversatione rarus, in discursu modestus, in omni actione exemplar, & idæa sanctitatis.

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, expende, qualiter te geras extra Monasterium. O suavissime Redemptor generis humani Christe JESU, qui non tantùm in Patria tua, sed etiam in Ægypto, & ubiq; tractabas negotium redemptionis humanæ, conforta vires meas auxilio gratiæ tuæ, ut non tantùm intra ostia Monasterii mei, sed etiam ubiq; ita me geram, sicut convenit vocationi meæ.

EXPOSITIO ET MEDITATIO IV.

Primum, propter quod in unum estis congregati, ut unanimes habitetis in Domo Domini, & sit vobis anima una, & cor unum in DEO.

COnsidera *1mo*, quòd S. Legislator, post latum de servanda ergà DEUM & proximum charitate, præceptum, non aliud subjungit, nisi de servanda unanimitate, nimirum: ut nos doceat, quòd 1mus planè fructus charitatis, sit unanimitas, quam nos ut curemus, statim post charitatem commendatam, eandem unanimitatem innuit. Dein de multi sunt tales, qui licèt non habeant veram dilectionem DEI, & proximi, tamen se eandem putant habere. S. Legislator ut doceat, quis habeat dilectionem DEI & proximi? statim post latum de charitate mandatum, subjungit alterum, de unanimitate: unanimitas enim, est signum speciale charitatis, ex quo quisq; devenire possit,

utrum habeat dilectionem DEI & proximi; quam unanimitatem si aliqui non habent, signum est, quòd non habeant & charitatem: Unde inquit S. Augustinus de verbis Domini, serm: 50. *Quomodo autem habet vel exiguam charitatem, qui etiam convictus, non amat unitatem.* Sicut ergo lux meridiana prodit solem, splendor micans adamantem, candor gemmam, motus agentis vitam, ita unanimitas manifestè probat charitatem, quæ unanimitas si defuerit, etiam ipsam charitatem deesse, necessè est. *Charitas enim est dulce ac salubre vinculum mentium,* (inquit S. Augustinus Tom: 10. serm: de Temp:) adeòq; quodammodò vincit, seu ligat, quæ sunt dispersa, cùm autem hæc dispersa non sunt alicubi ligata, signum est, quòd non sit & charitas.

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, si putas te habere charitatem, & non habes unanimitatem, non est vera tua charitas, sed tunc certus eris, de possessione charitatis, quando promptus eris in exhibitione unanimitatis: amplectere ergo unanimitatem, & tunc veram habebis charitatem.

O DEUS super omnia amande, qui mirabili & incomprehensibili modo, Trinitatem in unitate, & unitatem in Trinitate adunâsti, accende sic intima cordis mei abdita, ut in honorem Unitatis tuæ in Trinitate, conservem sinceram unitatem, in maxima cæterorum pluralitate, & communitate.

Considera 2*do*. Ex quo etiam speciali motivo (præter dicta) Sanctus Legislator injungit unanimitatem, ecce evidenter ex eo, quòd Viri religiosi propter id congregati sunt in unum,, ut unanimes habitent, inquit enim:

Pri-

Primum, propter quod in unum congregati estis: ac si dicat quoniam propter hoc congregati estis in unum, ut unanimes habitetis, ideo unanimes habitate. Finis igitur specialis, propter quem congregantur in unum Viri religiosi, est hic, ut unanimes habitent. Sicut ergo imprudens est mercator ille, qui propter finem lucri comportat merces, & deinde eundem finem negligit, sicut item vesanus est dux ille, qui propter victoriam arma sumit, & aciem instruit, & tandem eandem victoriam contemnit, aut ex campo liberè cedit, ita longè imprudentior est, quicunq; Vir religiosus, qui veniendo propter hunc finem, (licèt non unicum) ad Religionem, ut in unanimitate habitet, & tandem postea eandem unanimitatem non curat, vel eandem ipse spontè perturbat.

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, scias, quòd inter alios fines, etiam hic sit finis tuæ vocationis, ut habites in unanimitate, quare ut hoc fine potiaris, adhibe media ad servandam unanimitatem.

Considera *3tio.* Quod Sanctus Legislator, non tantùm injunxit servandam esse unanimitatem, sed etiam determinavit ubi servanda est: nempè *in domo Domini,* inquit enim: *Ut unanimes habitetis in domo Domini.* Porrò per domum non intelligitur solus ille locus, in quo quisq; Vir religiosus in particulari, & in singulari habitat, v.g. cella, vel camera, sed intelligitur præter hoc, etiam locus consiliorum, & judiciorum, seu Capitulum: intelligitur præterea Oratorium, & Ecclesia, intelligitur item Refectorium, & omnis alius locus, in quo degunt, vel degere possint Viri religiosi. Quando igitur S. Legislator inquit: *Unanimes habitetis in domo Domini,* idem est, ac si dicat:

Unanimes habitetis in cellis, & in Monasterio, in solito consiliarum loco, seu Capitulo, unanimes in Ecclesia & Oratorio: tandem unanimes habitetis in Refectorio, & in omni alio loco.

Viri ergo religiosi, debent esse unanimes in cella, quia cella, cælum est: cælum autem est sedes unanimitatis. Debent esse unanimes in Monasterio, quia Monasteria propter eum finem sunt fundata, ut plures, sive genere, sive natione ad illa congregati, fiant unum corpus in Domino. Debent esse unanimes in Ecclesia & Oratorio: quia sicut Ecclesia Christi est una, ita unitas est ipsi congenita: & Ecclesia vera non esset, si non esset una. Debent esse unanimes in Refectorio, quia non tantùm corpora, sed etiam mentes cibo spirituali refici debent: refectio autem spiritualis esse non potest, sine concordia, & charitate. Debent esse unanimes in omni loco: quasi in uno loco servetur unitas, & in altero discordia, tunc eo ipso fieret perturbatio, inquietudo, & dissonantia. Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, vide utrum in prædictis locis, serves unitatem & concordiam.

Considera 4to. Qualis debet esse unanimitas inter Viros religiosos? certè non alia, nisi talis, qualem declarat ipse S. Legislator: jam autem S. Legislator injungit, servandam unanimitatem non qualemcunq;, sed *in DEO*, dum inquit: *Et sit vobis anima una, & cor unum in DEO:* Unanimitas ergo Virorum religiosorum, debet esse primò in Domino, debet esse in DEO, similis unanimitati Sanctorum in cælis. Porrò unanimitas Sanctorum in cælis hæc est: omnes ibidem unanimiter idem volunt in DEO, omnes unanimiter cognoscunt DEUM, & contemplantur, omnes unanimiter eundem amant. Ibi singuli laudant

DEUM

DEUM ſine diſſonantia, adorant abſq; diſcrepantia, æſtimant ſuper omnia, ſine ullo contentionis veſtigio. Deeſt ibi turbulenta in cantu cæleſti confuſio: procul exulat omnis in amando DEO inquietudo, ſed omnes animarum beatarum operationes, ita Divino ſunt Spiritu conglutinatæ, ut unum ſpirent, unum cogitent, unum contemplentur in DEO. Talem debent æmulari & imitari unanimitatem Viri religioſi, debent velle idem in DEO, idem debent amare in DEO, unanimiter debent laudare, adorare & æſtimare DEUM ante omnia, & omnem inquietudinem ita amovere, ut ſola pax interna, pacis cæleſtis figurativa, inter illos debeat reperiri. Quælibet enim domus religioſa in communi vivens, repræſentat illam Domum DEI, in qua cum Sanctis ſuis regnat DEUS in æternum, adeoq; ſimilem illi domui DEI, quòd ſi illam non æmuletur, ſed diſcordiis agitetur, fit ſimilis domui inferni, in qua dæmon cum ſuis aſſeclis, torquebitur in perpetuum. 2do. Unanimitas Virorum religioſorum debet eſſe ſimilis unanimitati Sanctorum Apoſtolorum: quia licèt per totum orbem fuerint diviſi, tamen unam fidem, unum DEUM, unum Evangelium concordi ore prædicabant, & unanimiter pro Nomine JESU patiebantur: *Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilii; quoniam digni habiti ſunt, pro nomine JESU, contumeliam pati.* Actor: 50. 3tio. Unanimitas Virorum religioſorum, debet eſſe ſimilis unanimitati Sanctorum quatuor Evangeliſtarum, hi omnes licèt diſtinctis locis fuerint, tamen in omnibus ſuis Evangeliis in doctrina Chriſtiana, ita concordant, ut nihil ſibi contrarium aſſerant, nihil contrarium negent, nihil contrarium ad credendum proponant. Eandem unanimitatem

debent

debent æmulari Viri religiosi, doctrina illorum præsertim articulos fidei, & bonos mores concernens, debet esse in omnibus eadem, debet in omnibus concordari, & in singulis convenire. 4to. Unanimitas Virorum religiosorum debet esse similis unanimitati Sanctorum Prophetarum, qui omnes unanimiter prædixerunt adventum Christi, & alia mysteria fidei. 5to. Unanimitas prædicta debet esse similis unanimitati Sanctorum Machabæorum Martyrum, qui uno corde restiterunt Tyranno, & victoriam triumphalem obtinuerunt. 6to. Unanimitas prædicta, debet esse similis unitati Sanctorū quadraginta Martyrum, quorum una erat oratio: *quadraginta in stadium ingressi sumus, quadraginta item Domine coronâ donemur: ne una quidem huic numero desit.* 7mo. Unanimitas prædicta debet esse similis unitati Sanctorum decem millium Martyrum, qui una & invicta dexteritate, passi sunt tormentum Crucis. Ad extremum unanimitas Virorum religiosorum debet esse fortissima, indissolubilis, & insuperabilis, si enim esset debilis & pusilanimis, tunc à quocunq; vento adverso, disrumperetur. Qui ergo Regulam S. Augustini profiteris, expende, utrum aliquam ex his servas unanimitatem?

Considera *5to.* Quantum est necessaria unitas, concordia, & unanimitas in Viris religiosis? Respondeo: tantum est necessaria unitas & concordia in Religione, quantum est necessaria in tota S. Ecclesia, in toto Regno, in quavis Republica, Senatu, & in alia quacunq; communitate & Magistratu. Ratio *1ma* est: quia sicut in Ecclesia, Regno, Republica, & in alijs communitatibus nihil potest statui, & decerni sine unitate & concordia, ita id totum evenit in Religione. Ratio *2da*, quia unitas seu concordia operatur

tur

tur in nobis tantam fortitudinem, ut omnibus hostibus nostris, tam visibilibus, quàm invisibilibus resistere valeamus. Unde inquit Plutarchus: *Ut singula hostilia facile frangas, conjuncta non possis, ita dissidentes facilè superantur, concordes haud facilè.* Ratio *3tia* est, quia unitas prædicta, operatur in nobis gratiam & præsentiam Spiritûs Sancti; ut factum est post Resurrectionem cum Apostolis, qui cùm essent simul in eodem loco, descendit in eos Spiritus S. testante scriptura: *Cùm complerentur dies Pentecostes, erant omnes Discipuli pariter in eodem loco, & factus est repentè de cælo sonus, tanquam advenientis Spiritûs vehementis, & replevit totam domum ubi erant sedentes:* Si autem fuissent dispersi, si fuissent disuniti, sejuncti, & non in eodem pariter loco, nec in unitate orationis, defacto in illos non descendisset Spiritus S.

Ratio *4ta*, quia unitas animorum comparat nobis benedictionem DEI, & vitam æternam, ut constat ex Psal: 132. ubi dicitur: *Ecce quàm bonum, & quàm jucundum habitare fratres in unum! sicut ungventum in capite, quod descendit in barbam barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti ejus, sicut ros Hermon qui descendit in montem Sion. Quoniam illi mandavit Dominus benedictionem & vitam usq; in sæculum.* Qui ergo Regulam S. Augustini profiteris, & cognoscis quantum sit necessaria unitas in Religione, exerceas te in eadem unitate servanda, omni possibili modo.

Considera *6to.* Quoniam certum est, quòd plures homines non possint habere unam animam, & cor unum, siquidem singuli habent distinctas realiter animas, & distincta realiter corda, quare ergo S. Augustinus dicit, & consulit: *& sit vobis anima una, & cor unum in DEO?* Respondeo: quando S. Augustinus dicit: *& sit vobis anima una,*

& cor

& cor unum in DEO: non dicit de anima entitativè sumpta, neq; de corde entitativè sumpto: quia diversorum entium, diversæ sunt entitates animarum, & diversæ entitates, seu substantiæ cordium: sed potiùs dicit de anima moraliter sumpta, hoc est, licèt plurium hominum & personarum, sint plures & distinctæ realiter animæ, & corda, tamen dum servant unitatem, & concordiam perfectam, dicuntur, censentur, & reputantur in sensu morali una anima, & cor unum in DEO. Sicut ergo numerosi milites, sunt unus exercitus; sicut numerosi incolæ civitatis dicuntur una Civitas: sicut numerosi lapides dicuntur unus acervus, tandem sicut anima, corpus, & unio, sunt unus homo: ita plures animæ, & corda servantia unitatem, concordiam, & charitatem, sunt una anima, & cor unum in DEO. O quàm mirabilis & felix est effectus unitatis & concordiæ; quæ plura corda & animas, facit unum in DEO. Ad hanc ergo unitatem aspires, hanc unitatem exerceas, in illaq; proficias, tunc etiam in maxima pluralitate & communitate, fies una anima, & cor unum in DEO.

EXPOSITIO ET MEDITATIO V.

Nec dicatis aliquid proprium: sed sint vobis omnia communia.

COnsidera *1mo.* Quòd peccatum proprietatis dupliciter possit committi, vel usurpando sibi aliquid proprium, in facto, vel dicendo aliquid proprium, cum affectu ad aliquam

aliquam rem, & licèt utrumq; sit vitiosum, sed *1mum* magis, quàm *2dum*; tamen S. Legislator non prohibet proprium his terminis: *Nec faciatis aliquid proprium*, sed potiùs his: *Nec dicatis aliquid proprium:* ut nos doceret, quòd si dicere aliquid proprium sit illicitum, multo magis facere, & si prohibetur nobis dicere aliquid proprium, multò magis prohibetur usurpare. Unde Gerson inquit: *Si prohibet Augustinus verbum proprietatis, à fortiori & factum. Si proprietatis verba pronuntianda non sunt, proprietas ipsa exercenda non est: si proprietatis verba interdicuntur, proprietas inter Canonicos nec nominetur.* Non tantùm ergo usurpare proprium, sed etiam dicere, vitiosum est. Et ratio est, quia peccatum non tantùm consistit in concupito, vel facto, sed etiam in dicto. Unde peccatum juxta S. Legislatorem est, *dictum, vel factum, vel concupitum contra legem æternam:* adeoq; & peccatum proprietatis, potest consistere, non tantùm in facto, vel concupito, sed etiam in dicto. Dictum enim præcisè secundùm se sumptum, & si ne affectu ad rem, licèt aliquando peccatum non sit, tamen plerumq; ratione scandali peccatum est.

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, non tantùm facere, sed etiam dicere aliquid proprium caveas, quòd si id hactenus neglexisti, esto cautior postmodum, non tantùm in modo agendi, sed etiam in modo dicendi.

Considera *2do.* Quinam sint fructus & utilitates vitæ communis? Respondeo sunt multi: Primus fructus vitæ communis est libertas à nimia solicitudine, & anxietate circa temporalia: dum enim alicubi est vita communis, & singulis omnia communia, ibi non omnes sollicitantur de omnibus, non quilibet seorsim de se ipso cogitat,

gitat, quô victurus, aut vestiendus sit, sed unus de omnibus solicitus est, ut habeant quô vivant, quô vestiantur, & commodè reficiantur.

Secundus fructus vitæ communis, est commoditas vacandi DEO, indulgendi orationi, & omnis facultas incumbendi spiritualibus exercitiis, ad virum religiosum spectantibus: nimia enim solicitudo circa temporalia, impedit nos ab his omnibus: quando autem adest nobis libertas à nimia solicitudine circa temporalia, eò ipsò subsequitur tempus sufficiens, ad vacandum DEO.

Tertius fructus vitæ communis, est amotio invidiæ domesticæ, imò & externæ: invidia enim passim ex hoc oritur, quando videmus alterum, tale habere bonum, quod nos non habemus, aut habere non possumus; dum autem omnia nobis sunt communia, non potest id evenire, quia quod bonum unus habet, hoc omnes habent, & quod omnes habent, hoc & unus, etiam infimus, ac minimus habet.

Quartus fructus vitæ communis, est amotio discordiæ, discordia enim plerumq; & frequentissime oritur, inter meum & tuum: quando autem inter Viros religiosos non est meum ac tuum, sed sunt de integro omnia communia, tunc eo ipso deest occasio discordiarum.

Quintus fructus vitæ communis, est sufficientia omnium necessariorum, viro religioso competentium; ubi enim omnes in commune laborant, ibi plùs omnibus accrescit in unum & augetur, ubi autem quisq; proprium curat, propter se, ibi unus multum habet, & alij sunt indigentes; consequenter ex proprio, emanat indigentia ex communi vita, sufficientia: quod ipsum etiam nostrâ con-

stat

ſtat experientia, quos enim religioſos videmus habere, etiam his temporibus omnia communia, quos videmus vivere in communi, & laborare pro communi, illi continuam habent ſufficientiam, qui autem proprium curant, & ſingularitati incumbunt, illi ſemper ſunt indigentes, & rarò proportionatam ſuo ſtatui, habent victûs, & amictûs decentiam.

Sextus fructus vitæ communis, eſt augmentum charitatis mutuæ, quia ſicut per ſingularitatem charitas diminuitur, ita per communē rerum omnium uſum, augetur.

Septimus fructus vitæ communis, eſt contemptus rerum temporalium, dum enim rebus omnibus in communi utimur, ſenſim amorem eorum deperdimus, hôc autem deperditô, facilè omnia negligimus, & ſic contemptum bonorum hujuſmodi acquirimus.

Qui ergo Regulam S. Auguſtini profiteris, expendas hos omnes fructus vitæ communis, & te accendas ad eandem vitam exercendam. O liberaliſſime omnium bonorum Largitor DEUS, extingve in me amorem ſingularitatis, & accende affectum vitæ communis. *Fac me ex toto deſiderio huic mundo funditus extingvi, & tranſeuntium rerum oblivíſci, præ magnitudine timoris, & amoris tui, uſq; adeo ut de temporalibus nec lugeam, nec gaudeam, nec metuam aliquid temporale, nec diligam, nec blandis corrumpar, nec adverſis concutiar: Et quia tui valida eſt, ut mors dilectio, abſorbeat quæſo mentem meam, ab omnibus quæ ſub cælo ſunt, ignita & melliflua vis amoris tui, ut tibi ſoli inhæream, ſolaq; tuæ ſvavitatis memoriâ paſcar.* S. Auguſtinus medit: Cap. 35.

Conſidera *3tio.* Quæ ſunt occaſiones proprietatis repugnantis voto paupertatis religioſæ. Illa ergo, quæ dant

occasionem proprietatis, juxta Reverendissimum Humbertum sunt tria:

1mum est indigentia, dum religiosis non providentur necessaria, & convenientia statui illorum, juxta statuta & constitutiones Ordinis.

2dum est diffidentia de Providentia Divina, dum religiosi non confidunt, nec sperant firmiter in Providentia Divina, sed etiamsi illis nihil desit, tamen timent sibi aliquid deesse in futurum, & sic sub pallio hujus provisionis in futurum, pecuniam, & alia temporalia sibi appropriant, & occultè fovent:

3tium est carnalitas, dum religiosi ita sunt carni & commodis ejus immersi, ut etiamsi illis omnia necessaria, quò ad victum & amictum conferantur, tamen his non sunt contenti, sed sibi alium cibum suo arbitrio placentem, alias portiones suo gustui, & appetitui convenientes procurant, alias vestes exquisitas, sæcularismum spirantes comparant, & sic in domo & sanctuario Religionis, sæcularismum agunt, licèt regularem vitam sint professi.

Præter has occasiones & causas proprietatis, sunt etiam aliæ causæ: nempè abusus, & diuturna prava consvetudo, non servandæ vitæ communis, insensibiliter introducta: *Sed hæc consvetudo est potiùs corruptela & dissolutio: siquidem non quàm longo tempore, sed quàm rectè & licitè aliquid alicubi servetur, attendi debet,* ut loquuntur nostræ constitutiones à S. Sede Apostolica approbatæ. Alia item causa proprietatis est opinio, quod videlicet nonnulli existimant, & putant se non adeò strictè, quemadmodum alias religiosorum familias, ad votum paupertatis servandum, ex vi instituti sui obligari: sed re vera gravissimè falluntur,
cùm

cùm religiosus, quà religiosus, cujuscunq; Ordinis & instituti sit, à voto paupertatis servando, nequaquam liber esse possit. Tu ergo qui votum paupertatis emisisti, diligenter attende, ex quibus causis & occasionibus, illud frequenter violas, & frangis. Quæcunq; ergo occasio & causa proprietatis in te reperitur, illam abscindas, supprimas, & amoveas: quia nullum fortè vitium est frequentiùs, quàm vitium proprietatis, & violatio voti paupertatis, & tamen hæc violatio non advertitur, imò nec pro peccato reputatur.

EXPOSITIO ET MEDITATIO VI.

Et distribuatur unicuiq; à Præposito vestro, victus & tegumentum, non æqualiter omnibus, quia non æqualiter valetis omnes, sed potiùs unicuiq;, sicut cuiq; opus fuerit. Sic enim legitis in actibus Apostolorum: Quia erant illis omnia communia, & distribuebatur unicuiq;, sicut cuiq; opus erat.

CONsidera 1mo. Postquàm Sanctus Legislator posuerit præceptum, ut ejus sequaces religiosi habeant omnia communia, ut servent paupertatem, & fugiant proprietatem, statim subjungit: *Et distribuatur à Præposito vestro unicuiq; victus & tegumentum:* ut doceat Superiores Religionum, vel Officiales eorum, quòd religiosi tenentur quidem ad vitandam proprietatem, & servandam vitam communem, sed etiam simul tenentur Superiores, & eorum Officiales, ut suis inferioribus distribuant victum & tegumentum

mentum, ut provideant illis omnia necessaria, statui religioso convenientia, supposito quòd sit sufficiens Fundatio pro victu & tegumentis. Et ratio est hujus, quia dum Superiores non provident suis inferioribus omnia illis necessaria, dant illis occasionem proprietatis. Unde Rm̃us Humbertus, inter occasiones proprietatis, *imam* occasionem posuit indigentiam, quæ indigentia in religiosis est, tunc quando illis Superiores non provident id, quod pertinet ad vitam honestè & ritè servandam. Ne ergo hæc indigentia in religiosis causet proprietatem, omni modô debent Superiores ad id incumbere, ut suis religiosis quantum possunt provideant necessaria. Videant ergo hic supremi Ordinum Prælati, qui sufficientes proventus percipiunt, & tamen subditis necessaria non provident, sed panem pauperum in apparentiam, & pompam inanem, vel comitatum superfluum convertunt, videant inquam, quantum peccent, quòd plerumq; religiosis fiant occasio proprietatis committendæ. Ubi verò deest sufficientia pro vestimentis comparandis, (ut practicatur in religionibus illis quarum bona ad commendas Prælatorum sæcularium transierunt) ibi non est tanta obligatio Prælatorum, in providendis necessariis.

Considera *2do.* Sicut unicuiq; mandavit S. Legislator servare vitam communem, ita unicuiq; mandavit distribuere necessaria, ad victum & tegumentum: *Et distribuatur unicuiq;*, ut discant Superiores, non tantùm Patribus emeritis, non tantùm Patribus Jubilatis, & Doctoribus, sed etiam unicuiq; Fratri minimo, & infimo, providere hæc, quæ conveniunt debito victui, & tegumento religioso. Sicut enim Supremus rerum omnium Modera-

tor

tor DEUS, non est acceptor personarum, sed pariter Regi, Principi, Senatori, nobili, ac abjectissimo cuiq; rustico, providet auxilia sufficientia, quibus adjuvantibus sicut Rex & Princeps, ita & rusticus salvari possit: ita & Superiores, qui in loco DEI constituuntur, Familiarum religiosarum moderatores, non debent esse acceptores personarum, sed singulis suis subditis tenentur in conscientia providere hæc, ex quorum defectu, subditi illorum deficiunt ab observantia regulari, & amittunt amorem proficiendi in his virtutibus, ad quas exercendas se per vota obligârunt.

Considera *3tio.* Quare Sanctus Legislator præcipiat expressè distribui victum & tegumentum, non autem pecuniam pro victu & tegumento? Ratio est *1ma:* ut amoveat occasionem avaritiæ in colligenda sensim pecunia, pro futuris quasi casibus, & aliis circumstantiis. Ratio *2da*, ut amoveat occasionem proprietatis, quæ plerumq; radicatur in religiosis, dum sibi ipsis comparant necessaria, ex distributa pecunia. Ratio *3tia*, ut amoveat occasionem ebrietatis, compotationum occultarum post silentium, lusum alearum vel chartarum, & aliorum similium abusuum, ut donationum mutuarum &c. Ratio *4ta*, ut doceat vitam communem professos, quòd ad prædictam vitam honestè sustentandam, nihil possint exigere, vel prætendere à suis Superioribus, nisi victum & tegumentum. Ratio *5ta*, tandem præcipit S. Legislator, quatenus ipse Præpositus distribuat victum & tegumentum, & tollat abusum in religiosis, qui fastidioso supercilio portiones religiosas quasi insipidas abominantur, aliasq; sibi in domibus confidentiæ privatæ procurant: similiter ut tollat abusum in illis, qui à forma regulari in vestibus regularibus

rece-

recedunt, & in sæculari plerumq; sibi complacent; taliq; forma vestes sibi comparant: Ut ergo tollantur ejusmodi abusus, præcepit S. Legislator & victum & tegumentum distribuendum esse à Superioribus.

Evidens igitur est, quòd Regula S. Augustini, jubeat victum & tegumentum distribui religiosis, consequenter ubi in Monasteriis juxta Regulam S. Augustini viventibus, distribuitur pecunia, hæc consvetudo è diametro opponitur menti S. Augustini, consequenter hic abusus tollendus esse videtur, ut satisfiat menti & intentioni S. Legislatoris. Unde Rm̃us Humbertus hoc loco dicit: *Illa consvetudo, quæ dat certam pecuniam, certo tempore pro vestibus, aut aliis necessariis cuilibet, omnino est reprobanda, non solùm quia est materia proprietatis, sed quia est contra Regulam, quæ dicit: non pecuniam, sed victum & vestimentum esse distribuendum.* Tu examina conscientiam tuam, qualiter te gesseris, in victu & tegumento, vel in pecunia, si tibi hæc aliquando distribuitur, inspice interna cordis tui, & vide, si distributa pecunia non fuit tibi occasio proprietatis, ebrietatis, dissolutionis, si religiosis portionibus contentus fuisti? item si tegumentum magis formæ religiosæ, quàm sæculari accommodare consvevisti? quidquid autem ex his defectibus in te reperies, abhinc exclude, & paratus esto, fieri contentus victu illo, & tegumentô, quem tibi Superior distribuerit, vel illũ amovere, qui illi displicuerit.

Considera 4*to*. Quòd Sanctus Legislator jubeat quidem omnibus distribui necessaria, cæterum tamen in hac distributione jubet servare quendam modum, & in æqualitatem, dum dicit: *Non æqualiter omnibus:* & statim subjungit rationem: *quia non æqualiter valetis omnes.* In omni

enim

enim Religione non omnes sunt æquales personæ, & non æqualiter laborant, & merentur, quia non omnes æqualia dona habent, ut patet ex Paulo Apostolo dicente: *Alii datur per Spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ, secundùm eundem spiritum, alteri fides in eodem spiritu, alii gratia sanitatum in uno spiritu, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera lingvarum, alii interpretatio sermonum.* Præterea idem Apostolus 1ma ad Corinthios 12. inquit: *Et quosdam quidem posuit DEUS in Ecclesia 1mum Apostolos, 2do Prophetas, 3tio Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera lingvarum, interpretationes sermonum. Nunquid omnes Apostoli? nunquid omnes Prophetæ? nunquid omnes Doctores? nunquid omnes virtutes? nunquid omnes gratiam habent curationum? nunquid omnes lingvis loquuntur? nunquid omnes interpretantur?* Unde in omni Religione, alii sunt Præpositi Generales, & Capita Ordinum, alii Vicarii Generales, vel Commissarii, alii Provinciales seu Visitatores Provinciarum, alii Superiores subalterni, alii Doctores, & Professores, alii Prædicatores, alii Magistri Novitiorum, alii elaborati & veterani Senes ac Jubilati: Cùm ergo non omnes æqualiter valeant, non omnes æqualiter desudent, non omnes æqualiter operentur, justissimum est, ut non omnes æqualiter præmientur, & non omnes æqualiter necessaria accipiant. Cui ergo molestum videtur, dum hæc inæqualitas in Religionibus observatur, respiciat se non æqualiter valere, non æqualiter laborare, & non æqualiter mereri, consequenter nullam molestiam sentiet, & se ipsum indignum judicabit, æquali cum aliis distributione, vel præmiô.

EXPOSITIO ET MEDITATIO VII.

Qui aliquid habebant in sæculo, quando ingressi sunt Monasterium, libenter velint illud esse commune.

COnsidera *1mo.* Quare Sanctus Legislator, illis, qui jam ingressi sunt Monasterium, non injungat primario, & ante omnia, ut v.g. humilitati insistant, orationi incumbant, superbiam fugiant, sed potiùs hoc jubet, ut si aliquid habebant in sæculo, illud velint esse commune. Post expletam verò hanc obligationem, ut cæteras virtutes æmulentur, demandat. Cujus ratio est: quia prima conditio ingredientis, & profitentis vota, ad perfectionem acquirendam, est abdicatio omnium bonorum temporalium: ut certum est ex doctrina ipsius Christi Domini, qui cùm interrogaretur à quodam, quid facturus sit, ut vitam æternam possideat? responsum accepit à Christo Domino: *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia, & da pauperibus:* Hanc ergo *1mam* conditionem, ut impleant ingredientes Monasterium, & profitentes vitam regularem, id faciendum proposuit, in quo consistit prædicta conditio, quod non est aliquid aliud, nisi bona temporalia, facere communia, seclusâ omni singularitatis umbrâ. *2da* ratio est, quia qui id, quod habet, non facit commune, illud possidet, aut vult possidere in singulari, continuò de hoc cogitat, & meditatur; hæc autem continua cogitatio de bonis temporalibus, impedit hominem à cogitatione de bonis æternis

nis, à qua ut non impediantur Viri religiosi, injunxit S. Legislator, ut totum quidquid habent, faciant commune. Nec aliquid injustum, aut insolitum injunxit S. Legislator, quando injunxit totum faciendum esse commune: contractus enim Religionis cum Viro religioso, est similis contractui Matrimoniali: porrò in contractu Matrimoniali bona conjugum fiunt communia, quid mirùm, si fiant communia in contractu Religionis? imò à fortiori magìs debent esse communia, quia in contractu Matrimoniali, ex nulla parte fit abdicatio fortunæ, per votum matrimoniale, fit autem in contractu religioso, per votum paupertatis. Deinde qui ingreditur Religionem, dat se totum, & quasi se totum facit communem toti Religioni, sicut anima dat se in constitutionem toti homini: Si ergo dat se totum, multò magis debet dare & id, quod habet, quia accessorium sequitur principale.

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, non recusa facere id totum commune, quidquid habes: respice apes extra alveare volitantes, hæ singulæ divisim mellifluum cæli rorem colligunt, & tam diù illum tanquam proprium in sinu suo retinent, quàm diù sunt extra in àëre, sed cùm jam alveare, tanquam suum domicilium ingrediuntur, totum quidquid collegerunt, faciunt commune. Harum igitur avicularum doctus exemplô, similem æmulare virtutem, & sic ex vita communi, dulces consolationis in anima tua percipies favos. Domine JESU Christe, cofiteor coram te, quòd adhæsit pavimento anima mea, hoc est, adhæsit bonis temporalibus, & transitoriis, proinde vivifica me secundùm verbum tuum, ut vivo spiritu, & vivô zelô, contemnam omnia temporalia,

& illa singula, faciam communia omnibus, mecum vitam profitentibus.

Considera *2do.* Quòd omne bonum nostrum, possit fieri commune dupliciter: vel quò ad substantiam, vel quò ad modum. Tunc fit commune quò ad substantiam, quando aliqua res ipsa, secundùm se præcisè spectata, deponitur in communi, præscindendo à circumstantiis. Tunc autem fit aliquid commune quò ad modum, quando non solùm res ipsa deponitur in communi, vel conceditur ad usum aliis, sed etiam in hoc ipso servatur quidam modus, & circumstantiæ cohonestantes modum. Dum ergo S. Legislator injungit, ut ingredientes Religionem, faciant totum quidquid habent, commune, injungit totum faciendum esse non tantùm quò ad substantiám, sed etiam quò ad modum, non tantùm enim jubet ut velint commune, sed etiam addit: *ut libenter velint*, per quod injungit modum, & circumstantiam, qualiter aliquid fit faciendum commune. Parum ergo est, facere aliquid commune, quò ad substantiam, sed facere quò ad modum, seu libenter, promptè, & alacriter, hoc magnum, hoc sublime, & heroicum reputatur, ac DEO ita placet, ut semper alacrem respiciat, & præmiet animum. Videamus primum in orbe sacrificium: Obtulit Cain munera terræ Domino, obtulit & Abel, & respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus, ad Cain verò & ad munera ejus non respexit. *Genes. Cap. 4.* Quare ergo ad 1mum respexit, non ad 2dum, nempè quia Abel libenter, promptè, & alacriter obtulit, Cain autem simili promptitudine, & alacritate caruit in offerendo. Comprobatur hoc ipsum in sacrificio Abrahæ, mandavit ei DEUS per Angelum, ut DEO filium suum daret

ret

ret in sacrificium, audita hac voluntate Abraham, illico paret mandatis DEI, statim præparat ligna pro holocausto, filium suum unigenitum alligat, & ponit in altare super struem lignorum, extendit manum, arripit gladium, ut immolet filium suum. Dum hæc libenter peragit, & ecce Angelus clamat de cælo: *Non extendas manum tuam super puerum, neq; facias illi quidquam, nunc cognovi, quòd timeas Dominum, & non pepercisti unigenito filio tuo, propter me. Genes. Cap. 22.* Sic ergo DEUS libentem & promptum animum Abrahæ æstimavit, ut licèt juberet filium immolari sibi, tamen postea sola ipsius voluntate contentus est. Tantum igitur placet DEO nostræ voluntatis promptitudo, ut sæpissimè facta & opera à nobis non exigat, sed delectetur sola nostra libenti voluntate. Et hanc ipsam primario à nobis videtur exigere S. Legislator, non dicit enim, *libenter faciant esse commune*, sed *libenter velint commune*: ut ostendat, quòd à nobis magis exigit libentem voluntatem, quàm aliquid aliud: libens enim & prompta voluntas, est gratissimum DEO sacrificium, & ita præmiatur, ac ipsum factum, ut patet in Abraham, qui licèt non permissus fuerit immolare ipsô factô filium suum, tamen quia libenter voluit immolare, pro hoc ipso libenti velle, DEUS ipsi innumera contulit beneficia. *Quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, & velut arenam, quæ est in littore maris: possidebit semen tuum portas inimicorum tuorum, & omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ.* Genes. Cap. 22.

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, scias, quòd non sufficiat facere aliquid commune, sed opus est face-

facere libenter, & quidquid aliud ages, tunc bene ages, quando libenter illud voles, & libenter perficies.

EXPOSITIO
ET
MEDITATIO VIII.

Qui autem non habebant, non ea quærant in Monasterio, quæ nec foris habere potuerunt,

COnſidera *1mo.* Quòd 4plicis generis homines reperiantur in Religionibus: *1mi generis homines*, ſunt, qui licèt in ſæculo pauperes fuerint, licèt in mundo planè mendicato pane vixerint,, tamen poſtquam miſeratione Divinâ, erepti ſunt de miſeria ſæculi, quærunt in Religione abundantiam, & omnium rerum juxta ſuum guſtum, velle & placitum ſufficientiam, quam ſi non habuerint, murmurant. *2di generis homines*, ingredientes Religionem, ſunt divites & fortunati, nihilominus in Religione divitias non quærunt, ſed eas contemnunt. *3tii generis homines* in Religionibus inveniuntur tales, qui non tantùm abundantiam, vel ſufficientiam omnimodam, ſed etiam delicata, ſeu delicias & voluptates quærunt, ita ut non ſint contenti ordinario victu & amictu, ſed omnia extraordiria, & ſpecialia prætendunt. *4ti generis homines* inveniuntur tales, qui licèt in mundo, ſine gratia & honore fuerunt, tamen in Religione gratias, honores quærunt. Dum ergo S. Legislator injungit omnibus, ut ea non quærant in Monaſterio, quæ nec foris habere potuerunt, injungit, ut non quærant exquiſitè abundantiam, delicias, voluptateſq;

tesq; carnis extraordinarias, & tandem ut non quærant honores, & gratias speciales *vg.* exemptiones, tanquam sibi debitas.

Qui ergo Regulam S Legislatoris profiteris, expende in quo genere hominum contineris, si pauper fuisti, quô jure potes exigere superfluam abundantiam? nonne satis tibi erit, si habeas ex gratia DEI, & provisione religionis, temperatam sufficientiam. Utiq; non hoc fine ingressus es Religionem, ut esses dives, ut abundares omnibus ad satietatem, sed hoc fine venisti, ut esses pauper, & propter hoc ipsum paupertatis votum amplexus es, quomodo igitur audes divitias & opulentiam in Religione quærere: absurdum est, quòd ditior vis esse religiosus, quàm fuisti sæcularis, & quòd majorem prætendis abundantiam sub paupere Christo, quàm habuisti sub divite diabolo, detestabile est, quòd ampliorem opulentiam vis congregare in vovente spontaneam paupertatem religione, quàm habuisti in referto apparentibus thesauris mundo.

Si in 2do genere hominum contineris, & non quæris divitias in Religione, optime te geris, & perseveres in hoc exercitio usq; ad mortem.

Si sub 3tio hominum genere contineris, & delicias carnis, voluptatesq; sensuum venaris, & extraordinarias commoditates affectas, recordare, quòd omnis, qui venit ad Religionem, non delicias, sed tribulationes, afflictiones corporis, abnegationem sui debeat quærere: juxta doctrinam ipsius Christi Domini dicentis: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me:* Porrò abnegare seipsum, & tollere crucem, non est deliciari, sed propter DEUM, tribulationibus mentis, & afflictionibus corporis castigari. Si

Si in 4to hominum genere contineris, & gratiam specialem Religionis, & honores quæris, judica te ipsum, si aliqua dignus es gratia, vel honore. *Cùm enim quis odiô dignus sit, quâ fronte gratiam requirit? Cui pœna debetur, quâ temeritate gloriam deposcit? Lacessit judicem, qui postposita satisfactione delicti, quærit præmiis honorari. Regi insultat obnoxius supplicio, qui donari flagitat indebito bravio, & dulcem affectum Patris, stultus exacerbat filius, qui post illatas contumelias, ante pœnitudinem, hæreditatis usurpat celsitudinem.* S. Aug. lib. medit: Cap. 3.

Proinde ita te in omnibus geras, ut non subjaceas S. Bernardi reprehensioni, in qua dicit: *Pleriq; in Domo DEI non patiuntur haberi contemptui, qui in sua nonnisi contemptibiles esse potuerunt, ibiq; volunt honorabiles videri, ubi honores ab omnibus contemnuntur. Magna abusio! ut in loco paupertatis, ubi divites incurrunt penuriam, pauperes quærunt abundantiam: in loco afflictionis, ubi delicati mortificantur, homines rusticani quærunt delicias: in loco ubi viri honorati eligunt abijci, ibi abjecti quærunt honorari.*

Considera 2*do*. Quænam sit radix, origo & principium hujus defectûs, quòd multi Religionem intrantes, quærunt ea in Monasterio, quæ in sæculo habere non potuerunt *vg.* quærunt abundantiam, licèt in mundo miserrimè vixerint, quærunt honores, licèt in mundo sine honore despecti sterilescerent. Itaq; radix, origo, & principium hujus, est prava & mala intentio illa, quâ ingressi sunt Monasterium, intentio inquam hæc: quia ingressi sunt Religionem hoc fine, & hoc motivô, ut ibi abundantiam haberent, quam in sæculo non habebant, alii autem hâc intentione & fine, ut ibi voluptate carnis, deliciis appetitûs, &

guſtûs uterentur, quibus in ſæculo propter egeſtatem uti nequibant, alii demum hoc fine, ut in religione fierent Abbates, Præpoſiti, Priores, Doctores, Commiſſarii, & quia hac intentione ingreſſi ſunt, ideò etiam hæc ſolùm quærunt, non autem profectum ſpiritualem, & ſic continuò agunt contra obloquentiam Regulæ, quærentes ea in Monaſterio, quæ in ſæculo habere non potuerunt. Has intentiones pulchrè enumeravit Navarrus, dicens: *Alius ingreditur parentum metu, vel importunitate, alius ut ſe de illis vindicet, ingerendo illis dolorem, alius ut vitet juſtas reprehenſiones, fugiat curas, laborem, egeſtatem, opprobrium, vel contemptum aliorum, alius ut fiat Abbas, Prior, Commendatárius, Beneficiarius, alius, quia priùs ira, levitate, timore mortis, vel alia de cauſa, quam devotionis vovit ingreſſum.* Hæc ſunt principia, hæ radices, quòd plerumq; ea quæramus in Monaſteriis, quæ in ſæculo nunquam habere poteramus.

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, examina te ipſum, an hæc radix in te non hæreat? perpende quali intentione ingreſſus es Religionem, an propter eſum, an propter JESUM? an ideo, ut modum vivendi habeas? quem in ſæculo non habuiſti, an ideo tantùm, ut non ſis ſolicitus de victu, amictu, aliiſq; neceſſariis? vel ideo, ut honores, Prælaturas, & Beneficia in Religione aſſequaris? quod ſi ex hac mala intentione, alia iterùm mala operaris, extorquendo hæc à Superioribus, quæ nunquam in ſæculo habuiſſes, vide quòd talis vivendi in Religione modus, ſit prohibitus per Regulam, adeòq; illicitus.

Conſidera *3tio.* Quòd duplicia bona ſunt, quæ ſolent, aut poſſunt quæri in Religione, alia bona ſpiritualia, alia temporalia. Bona temporalia ſunt illa, quæ tantùm ad

tempus haberi possunt in hac vita, ut sunt fortuna, honor, pecunia, villæ, victus, amictus, &c. &c. Bona spiritualia sunt illa, quæ dum acquiruntur ab anima, non tantùm in hac, sed etiam in altera vita, manere nobiscum possunt, ut sunt virtutes, pia merita, perfectio religiosa, amor DEI & proximi, &c. &c. Dum ergo Sanctus Legislator prohibet ea bona quærere in Monasterio, quæ nec in sæculo habere potuimus, prohibet quærere bona temporalia, idq; tantum superflua, & statui religioso repugnantia, non autem spiritualia, scilicet non prohibet quærere eas virtutes in Monasterio, quas non habuimus, nec habere potuimus in mundo, imò potiùs totum vitæ religiosæ institutum in hoc consistit, ut omnia illa quæramus in Monasteriis Religionis, & locis occultis, quæ nunquam habuissemus, vel assecuti fuissemus, si mundum, & amatores ejus non reliquissemus. Si igitur hactenus tenebaris cupiditate acquirendi bona temporalia in Religione, quæ in mundo acquirere, tibi nunquam modus adesset, muta hanc pravam cupiditatem in sanctum desiderium acquirendi ea bona spiritualia in Religione, quibus caruisti extra Religionem. Caruisti humilitate in mundo, hic eam disce acquirere, caruisti obedientiâ, castitate, modestiâ, lenitate, patientiâ, fortitudine, &c: hic campum & locum habes, ista omnia acquirendi; quia sicut in Religionibus est obligatio deserendi & non quærendi bona temporalia, ita è converso est similis obligatio quærendi bona spiritualia. Expende igitur, utrum aliquando studuisti acquirendis his bonis spiritualibus?

EXPO-

EXPOSITIO
ET
MEDITATIO IX.

Sed tamen eorum infirmitati, quod opus est tribuatur, etsi paupertas eorum, quando foris erant, nec ipsa necessaria poterat invenire.

COnsidera *1mo.* Quanta sit benignitas, quanta svavitas & discretio S. Legislatoris: in præcedenti immediatè puncto suæ Regulæ mandavit, ut religiosi ea non quærerent in Monasterio, quæ habere non poterant in sæculo, tamen casu quo quærerent id in Monasterio, quod non habuerunt in sæculo, non mandavit S. Legislator, ut rigorosè puniantur, sed injunxit, ut illis tantum detur, quantum opus est, dum inquit: *Sed tamen eorum infirmitati, quod opus est, tribuatur:* nempè voluit docere Prælatos & Superiores Ordinum, ut quo affectu detestantur vitia, eodem debeant indulgere & infirmitati subditorum, si in aliquo deliquerint, exemplô Christi Domìni, qui & cum publicanis & peccatoribus manducavit, & mulierem in adulterio deprehensam non condemnavìt, sed paternè admonitam, cum benignitate liberam dimisit. Discant ergo hìc Superiores Religionum, qualiter se debeant gerere in ferendis præceptis, & in puniendis delinquentibus, contra eadem præcepta: nimirùm discant rigori svavitatem, indignationi benignitatem, increpationi lenitatem admiscere. Tu qui Superiorem agis, examina te ipsum, qualiter te gesseris in tuo regimine. Tu autem qui subesse

teneris, muta infirmitatem tuam, in fortitudinem ſpiritûs, ut nihil ſuperfluum, & inutile quæras.

Conſidera *2do.* Quòd defectus contra Regulam, duplex cogitari poſſit, alius defectus eſt ex infirmitate, alius ex malitia. Defectus ex infirmitate, eſt actio difformis Regulæ facta, ſeu proveniens ex vehementiori paſſione, aut ex vehementi tentatione, aut ſuggeſtione dæmonis, vel ex vehementi motu appetitûs ſenſitivi. Defectus ex malitia, eſt actio difformis Regulæ, proveniens ex deliberata malitia, & conſulta intentione, *vg.* dum aliquis transgreditur conſultò legem, licet ſciat quòd hæc lex, obliget ipſum, & licèt poſſit hanc transgreſſionem evitare, imò, quando ideo hoc facit, quia ſcit, quòd hoc facere, ſit peccatum: talia peccata ex malitia, ſunt plerumq; illa, quæ fiunt ex contemptu legis, Superioris, Regulæ, Principis &c. Quando ergo Sanctus Legislator permittit quærentibus ea in Monaſterio, quæ in ſæculo habere non poterant, ut illis tribuatur id totum, quod opus eſt, permittit hoc quærentibus ex infirmitate, non ex malitia: unde expreſsè dicit: *Sed tamen eorum infirmitati quod opus eſt tribuatur:* ut ſic obturet os loquentium iniqua, & claudat campum quærulandi malitiosè peccantibus.

Qui ergo ingreſſus es Religionem, & in illa quæris, quæ in ſæculo habere non potuiſti, examina te ipſum, qualiter hæc quæſiviſti à Superioribus, an ex infirmitate? an ex, & in humilitate? an imperiosè, & deliberata ex malitia, quaſi tibi hæc ex officio, vel debito deberentur? quod ſi ita eſt, hunc abuſum reſcindas, & amoveas.

EXPO-

EXPOSITIO
ET
MEDITATIO X.

Tantùm non ideo se putent esse felices, quia invenerunt victum & tegumentum, quale foris invenire non poterant.

COnsidera *1mo.* Quòd tanta sit plurimorum obcæcatio, ut putent se jam ex omni parte beatos, felices, ac fortunatos esse, quando habent, & assequuntur temporalia, *vg.* victum & tegumentum: & cùm stultè censeant, in hoc suam felicitatem consistere, aliam felicitatem non curant, & sic tepidi, negligentes, & somnolenti fiunt, studiis & scientiæ incumbere nolunt, jactantes se posse vivere, etiamsi Philosophi & Theologi non fuerint, honestum & generosum nihil curant, sed abjectis & solis inutilibus delectantur, contenti hôc solô, quòd habeant sufficientiam edendi, bibendi, & vestiendi. Unde dum applicantur ad tractanda studia, subterfugiunt ab illis, quia malunt ad illum particularem locum destinari, in quo sperant majora commoda temporalia, quàm ad locum studii, in quo æqualia vel similia commoda non sperànt se habituros. Sed brutorum est hæc felicitas, non hominum; animalium & ferarum est hæc beatitudo, non animarum DEO per vota religiosa dicatarum. Sanctus ergo Legislator occurrens tanto abusui, expresse dicit: *Tantum non ideo se putent esse felices, quia invenerunt victum & tegumentum.*

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, perpende,

de, utrum & tu totam felicitatem tuam non reponis in hoc solo, quòd habeas omnia necessaria ad vitam temporalem sustinendam convenientia? & sic fortè plerumq; dicis: *habeo quô vestiar* &c. *plura non curo*: sed stulta est cogitatio ista: siquidem etiam equi habent quid comedant & bibant, habent quô vestiantur: induuntur enim frenis aureis, ephippiis argenteis, aliisq; pretiosis clenodiis, & tamen sunt equi &c: licèt enim habeas ista omnia, tamen plura adhuc curare debes, nempè profectum spiritualem, Regulæ observantiam, scientiam & observationem & eruditionem: non sterilescas ergo in luto, tuæ abjectionis, sed cùm habes temporalia, etiam spiritualia æmulare, ut evadas vir secundum cor DEI.

Considera *2do.* In quo consistit felicitas viri religiosi: felicitas ergo viri religiosi, non consistit in hoc, quòd habeat victum & tegumentum, sed potiùs consistit in multis aliis; & *1mo* consistit originaliter in vocatione Divina, ad statum regularem: sicut enim magna felicitas est infidelis, quando hic de tenebris errorum suorum, vocatur à DEO ad fidem veram, ita magna felicitas viri Christiani est, quòd de laqueo mundi, ex unica DEI gratia vocatus sit ad religionem: prædicta enim vocatio Divina, est primum pignus felicitatis æternæ, seu signum prædestinationis.

2do. Præsens felicitas viri religiosi, consistit in actu professionis, per hanc enim, DEO ipsi consecratur, diabolo eripitur, per hanc subijcit se DEO, & certare incipit cum diabolo, per hanc pauper fit in fortuna, sed dives in spiritu, obediens Christo, resistens inferno, per hanc manet homo in corpore, sed Angelus castitate. Professio desponsat hominem cælo, incorporat societati Sanctorum,

aperit

aperit viam ad participanda omnia merita, privilegia, & gratias toti Religioni concessas: & sicut Baptismus ab infante susceptus, tollit in ipso peccatum originale, ita Professio ex opere operantis, tollit in omni vovente, & contrito, omnia peccata personalia, unde à SS. Patribus vocatur per similitudinem: *alter Baptismus.*

3tio. Præsens felicitas viri religiosi, consistit in commodo, & felicitate DEO serviendi; religiosus enim majus habet commodum orandi, meditandi, jejunandi, vigilandi: majorem habet facilitatem & aptitudinem se ipsum mortificandi, & totaliter vitam suam corrigendi: nam si vult jejunare, disciplinari, seipsum frangere, habet ad ista omnia temporis, loci, & Superiorum facultatem. Religiosus si cadit, faciliùs erigitur, si dormit in obsequio Divino, citiùs excitatur, si frigescit, accenditur, si tepescit, ad fervorem reducitur, & semper tantum habet commodi ad serviendum piè & devotè DEO, quantum, quando, & quomodo vult servire eidem.

4to. Præsens religiosi felicitas, consistit in sublatione omnium impedimentorum, ad operandam salutem animæ suæ: impedimenta enim operandæ salutis, est solicitudo quotidiana circa bona temporalia, propria voluntas & libertas; carnis insolentia, conversatio inter homines, negotia publica, vel privata, temporis angustia, loci ineptitudo &c: quæ omnia impedimenta tolluntur in viro religioso: tollitur solicitudo (saltem quotidiana) circa bona temporalia, quia viro religioso, si non omnia, saltim majori ex parte debet Superior providere necessaria, ad sustentandam honestè vitam suam: temperatur propria libertas, quia ligatur obedientiâ, tollitur, vel saltim diminuitur

nuitur carnis insolentia, quia frænatur votô castitatis, & mortificationibus corporis, si hæ fuerint adhibitæ: tollitur conversatio per custodiam cellæ propriæ, tractatio negotiorum, per resignationem omnium ex voto paupertatis fluentem, temporis & loci ineptitudo tollitur per ordinatam horarum, diei, & loci dispositionem.

5to. Præsens felicitas religiosi consistit in actuali participatione meritorum communium Religioni, & in abundantia cæterorum donorum spiritualium, quibus nunquam ita abundaret, vel nunquam ita illa participaret, si in sæculo viveret.

6to. Præsens felicitas viri religiosi consistit in consortio virorum piorum, exemplarium, & perfectorum, si enim putamus nos esse felices, quando associamur Senatui Regni, vel alicujus Reipublicæ, quantò magis debemus nos felices æstimare, quando incorporamur Senatui virorum Sanctorum, ad regnum cæleste pertinentium.

7mo. Felicitas viri religiosi consistit in hoc, quòd sit remotus à mundo, & non habitet in tabernaculis peccatorum, juxta illud Psal: 83. *Elegi abjectus esse in Domo DEI mei: magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum.*

8vo. Felicitas viri religiosi consistit in pace interna, & externa: si enim vir religiosus vivens in claustro, totum se ita composuerit, sicut ei expedit, & requiritur: si totam Regulam & constitutiones impleverit, si se in religiosa cella indispensabiliter & assiduò conservaverit, si se totaliter abnegaverit, talem pacem acquirit, in qua illum nulla adversitas perturbare potest, ut constat ex praxi omnium taliter viventium. Sicut enim Christus Dominus dedit & reliquit pacem collegio Apostolico, juxta

illa

illa verba: *Pacem meam do vobis: pacem meam relinquo vobis:* ita & omni collegio religioso pacem eandem dedit, & reliquit, dummodo eam viri religiosi non impediant.

9no. Felicitas viri religiosi consistit in illa beatitudine, qualis est capax præsens vita humana, juxta Psalmistam dicentem: *Beati qui habitant in Domo tua Domine: in sæcula sæculorum laudabunt te.* Ps. 33.

10mo. Felicitas viri religiosi consistit in illa benedictione, quam quilibet Legislator & Fundator dedit, & providet suæ Religioni, juxta illud Psal: 83. *Etenim benedictionem dabit Legislator, ibunt de virtute in virtutem · videbitur DEUS Deorum in Sion.*

11mo. Felicitas viri religiosi consistit in illa sanctitate, quam habet quælibet Religio ex primo suo Instituto, & approbatione S. Sedis Apostolicæ: sicut enim Institutum Religionis est sanctum, sicut Approbatio Apostolica est sancta, sicut Fundatores sunt sancti, ita & omnis Religio est sancta: conformiter ad illa verba Psal: 99. *Domum tuam Domine decet sanctitudo, in longitudinem dierum.* Hac autem sanctitate gaudet omnis ille, quicunq; Religionem suam profitetur.

12mo. Felicitas viri religiosi consistit in voluptate illa, quam habuit Paradisus: sicut in Paradiso erat lignum vitæ, & lignum scientiæ boni & mali, ita in qualibet Religione est lignum vitæ, quia ibi datur omnis instructio ad vitam æternam: est lignum scientiæ boni & mali, quia ibi datur educatio ad omne bonum: & præcautio ad omne malum fugiendum. Sicut in Paradiso erat fluvius ad irrigandum Paradisum, ita in omni Religione datur fluvius Regulæ, qui irrigat totam Religionem. Omnis ergo

ligio est quidam Paradisus, in quo viventes fruuntur ligno vitæ, & ligno scientiæ boni & mali. In Paradiso prohibitum erat vesci de ligno vitæ, & de ligno scientiæ: in Religione autem liberrimùm est utrôq; hôc lignô vesci, refici, & satiari.

13tio. Felicitas viri religiosi consistit in hoc, quòd dies una bene transacta in Religione, sit melior millenis diebus in sæculo perperam transactis: conformiter ad illud Psal: 83. *Melior est dies una in atriis tuis, super millia.*

14to. Felicitas viri religiosi consistit in fiducia & securitate melioris mortis. Hæc fiducia oritur partim ex strictiori & meliori vita, quàm foret in sæculo: partim ex cura, diligentia, applicatione, & charitate Superiorum ad mortem disponentium, eiq; vigilantium, partim ex assistentia Patrum spiritualium ex omni præsentium, & aliorum fratrum sine intermissione orantium, partim ex frequentia Missarum pro agonizantibus celebrari solitarum, &c. &c.

15to. Tandem felicitas viri religiosi, consistit in majori suffragio post mortem, quia pro uno viro religioso, orat tota Religio, pro viro autem mundano, non orat totus mundus.

Qui ergo Regulam Sancti Legislatoris profiteris, non reponas tuam felicitatem in victu, & amictu, aliisq; commodis temporalibus, sed in bonis spiritualibus superiùs enumeratis, & aliis, quæcunq; in Religione contingere possunt.

EX-

EXPOSITIO
ET
MEDITATIO XI.

Nec erigant cervicem, quia sociantur eis, ad quos foris accedere non audebant.

COnsidera *1mo.* Quòd inter innumera Providentiæ, & Bonitatis Divinæ, admiranda opera, hoc speciale & admirandum opus sit, quòd DEUS, infima summis, minima maximis societ, & conjungat: sic Davidem adhuc puerum, gregesq; pascentem, primò ad triumphalem de Philistæo victoriam, deinde ad thronum soliumq; Isràël vocavit, & cum primis terrarum regibus sociavit, paremq; imò illis majorem effecit: sic & Petrum è Piscatore, Principem Apostolorum declaravit, talemq; potestatem tribuit, qualem nullus hominum ante ipsum habuit, præter ipsum Christum Dominum. Tantum ergo beneficium DEI non potens comprehendere, & satis dignè non valens laudare Psalmista, exclamavit: *Quis sicut Dominus DEUS noster? qui in altis habitat: & humilia respicit in cælo & in terra: suscitans à terra inopem, & de stercore erigens pauperem: ut collocet eum cum Principibus, cum Principibus populi sui.* Ps. 112.

Quod DEUS fecit cum aliis, idem fecit & tecum: cùm esses in sæculo, vixisti abjectus, contemptus, & inops, DEUS ex infinita bonitate sua, suscitavit te à terra inopem, & de stercore erexit pauperem, & collocavit te cum Principibus populi sui, hoc est cum piis Religiosis & Sacerdotibus, qui sunt coram DEO Principes populi, juxta

illud Pſalmiſtæ: *Conſtitues eos Principes ſuper omnem terram* Antea fores Principum non audebas accedere, modò poſtquàm te Divina Bonitas ſacræ Religionis ſociavit numero, audacter etiam intima quæq; illorum conclavia ingrederis: antea horrebas, & trepidus à longè ſpectabas graves Prælatos, Præſules, Epiſcopos &c· modò confidenter cum illis diſcurris, familiariter converſaris, amicabiliter tractas, negotia debita: antea ultimum inter viros dignitate & doctrinâ præditos, merebaris locum, modò omnes tibi primum locum, primam authoritatem, primam æſtimationem: primam eruditionem adſcribunt. Sed quæro unde eſt hæc mutatio? certè non aliunde, niſi quia te DEUS ſociavit his ſcilicet Religioſis, hujus Religionis, quam profiteris, qui propter pietatem & doctrinam ſuam, merentur iſtum honorem, qui tibi tribuitur, & quia te ſacra Religio, poſtquàm ei aſſociatus eſſes, educavit, erudivit, promovit, & ad Præſulum Principumq; negotia tractanda ordinavit. Tu autem poſtquàm hoc aſſecutus es, erigis cervicem, quia ſociatus es his, ad quos foris accedere non audebas, multum de te præſumis, quia hos Religioſos, fratres modò habes, quos antea ut Dominos, & ſingulariſſimos Benefactores tuos venerabaris, & ex quorum manibus, fortè etiam multoties emendicatam portionem ſumebas: exiſtimas, quòd jam te nemo altior ſit, quia Præſules, Principes, Senatores familiares, & amicos, beneficio ac intuitu religionis acquiſiviſti. Sed attende quid agis? audi quid loquatur Regula: quid prohibeat S. Legislator, dum dicit: *Nec erigant cervicem, quia ſociantur eis, ad quos foris accedere non audebant.* Prohibet ſcilicet, ne ex eo ipſo cervicem erigamus, ac ſuperbiamus, quia viris

viris piis, doctis, religiosis, ac modestis sociati sumus. Recordare igitur hujus mandati, & revolve interiora cordis tui, quoties, & quando ex eo ipso cervicem erigebas, ac superbiebas, quia viris dignissimis religiosissimis sociatus es. Postmodum autem exinde humiliari discas, quòd licèt antea abjectus fueras, & contemptus, tamen te DEUS etiam sic abjectum, contemptum, incognitum, illorum adscripsit numero, qui pietate & prudentiâ, & scientiâ suâ apud DEUM, congruam mercedem, ac beatam æternitatem, apud homines primam æstimationem, & imitationem merentur.

Considera *2do.* Unde hoc in te proveniat, quòd cùm esses in sæculo, non audebas accedere familiariter ad hos, ex quorum modo societate superbis. *1mum* ergo caput & radix, fortè erat hæc: quia tibi ipsi conscius eras, vilitatis & abjectionis tuæ: sciendo te esse inferiori conditione natum, & sic habendo præ oculis hanc inferioritatem tuam, non audebas hos accedere, quos hac in parte nobiliores scivisti.

2da radix forsan erat hæc: quia cùm esses in sæculo, extrema planè paupertate adactus fuisti, ita: ut non haberes, quô nuditatem corporis tui decenter tegeres, & sic non audebas accedere illos, quos honestè, & graviter vestitos spectâsti.

3tia radix forsan erat, defectus pietatis & scientiæ, & sic non audebas accedere illos, quos pietate claros, & scientiâ præditos novisti.

4ta radix poterat esse hæc: quia scilicet nullum habuisti meritum, propter quod cum viris gravibus, piis, & doctis conversari deberes. Sed si rectè & diligenter in-

teriora cordis tui inſpicias, omnia hæc capita, omnes radices, (excepto habitu religioſo) etiam nunc in te ipſo reperies, licèt jam religioſum agis : ſi te bene examinaveris .... Quoniam ergo omnia capita, & omnes radices repeсriuntur in te, quæ antea reperiebantur, proinde ſicut antea conſcius vilitatis tuæ, cum magno timore & reverentia accedebas viros religioſos, pietate & ſapientiâ graves, ita & modo debes te gerere, ſicut non erigebas cervicem, quando ad momentum, vel horam ad conſpectum eorum admiſſus es, ita & modo non debes eandem erigere, quia unde hanc erigas, defacto non habes, cùm hæc vilitatis capita ſint tibi intima quæ antea fuerunt. Si autem aliquando, ex ſancta cum Fratribus tuis ſocietate, ſuperbam erigebas cervicem, revoca id modò, & rerognoſce vilitatem tuam, dicens : Ego ſum opprobrium hominum, & abjectio plebis, ego ſum indignus, ut tot viris piis & ſanctis aſſociatus exiſtam : illuſtra me ergo DEUS meus, ut cognoſcam vilitatem & abjectionem meam, illaq; cognita, ut non erigam cervicem de ſocietate eorum, ad quos foris accedere non audebam, &c. &c.

EXPOSITIO ET MEDITATIO XII.

Sed ſurſum cor habeant.

COnſidera 1mo. Quòd circa illud nunquam præceptum detur, ut hoc, vel aliô modô, vel ſimpliciter fiat, quod nobis à natura inditum : ſic quia à natura inditum

eſt,

eſt, & habemus erectos ad ſidera vultus, nullibi adeſt præceptum, ut erectos vultus habeamus. Pariter quia à natura demiſſos ad terram pedes recepimus, ut illis fulciamur & ambulemus, ideò nullibi invenitur præceptum, aut conſilium, ut demiſſos ad terram pedes geramus.

Licèt autem pari modô, & cor noſtrum ſurſum elevatum à natura habeamus, tamen S. Legislator ponit præceptum, ut ſurſum cor habeamus. Ad quid ergo ponendum eſt præceptum, ut ſurſum cor habeamus? quando illud ipſa natura ſurſum erectum condidit? Sed conſultiſſimè S. Legislator fecit, quòd injunxerit, ut ſurſum cor habeamus: quia licèt nos omnes à natura ipſa ſurſum cor habeamus, & ſupra erectum, tamen frequentiſſimè inditum à natura ordinem evertimus, quandò cor noſtrum non ad ſuperna, ſed ad infima convertimus. Verùm igitur eſt, quòd cor cujuslibet hominis ipſa natura erexit ſurſum, ſed non quilibet homo vitalibus cordis ſui ſpiritibus tendit ſurſum: verùm quòd natura ipſa apertum cor noſtrum verſus cælum creavit, & formavit, ſed nos cor noſtrum plerumq; claudimus cælo, & aperimus mundo, & deliciis ejus, & conſequenter eò ipsò non ſurſum, ſed deorſum cor habemus. Porrò deorſum cor habent, qui intellectum ſuum occupant quotidianis laboribus, in cognoſcendis rerum naturis, objectis, & proprietatibus, & ad cognoſcendum DEUM, ad cognoſcenda ejus beneficia, ſe tempus non habere aſſerunt: deorſum cor habent, qui voluntate ſua amant creaturas, & objecta prohibita, ad amandum autem DEUM, raro ſe convertunt: deorſum cor habent, qui memoriam implent temporalibus curis, & DEI cognoſcendi, amandi & adorandi non recor-

recordantur: adhuc deorſum cor habent illi, qui per vota Profeſſionis obligârunt ſe tendere ad perfectionem, & tamen ad eandem non tendunt, item qui bona ſua in ſæculo habita tradiderunt propter DEUM Religioni, & poſtea ſæcularium conſiliis & vanitatibus inducti, vellent ea recipere, vel minantur ſe prædicta bona recepturos, item illi deorſum cor habent, qui vitam regularem profeſſi ſunt, & tamen ſæculariter vivunt.

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, inſpice te ipſum, an ſurſum cor habeas, an deorſum? ſi deorſum habes, erige illud ad DEUM, exclamando devotiſſimè: O DEUS cordis mei! o pars mea DEUS in æternum! formâſti mihi Domine cor meum erectum, elevatum, & ego ſtultus peccator, everti ordinem formationis tuæ, depreſſi cor meum ad terrena, quando illud debueram erigere ad cæleſtia! immerſi illud vanis & tranſitoriis cupiditatibus, quando illud elevare debueram ad æterna gaudia promerenda! ſed cor meum contritum & humiliatum, DEUS non deſpicies! *paratum cor meum DEUS! paratum cor meum!* ut te ſolum cogitet, ut ad te ſolum erigatur! & ad te ſolum elevetur. Itaq; abhinc, *cor mundum crea in me DEUS! & Spiritum Sanctum, tuum, renova in viſceribus meis.*

Conſidera 2*do.* Quòd quælibet potentia hominis, tam ſpiritualis, quàm materialis, habeat ſuum objectum ad quod tendit, & ultra quod non extenditur, nec fertur in aliud objectum: ſic potentia intellectiva habet pro objecto omne & ſolum verum, potentia volitiva, omne & ſolum bonum, potentia memorativa, ſeu memoria, habet pro objecto omne præteritum, antea præcognitum, potentia

viſiva

visiva, habet pro objecto omne & solum lucido-coloratum; auditiva, omne sonorum, seu ipsum sonum; gustativa, omne soporativum; odorativa, omne odoriferum; tactiva, omne tangibile; ut docent communiter omnes Philosophi. Et potentia cordialis, seu potentia cordis humani, quid etiam, & ubi habet aliquid pro objecto, & debet habere? an supra, an infra? an hæc infima, an illa superna? defacto, sine dubio, objectum cordis humani elevati per gratiam, supra, non infra est: hoc autem supernum objectum non aliud est, nisi ipse DEUS noster Gloriosissimus: quia illud est objectum cordis humani, seu ipsius, hominis, quod est finis ultimus ejusdem cordis, seu ipsius hominis. Porrò DEUS ipse, est finis ultimus hominis, quia ille solus est, qui facit beatum hominem: *Neque facit beatum hominem, nisi qui fecit hominem*, inquit S. Augustinus, & alibi: *Quod propter se diligendum est, in eo constituitur vita beata*: consequenter solus DEUS est objectum cordis humani, ac ipsius hominis. Sicut ergo potentia intellectiva, tendit in omne & solum verum, potentia volitiva, in omne & solum bonum, visiva, in omne & solum lucido-coloratum &c: ita potentia cordis tui o! homo, debet tendere in solum DEUM.

Discas ergo o! homo, saltem à materialibus potentiis, quò debeas tendere: hæ in solum illud tendunt, quod est objectum illarum, ut ab initio demonstravi, & in aliud objectum non tendunt. Cordis tui objectum adæquatum & unicum, est ipse DEUS, ergo nunquam cor tuum feras in aliud objectum, nisi in solum DEUM, & sic internam requiem semper habebis. Modo ergo examina te ipsum, quò cor tuum hactenus tendebat? per quæ obje-

ſta vagabatur? quibus adhæſit, & immerſum eſt? quod ſi alicui objecto terreno præter DEUM adhæſit? abſtrahe illud à rebus creatis, & erige ad ſolum DEUM, dicens:

O! præſtantiſſimum cordis mei objectum, Optime ſuper omnia DEUS! vagabatur cor meum per tot, & talia objecta creata prohibita, tibi diſplicentia, & inhoneſta! ſed utinam nunquam ad illa tendiſſet! utinam nunquam illis adhæſiſſet! abhinc Domine DEUS, amator meus, non dimittam cor meum ad ullam rem creatam, niſi ad te DEUS meus, niſi ad te unica meta mea, unica conſolatio mea, *hæc requies mea in ſæculum ſæculi, hîc habitabo, quoniam elegi eam.*

Conſidera *3tio.* Quod dum *vg.* gravi ſiti teneris, illud tantùm appetis, quod tuam ſitim extingvere ſufficiens eſt: dum friges, illud tantùm optas, quod tuum frigus minuere poteſt: dum eſuris, illud tantùm optas & deſideras, quod tuum appetitum ſatiare poſſit. Cordis tui ſitis, frigus, labor, fames, nullâ aliâ re extingvi, & ſatiari poteſt, niſi DEO: ut docet S. Auguſtinus in Manuali C. 25. *Cor humanum in deſiderio æternitatis non fixum, nunquam ſtabile poteſt eſſe, ſed omni volubilitate volubilius, de alio in aliud tranſit, quærens requiem ubi non eſt. In his autem cáducis, & tranſitoriis, in quibus ejus affectus captivi tenentur, veram requiem invenire non valet, quoniam tantæ eſt dignitatis, ut nullum bonum, præter ſummum bonum, ei ſufficere poſſit.*

Quod ſi cordi humano nihil ſufficere poteſt præter ſummum bonum, quod eſt DEUS; adeòq; o! homo, nihil aliud corde tuo appetere debes, niſi ſummum bonum, ſeu DEUM. Simili modo cùm fatigaris, illum locum

quæris,

quæris, in quo verè & commodè quiescere possis: cor nostrum fatigatum, in nulla re verè quiescere potest, nisi in solo DEO, ut docet S. Augustinus Manuali Cap: 28. *Revera hæc est vera cordis requies, cùm totum in amorem DEI per desiderium figitur. Nec quidquid aliud appetit, sed in eo quod tenet, felici quadam dulcedine delectatur, delectando jucundatur. Si verò vana aliqua cogitatione, vel rerum occupatione, inde aliquantulum abstractum fuerit, summa cum festinatione illuc redire festinat, exilium reputans alibi, quàm ibi moram facere.*

Quod si cor nostrum, in nulla re verè quiescere potest, nisi in solo DEO, ergo ille solus qnærendus est, ut requiescat in illo.

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, ad nullam creaturam convertas cor tuum, quia ei nulla creatura sufficere potest, in nulla bonitate tali verè quiescere potest, sed solus DEUS est tota ejus sufficientia, plene satiativa ipsius, solus DEUS est vera, & æterna ipsius requies, solum itaq; DEUM quærere, & in illo integram sufficientiam, & perfectam quietem habebit cor tuum. *Eja nunc ergo Domine DEUS meus, tu doce cor meum, ubi & quomodo te quærat, ubi & quomodo te inveniat, Domine, si hic non es, ubi te quæram absentem? si autem ubiq; es, cur te non video præsentem? sed certè habitas lucem inaccessibilem. Sed quomodo accedam ad lucem inaccessibilem? aut quis me inducet & deducet in illam, ut videam te in illa. Deinde, quibus signis, qua facie te quæram? Nunquam te vidi Domine DEUS meus, nunquam novi faciem tuam. Quid faciet altissime Domine, quid faciet iste longinqvus exul tuus? quid faciet servus tuus anxius amore tui, & longè projectus à facie tua? En anhelat*

videre te, & nimis illi abest facies tua! Accedere ad te desiderat, & inaccessibilis est habitatio tua. Invenire te cupit, & nescit locum tuum quærere te affectat, & ignorat vultum tuum. S. Aug: in Manuali Cap. 30.

Considera *4to.* Quid sit cor sursum habere? Respondeo: cor sursum habere, nihil aliud est, nisi cor elevare ad DEUM, seu ascendere mente in DEUM. Modos seu gradus cordis sursum habendi, & ascendendi mente & corde ad DEUM, assignat Eminentissimus Cardinalis Bellarminus quindecim. Primus gradus seu modus ascendendi mente, & corde ad DEUM, est ex consideratione hominis, 2dus ex consideratione mundi majoris, 3tius ex consideratione orbis terræ, 4tus ex consideratione aquarum, 5tus ex consideratione äëris, 6tus ex consideratione ignis, 7mus ex consideratione solis, lunæ, & stellarum, 8vus ex consideratione animæ rationalis, 9nus ex consideratione Angelorum, 10mus ex consideratione essentiæ DEI, 11mus ex consideratione potentiæ DEI, 12mus ex consideratione sapientiæ theoricæ DEI, 13tius ex consideratione sapientiæ practicæ DEI, 14tus ex consideratione misericordiæ DEI, 15tus ex consideratione justitiæ DEI. Quomodo autem per hos gradus debeat fieri ascensus cordis, & mentis in DEUM, docet idem Bellarminus in suo opusculo de ascensione mentis in DEUM, per scalas rerum creatarum. Modus itaq; ascendendi corde, & mente in DEUM, juxta citatum Bellarminum, specialis est hic: quòd quælibet res creata, habet aliquas proprietates, quas habet etiam & DEUS, *vg.* aqua habet istam proprietatem, quòd lavet maculas corporis, DEUS etiam habet similem proprietatem, quòd lavet maculas cordis: ignis habet istam

pro-

proprietatem, quòd accendat omne corpus ustibile, & omne tenebrosum illustret: DEUS etiam habet similes proprietates, quòd ad amorem sui accendat animam, & in tenebris peccatorum existentem illuminet. Ex hac igitur consideratione dictarum proprietatum, & aliarum similium, potest fieri ascensus cordis & mentis ad DEUM, & ad considerandas proprietates ejusdem. Sed de hoc videatur ipse Bellarminus.

Ego autem subjungo actus, per quos fieri possit ascensus, & elevatio cordis, mentisq; ad DEUM, ex occursu vel consideratione cujuscunq; rei creatæ, & sic, si occurrit tibi homo, exclamare potes: *Quid est homo, quòd memor es ejus? aut filius hominis quoniam visitas eum?* Si occurrit tibi terra, exclamare potes: *Benedicat terra Dominum, laudet, & superexaltet eum in sæcula.* Si tibi occurrit imago vel species angeli, ex occasione hujus objecti, statim erige cor ad DEUM, & exclama: *Benedicite Angeli Domini Domino.* Si occurrit cælum, exclama: *Benedicite cæli Domino:* si occurrit aqua, exclama: *Benedicite aquæ omnes, quæ super cælos sunt, Domino,* si occurrit sol cum stellis, exclama: *Benedicite sol & luna Domino:* si occurrit imber & ros cælestis, exclama: *Benedicite omnis imber & ros Domino:* si occurrit ignis, exclama: *Benedicite ignis & æstus Domino:* si frigore & æstu premeris, exclama: *Benedicite frigus & æstus Domino,* si tibi occurrant aliqua multa simul, vel admiranda opera, exclama: *Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate, & superexaltate eum in sæcula.* Et hoc modo ex quacunq; re creata, potest fieri ascensio mentis & cordis ad DEUM, si visa vel occurrente quacunq; re creata, laudemus DEUM, accommodando sacram scripturam, vel actus SS. Patrum, ad illam rem, quæ nobis occurrit. EX-

EXPOSITIO ET MEDITATIO XIII.

Et terrena ac vana non quærant, ne incipiant esse Monasteria divitibus utilia, non pauperibus: si divites illic humiliantur, & pauperes illic inflantur.

COnsidera 1mo. Quare S. Legislator prohibuit vana & terrena quærere? Ratio 1ma est: *Ne incipiant esse Monasteria divitibus utilia, & non pauperibus: si divites illic humiliantur, & pauperes illic inflantur:* hoc est, ne sequatur hoc inconveniens, & absurdum, ut divitibus solis prosint Monasteria, non prosint autem pauperibus. Multi enim divites dum ingressi sunt Monasterium, ita reliquerunt vana & terrena, ut illa ampliùs non quærant, sed ita illa detestantur, tanquam aliquod monstrum contra naturæ ordinem eveniens; vivuntq; ita in Monasterio, ut nihil ampliùs, nisi solum DEUM, salutem animæ, & proximorum quærant. Multi autem pauperes, licèt nihil habuerint in sæculo, tamen dum ingressi sunt Monasterium, vana & terrena quærunt. Multi etiam divites in Monasterio humiliantur, pauperes autem inflantur, & superbiunt, quærentes officia & beneficia, Prælaturas, gradus, exemptiones, & eminentias. Unde cùm divites nihil quærant in Monasterio, illis prosunt Monasteria ad salutem; cùm autem pauperes plerumq; quærant vana & terrena bona superiùs expressa, eò ipsò illis nil prosunt Monasteria ad salutem, quia cupiditas quærendi vana & terrena, impe-

dit eos à quærenda salute sua, & proximi. Quod si in hac cupiditate quærendi temporalia perseverent usq; in finem, tunc nullum fructum habent ex Monasterio, sed in illo ita vivunt, acsi ibi non essent, conformiter ad illud, quod dicit S. Jacobus Apostolus: *Si quis autem putat se esse religiosum esse, non refrænans lingvam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est Religio.* Ita à pari dicendum est, si quis ingressus Monasterium, vana & terrena quærit, hujus vana est Religio.

Ratio 2da est: quia qui ingrediuntur Monasterium, & votum paupertatis emittunt, jam eô ipsô deserunt omnia vana & terrena bona, illisq; renunciant: quod si semel illis renunciaverint, abjecerint, & contempserint, jam ad illa quærenda redire non debent: ne autem redeant, præmonet illos S. Augustinus dicens: *& terrena ac vana non quærant.*

Ratio 3tia est: quia vana quærere, vanum, imò vanissimum est: & terrena quærere, terrenum est, nempè illorum, qui terram colunt, & de cælo non cogitant. Viri autem religiosi officium est, non vana, sed unum necessarium quærere, juxta illud oraculum Christi Domini: *Martha, Martha, solicita es circà plurima, porrò unum est necessarium.* Pariter viri religiosi officium est non in terra, sed in cælo conversari, juxta illud Apostoli: *Conversatio autem nostra in cælis est.*

His consideratis expende: qualis sit disordo! quãdo divitibus Monasteria sunt utilia, non tamen pauperibus, expende item, quantum sit monstrum, quando in Monasterio divites humiliantur & proficiunt, pauperes autem inflantur, & deficiunt. Ego censeo, quòd sit tantus disor-

do, quantus eſt ibi, ubi in loco ſanctitatis, dominatur iniquitas, in loco juſtitiæ, injuſtitia, in loco pietatis, impietas, & in Domo Domini abominatio deſolationis, par vel ſimilis illi, quam vidit Daniel Propheta, Cap: 9no ver: 27. *Et erit in templo abominatio deſolationis, & uſq; ad conſummationem & finem perſeverabit deſolatio.* De hac abominatione deſolationis in loco ſancto, Polonus Aſceta Gaſpar Drużbicki S. J. ſic ſcribit: *Hæc* (id eſt abominatio deſolationis) *nihil aliud eſt, niſi invadentia ſcelera, pullulantes curæ, in Eccleſiaſticis deſideria ſæcularia, quibus omnes quærunt quæ ſua ſunt, non quæ JESU Chriſti: vanitas in Prædicatoribus Evangelii, quia ſe ipſos prædicant; ſcandala in religioſis foras prorumpentia. O quis ſapiens! & intelligit hæc! o quis tollet ſcandala de Regno DEI!*

Conſidera 2do. Quid nam ſit vanitas mundi? & eorum, qui vana & terrena bona quærunt? Reſpondeo non meis, ſed Thomæ à Kempis verbîs: *Vanitas eſt divitias perituras quærere, & in illis ſperare. Vanitas quoq; eſt honores ambire: & in altum ſe extollere. Vanitas eſt carnis deſideria ſequi, & illud deſiderare, unde poſtmodum graviter oportet puniri. Vanitas eſt longam vitam optare, & de bona vita parùm curare. Vanitas eſt diligere, quod cum omni celeritate tranſit, & illuc non feſtinare, ubi ſempiternum gaudium manet.* Vanitas præterea eſt ſcientia ſine humilitate, notitia plena Bibliorum, ſine charitate, ut docet idem Thomas à Kempis, dum inquit: *Quid prodeſt alta de Trinitate diſputare, ſi careas humilitate, unde diſpliceas Trinitati.* Et inferiùs ſubjungit: *Si ſcires tota Biblia exteriùs, & omnium Philoſophorùm dicta, quid totum prodeſſet ſine charitate DEI, & gratia? Vanitas vanitatum, & omnia vanitas, præter amare DEUM, & illi ſoli ſervire.* Va-

Vanitas item eſt, velle videri, & ſapientem dici · Vanitas eſt ad oſtentationem ſcientiæ, & ingenii ſui diſputare, vanitas eſt ad oculum hominum exquiſitè, aut ſplendidè videri, ſuperfluè vel pomposè epulari. Proceres domûs ſuæ enumerare, antiquitatem familiæ commendare, divitias parentum ampliare, nobilitatem ſublimare, merita proſapiæ recenſere, acta heroica ad laudem & ambitionem ſuam evolvere. Vanitas item eſt, ex motivo laudis propriæ, Regulam implere, ſtatuta obſervare, vel cudere; Vanitas item eſt, reſpectus & favores Principum captare, promotiones per illos curare, beneficia per ſaltum, vel depreſſionem alterius venari. Vanitas item eſt, inter clauſtra Monaſterii nolle ſtudere, & pro acquirendis ſcientiis, velle ad exteros peregrinari. Vanitas tandem eſt, beneficium curatum acceptare, & per hoc reddere ſe impeditum ad officium implendum, magis neceſſarium, proficuum, & honorificum Religioni: ſed *oportet etiam religioſa corda mundano pulvere ſordeſcere.* Sed utinam non ſordeſcant, ſed magis ſpiritualia, quàm temporalia curent, Deumq; ſolum ament, & illi ſerviant.

Conſidera *3tio.* Quòd aliud ſit quærere bona terrena, & aliud ſit quærere vana bona: & hæc utraq; bona, ipſe S. Auguſtinus inter ſe diſtingvit, dum inquit: *Et terrena, ac vana non quærant.* Bona enim terrena poſſunt aliquando licitè quæri, & repeti à Superioribus, ſi hæc fuerint avulſa, alienata, & erepta à Monaſteriis: bona autem vana, neq; à Superioribus, neq; à particularibus religioſis quæri poſſunt. Bona terrena ſunt illa, quæ ſunt pro dote & fundatione inſcripta, donata, & incorporata Monaſteriis: & hæc non tantùm quærere, ſed etiam li-

citè repetere possunt, & tenentur Superiores. Bona autem vana sunt, numerosa servorum assistentia, vestimenta pretiosa, & exquisita, pluvialia aurô obducta, disconvenientia communi religiosorum vestitui: apparentia magnifica, in abbatiis, residentiis, & cubiculis domesticis: argenteria ad fastum, ostentationem, & pompam adhibita: usus equorum nimio pretiô comparatorum, & superbè ornatorum, invitatio sæcularium ad convivia & conversationes inutiles, tam in bacchanaliis, quàm in aliis temporibus: itinera cum multo comitatu, tam aulicorum, quàm equorum, & canum expedita, prodigalitas in mensis, & hospitibus suscipiendis &c: hi enim luxus, prodigalitates, pompæ, ostentationes, commendas induxerunt ad abbatias: & modo si fiant tales abusus, scandala gravissima pariunt &c. &c.

Bona item vana sunt, procurationes favorum, respectuum, & gratiarum, apud personas sæculares, ut per earum instantiam, obtineantur officia, vel beneficia, vel ne de loco moveantur religiosi, in quo actualiter consistunt. Bona item vana sunt, omissio vestis talaris, & adhibitio brevis, & strictioris. Bona item vana sunt, præsentatio indumentorum interiorum ad pugillum manuum, crinium capitis talis usus, ut per illum corona totaliter obveletur, calceamentorum & corrigiarum pretiosarum comparatio: vestium tanta exquisitio, ut nonnisi tales materiæ, & panni adhibeantur, qui sunt pretiosissimi, & delicatissimi, vel habitui Superiorum æquales, aut illis pretiosiores. Bona item vana sunt, tales vestes adhibere, quales apud Ecclesiasticos sæculares advertuntur, & quidquid de novo inventum cernitur, statim ad usum adhibetur

tur &c: &c: Sed hæc omnia, vanitas vanitatum, & omnia vanitas! & longum eſſet has omnes vanitates abuſus, & inſolentiam in veſtibus deſcribere, & in aliis ſimilibus occaſionibus.

Ad extremum dum S. Auguſtinus prohibet bona terrena quærere, prohibet id particularibus religioſis, nullam juriſdictionem, authoritatem, & diſpoſitionem habentibus: non prohibet autem Superioribus, quia illi poſſunt licitè bona terrena quærere, imò & repetere, ut ſupra dictum eſt. Unde certum, quòd religioſi particulares, nullam diſpoſitionem commiſſam habentes, non poſſint ſe immiſcere ad bona terrena Monaſterii, neq; ad œconomiam, neq; ad adminiſtrationem, vel ad aliquam eorum uſurpationem, neq; debent taxare & arguere diſpoſitionem Superiorum circa bona terrena, ſed ſuæ vocationi debent incumbere, qua vocati ſunt. Qui ergo Regulam S. Auguſtini profiteris, videas & expendas, qualiter te circa bona terrena, & vanitates quærendas, geſſeris.

Conſidera *4to.* Quidnam omnes illi lucrati ſunt, qui bona terrena ſolicitis ſtudiis quæſierunt? defacto nihil abſolutè lucrati ſunt. Quis avidiùs, quis ſtudioſiùs, quis vehementiùs terrena quæſiit bona, quàm Rex in Jeruſalem Salomon? quis plures habuit divitias? quis plures opes? quis majorem auri & argenti abundantiam, quàm prædictus Rex? ut ipſe de ſe teſtatur dicens: *Magnificavi opera mea, ædificavi mihi domos, & plantavi vineas, poſſedi ſervos & ancillas, multamq; familiam habui, armenta quoq; & magnos ovium greges, ultra omnes qui fuerunt ante me in Jeruſalem: coácervavi mihi argentum, & aurum, & ſubſtantias Regum, ac Provinciarum: feci mihi cantores, & cantatrices,*

& delicias filiorum hominum, scyphos & urceos in ministerio ad vina fundenda: & supergressus sum opibus omnes, qui ante me fuerunt in Jerusalem: & omnia quæ desideraverunt oculi mei, non negavi eis: nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur, & oblectaret se in his, quæ præparaveram: & hanc ratus sum partem meam, si uterer labore meo.

Quid quæso ex tot bonis terrenis? quid ex tantis divitiis? quid ex tam ampla reportavit possessione & abundantia? ecce nihil aliud, nisi vanitatem & afflictionem spiritûs, ut ipse de se testatur dicens: Eccl: C. 2. *Cumq; me convertissem ad universa opera, quæ fecerant manus meæ, & ad labores, in quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi, & nihil permanere sub sole.* Post Salomonem, veniat tibi in mentem Alexander Macedo, Darii Persarum, Medorum, Regis Triumphator: hic amore acquirendorum bonorum terrenorum accensus, post victum Persarum Regem, *constituit prælia multa, & obtinuit omnium munitiones, & interfecit Reges terræ. Et pertransiit usq; ad fines terræ, & accepit spolia multitudinis gentium: & siluit terra in conspectu ejus: Et congregavit virtutem & exercitum fortem nimis: & exaltatum est, & elevatum cor ejus: & obtinuit regiones gentium, & tyrannos, & facti sunt illi in tributum.* Sed postquam hæc omnia perfecit, postquam tot gentes & regna, tot provincias & regiones triumphavit, quod tandem horum omnium lucrum accepit? quam consolationem animæ, aut felicitatem obtinuit? ecce nihil aliud, nisi casum fatalem in lecto, ut ait scriptura: *Et post hæc decidit in lectum, & cognovit quia moreretur.* Tandem adduc tibi in memoriam illum divitem, cujus scriptura meminit Luc: 16. Cap: *Hic dives induebatur purpurâ*

& bys-

& byssô, & epulabatur quotidie splendidè. Quod precor ex his bonis terrenis, eorumq; usu lucratus est? ecce nihil aliud, nisi sepulturam in inferno, ut testatur eadem scriptura: *Mortuus est autem dives, & sepultus in inferno.* Lucrum ergo ex bonis terrenis, & ex avida illorum solicitudine, est vel afflictio spiritûs, vel mors acceleratior, vel sepultura in inferno.

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, expende diligentissimè, si potes aliquod lucrum assequi, ex solicita bonorum terrenorum cura, & solicitudine?

EXPOSITIO
ET
MEDITATIO XIV.

Rursus etiam illi, qui aliquid esse videbantur in sæculo, non habeant fastidiô fratres suos, qui ad illam sanctam societatem, ex paupertate venerunt.

CONsidera *1mo.* Quòd Sanctus Legislator dixit: *Etiam illi qui aliquid fuerunt in sæculo:* sed potiùs dixit: *qui aliquid esse videbantur in sæculo:* cujus ratio est, quia nos omnes defacto tantùm videmur esse aliquid, in re autem nihil sumus, quod aliquis putet se esse aliquid, fallitur, ut docet Apostolus ad Gal: 6. v: 3. *Nam si quis existimat se aliquid esse, cùm nihil sit, ipse se seducit.* Putamus pleriq; quòd simus aliquid in sæculo, quòd simus immortales, eminentes, docti, digniores aliis &c: &c: opulenti &c: sani, diu victuri &c: sed in re non sumus, sed tantùm appare-

paremus & videmur esse, præterit enim figura hujus mundi, & nos cum illo, tanquam umbra præterimus: unde Job videns hanc instabilitatem hominis, inquit de illo: *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis. Qui quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut umbra, & nunquam in eodem statu permanet. Qui quasi putredo consumendus est, & quasi vestimentum quod comeditur à tinea.* Sanctus autem Legislator, ipse de seipso confitetur, quòd nihil erat, cùm viveret, verba illius sunt hæc: *Dixi: quòd dives essem, & nullius egerem, & nesciebam, quoniam pauper eram, cæcus, nudus, miser & miserabilis. Credebam enim me fore aliquid, cùm nihil essem. Dixi: sapiens efficiar, & stultus factus sum. Cogitabam me esse prudentem, & deceptus sum.* S. Aug: Soliloq: Cap. 15.

Quod de se confessus est S. Legislator, partim ex humilitate, partim ex veritate, hoc totum nobis contingit in rei sinceritate, & tamen hanc miseriam & fragilitatem nostram non videmus in nobis, nec confitemur. Sive ergo sapiens, sive dives, sive prudens, sive sanus, sive diu victurus ab hominibus judicaris, vel haberis, scias sine dubio, quòd non es perfectè, in rei veritate talis, nec es in rei veritate aliquid, sed tantùm videris esse, & appares oculis hominum talis, qualis non es: appares tantus, quantus non es, appares magnus, cùm nihil sis. Hæc tui ingenii, scientiæ, fortunæ, & meritorum apparentia, sæpissimè apud DEUM nihil est, tu tamen te ipsum nescis, & putas te aliquid esse, nec confiteris tuam nihilitatem, & miseriam. Non credas igitur his apparentibus umbris, sed coram omnibus, & coram DEO, confitere vilitatem, & nihilitatem tuam, dicendo cum Augustino:

Confi-

Confitear ergo: confitear tibi Pater, Domine cæli & terræ, miseriam meam: ut me venire liceat ad misericordiam tuam. Miser quippe factus sum, & ad nihilum redactus sum, & nescivi, quia tu es veritas, & ego non eram tecum: vulneraverunt me iniquitates meæ, & non dolui, quia tu es vita, & ego non eram tecum. Ad nihilum duxerunt me, quia tu es Verbum, & ego non eram tecum, per quem facta sunt omnia, sine quo factum est nihil: & ideo sine te factus sum nihil, quia nihil est, quod ad nihilum ducit. Væ mihi misero, ut quid hoc non cognoscebam? quia te deserens, nihil fiebam. S. Aug. lib. Soliloq. Cap. 5.

Considera *2do.* Quare S. Legislator non posuerit præceptum hîs verbîs: *Non habeant fastidiô alios religiosos, qui ex paupertate venerunt?* sed potiùs hîs verbîs: *Non habeant fastidiô fratres suos:* ecce ideo, ut doceat illos qui aliquid esse videbantur in sæculo, (uti sunt Reges, Principes, Senatores, Nobiles &c.) quòd dum illi ingrediuntur Monasteria, jam cæteri religiosi, etiamsi sint pauperrimi, & etiamsi antea fuerant subditi illorum & servi, evadunt fratres eorundem Regum, Principum, Senatorum, Nobilium &c. & vicissim Reges, Principes, Senatores, Nobiles, evadunt fratres illorum religiosorum, etiam suorum antea subditorum, & servorum. Ratio hujus est, quia sicut illi, qui ab una matre secundùm carnem generantur, nutriuntur, & educantur, sunt, & dicuntur fratres secundùm carnem; ita illi, qui ab una matre Religione secundùm spiritum procreantur, sunt & dicuntur fratres secundùm spiritum. Neq; pro dishonore debent hoc sibi reputare, de celsissimis nati familiis, Principes, aut Senatores, quòd etiam abjectissimi pauperes, evadant, & fiant fratres eorum in Religione, quia ipse Christus Dominus,

Apo-

Apoſtolos ſuos olim piſcatores, & villanos homines, fratres & amicos, apellare dignatus eſt. *2do.* Ideò S. Legislator dedit præceptum Regulæ, hîs verbîs: *Non habeant faſtidiô fratres ſuos*, non autem hîs: *Non habeant faſtidiô alios religioſos*; ut eô ipsô det motivum honorandi ſe invicem, & amoveat occaſionem alios faſtidiendi, vel contemnendi, ſicut enim inter fratres unius matris ſecundùm carnem, eſt quædam naturalis exigentia honorandi ſe mutuò, ita inter fratres unius matris Religionis, eſt quædam, imò major convenientia venerandi ſe mutuò. Dum itaq; S. Legislator dixit: *Non habeant faſtidio fratres ſuos*: hîs ipsîs verbîs innuere voluit rationem, quare nobiliore conditione progeniti, non debent faſtidire alios, eamq; non aliam, niſi hanc, quia hi alii etiamſi pauperes ſint, fratres tamen ſunt, & quidem ſtrictiori vinculo, quàm ſolent eſſe fratres ſecundùm carnem.

Qui ergo de inſigni familia, vel domo veniſti, ad hanc ſacram Religionem, in qua reperiuntur aliqui tibi genere impares, recordare ſemper, quòd hi omnes etiam pauperrimi, ſint fratres tui in Chriſto, ſint cognati & affines tui ſecundùm ſpiritum, & ex hoc ipſo motivo quia ſunt fratres tui in Chriſto, non habeas illos faſtidiô, ſed ita honora, acſi honorares, ſi tibi genere, familia, & opum abundantiâ pares eſſent: quia ſi illos faſtidiô habebis, tu ipſe apud omnes faſtidiô eris, contemneris, & ſic ex tua vocatione non contentus eris.

Conſidera *4to.* Quòd S. Legislator Monaſterium & Religionem vocet ſanctam ſocietatem: Ubi notandum eſt, quare Religio vocetur à S. Auguſtino, ſocietas ſancta. Religio ergo ex multis titulis vocatur ſocietas ſan-

ĉta. *1mo* ideò, quia illius Institutum est sanĉtum: *2do* quia illius finis, nempe tendentia ad perfeĉtionem, est sanĉta, *3tio* quia Regula ejusdem Religionis est sanĉta. *4to* quia constitutiones Ordinis à S. Sede Apostolica approbatæ, sunt sanĉtæ. *5to* quia exercitia spiritualia, colloquia, exhortationes, monitiones, & alia hujusmodi, sunt sanĉta. *6to* quia mores, consvetudines, & laudabiles usus, sunt sanĉti. *7mo* quia locus *vg.* Ecclesia, chorus, refeĉtorium, oratorium, novitiatus, professorum habitatio, est sanĉta. *8vo*, quia Martyres, Confessores istius Religionis sunt Sanĉti. *9no*, quia membra hujus Religionis, quæ modo aĉtualiter in illa vivunt, sunt sanĉta, siquidem signata sunt charaĉtere Sacerdotii, officiis sacris, ac profeĉtu religioso secundùm gratiam DEI, & cooperationem eidem gratiæ. *10mo*, quia habitus cujuscunq; Religionis est sanĉtus, & à Sanĉtis Patribus usitatus, & ideo idem habitus in aĉtuali investitura benedicitur. Unde S. Laurentius Justinianus de Mon: Convers: Cap: 18. in laudem Monasterii, seu hujus sanĉtæ societatis inquit: *Est claustrum hortus conclusus, paradisus deliciarum, thalamus nuptialis, cubile immaculatum, virtutum schola, tabernaculum fæderis, reclinatorium sponsi, bellatorum statio, sanĉtitatis domus, castitatis custos, pudicitiæ firmamentum, religionis minîsterium, & obedientiæ sanĉtæ speculum singulare.* Jam verò Thomas à Kempis p. 1. serm. 2. inquit: *Ibi diversa sunt officia, & multa exhibentur charitatis obsequia. Ibi omnia tempus habent, & ad opus suum quisq; ex obedientia vadit. Ibi infirmitas à fortiori sustentatur. Ibi sanus infirmum visitans, Christo servire lætatur. Ibi uno deficiente, alius locum ejus supplet. Ibi sana membra pro debilibus roborantur. Ibi aĉtivus pro va-*

cante laborat, vacans pro laborante exorat. Ibi habet homo multos pro se orantes, & in extremis se contra diabolum protegentes. Ibi tot auxiliarios invenit, quot socios habet. Vides ergo quàm multi tituli sunt, ex quibus Monasterium, & quælibet Religio est societas sancta, proinde & membra istius societatis debent esse sancta, consequenter non habes ullum documentum fastidiendi fratres præfatæ societatis: imò tu ipse fortè majori fastidiô dignus es, propter tuam tepiditatem, & alia innumera peccata, & tamen Religio non habet ullum tui fastidium, sed te patienter tolerat, & providet tibi omnia necessaria, tam in spiritualibus, quàm in temporalibus. Ex fastidio fratrum, crescit sensim fastidium totius Religionis. Porrò quid tibi mali Religio intulit? ut eam totam fastidias, quam DEUS amat, & protegit.

EXPOSITIO
ET
MEDITATIO XV.

Magis autem studeant, non de Parentum divitum dignitate, sed de pauperum fratrum societate gloriari.

COnsidera *1mo.* Quòd bona hominis duplicia sint: alia sunt libera homini, alia naturalia, & necessaria. Bona libera homini sunt illa, quæ non nascuntur simul cum homine, tanquam debita illi homini ex natura sua, sed cadunt sub libertatem hominis, ita ut illa homo habere possit, vel non habere, si velit. Sic *vg.* sanctitas vitæ, modestia, humilitas &c: sunt bona hominis libera homini,

ni, quia nullus homo naſcitur cum ſanctitate, modeſtia, humilitate, ita ut illi prædicta ſanctitas ſit ita debita, ſicut *vg.* eſt debitum homini & naturale, ut ſit vivens, aut rationalis, ſed potiùs ſanctitas vitæ, eſt tale bonum hominis, ut illam poſſit habere vel non habere homo, ſi velit. Bona naturalia & neceſſaria homini ſunt illa, quæ naſcuntur ſimul cum homine, tanquam debita illi homini ex natura ſua: ſic *vg.* perſpicacia oculorum, diſpoſitio membrorum congrua & ordinaria, item riſibilitas, rationalitas, ſenſibilitas, ſunt bona naturalia, & neceſſaria homini, quia cum illis ſimul naſcitur homo, tanquam cum ſibi debitis, nec eſt in libertate hominis, ut illa habeat, vel non habeat, quia non eſt in libertate hominis, ut ille ſit riſibilis, vel non ſit, ſed omnino ex natura ſua eſt riſibilis. Certum itaq; eſt juxta omnium Philoſophorum & Theologorum ſenſum, quòd ſicut ſola bona libera homini, poſſunt cadere ſub meritum, & ſola illa ſunt meritoria, ita illa ſola poſſunt cadere ſub veram laudem, ſolaq; illa ſunt capacia veræ laudis, & meritoriæ coram DEO, bona autem naturalia & neceſſaria, ſicut ex ſe non ſunt capacia meriti, ita non ſunt capacia & veræ laudis corã Deo. Hic jam attentè conſidera: parentũ divitũ dignitas, ſive cæſarea, ſive regalis, ſive ducalis, ſenatoria, nobilis &c: eſt bonum naturale, reſpectu illius, qui naſcitur ex parentibus, cæſarea, regali, ducali, ſenatoria, vel nobili dignitate eminentibus, (licet poſſit eſſe bonum liberum ipſis parentibus, ſi non tales nati ſunt, ſed eam dignitatem per merita conſecuti ſunt) conſequenter qui naſcitur ex nobilibus Parentibus, non poteſt juſtè & legitimè ex illa divitum Parentum dignitate gloriari, aut ſe ipſum laudare,

re, quia laus ex bono naturali proveniens, si sæculari, multo magis religioso est indigna statu, eiq; repugnans omnino est, ex hac ipsa ratione, quia prædicta parentum dignitas, non cadit sub libertatem hominis sic geniti, consequenter non cadit sub meritum, adeoq; neq; sub laudem, aut gloriam, nisi fortè illa gloria aut laus, sit vana & mundana, sed à sacra scriptura reprehenditur in parabolis Salomonis, ubi dicitur: *Fallax gratia, & vana est pulchritudo, mulier timens Dominum, ipsa laudabitur.*

Qui ergo sacram Religionem profiteris, & gloriaris de Parentum divitum dignitate, indeq; alios postponis, vide quàm imprudenter agas! quia venaris laudem ex bono naturali respectu tui, bonum autem naturale sicut non cadit sub meritum; ita non cadit sub veram laudem meriti coram DEO, imò etiam aliquando & coram hominibus.

Considera *2do.* Quòd S. Legislator textum Regulæ non posuerit his verbis: *Non gloriamini de Parentum divitum dignitate* &c: sed potiùs his verbis usus est: *Magis autem studeant, non de parentum* &c: &c: quod ideo fecit, quia non tantùm actus ipse minùs honestus, sed etiam desiderium actûs minùs honesti, vitiosum est, unde qui negat desiderium actûs, supponitur multò magis negare ipsum actum, fluentem ex tali desiderio: cùm ergo desiderium seu studium gloriæ, de parentum dignitate, negat S. Legislator, multò magis negat ipsam actualem gloriam, provenientem ex tali desiderio. *2do.* Ideò S. Legislator prohibuit etiam desiderium gloriæ de parentum divitum dignitate, quia multi sunt tales etiam religiosi, qui inhonestum putant laudare se ipsos, vel gloriam venari

nari per se ipsos de parentum divitum dignitate, sed ex alieno ore, gratô animô suscipiunt prædictam gloriam, & aliquando etiam desiderant eandem, cui cupiditati ut obviet S. Legislator, ideò expressè ipsum etiam studium seu desiderium gloriæ negat, & prohibet.

Qui ergo Regulam hanc profiteris, examina te ipsum qualiter te gesseris in materia occurrenti, imò & in similibus aliis: sicut enim hic, ita & in omnibus aliis, non tantùm ipsi actus dissoni rectæ rationi, sed etiam ipsa desideria actuum dissonantium prædictæ rationi, vitiosa sunt, & prohibita. Proinde si quæ desideria habuisti ad terrena bona, potiùs illa converte ad DEUM, cum Psalmista dicendo: Psal: 41. *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te DEUS, sitivit anima mea ad DEUM fortem vivum, quando veniam, & apparebo ante faciem DEI.*

Considera *3tio.* Quare Sanctus Legislator concessit de societate fratrum gloriari, quando quidem S. Paulus in sola cruce Christi Domini, concedit gloriari, dum inquit: *Absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri JESU Christi?* ecce ideò, quia nulla societas virorum religiosorum est absq; cruce; sed quæcunq; illa est, vel cogitari potest, hæc omnis pro suo fundamento habet crucem Christi, adeòq; quando S. Legislator injunxit de societate fratrum gloriari, eô ipsô injunxit gloriari de cruce Christi. Porrò crux Christi, aliquando significat signum externum crucis Christi Domini, (quale *vg*: portat Religio nostra, & aliæ plurimæ, licèt in diversa forma) aliquando & frequentiùs significat persecutiones, ignonimias, mortificationes, angustias, & alias quascunq; tribulationes: glo-

riari

riari ergo de ſocietate ſuæ Religionis, ex eo ſolo, quia illa portat ſignum S. crucis Chriſti in habitu, eſt proficuum & ſalutare: ſed gloriari coram coram DEO, de ſocietate ſuæ Religionis ex eo, quòd illa portet & ſuſtineat crucem perſecutionum, calumniarum, mortificationum, abnegationis & continuò ſe in pænitentia & patientia exerceat, imitaturq; JESUM & hunc crucifixum, hoc eſt magis proficuum & glorioſum, coram DEO. Pariter ſalubriùs & utiliùs eſt, quando hanc crucem non ſola Religio in communi, ſed etiam tu ipſe eandem crucem ſuſtines. Quòd enim tota Religio portet crucem paſſionum, hæc gloria non eſt tua perſonaliter, ſed aliena, & tibi tantùm imputatur moraliter, ac per participationem, quando autem etiam tu ipſe, in particulari eidem cruci te adjungis, hoc jam tribuitur tibi cum gratia DEI.

Qui ergo Regulã S. Legislatoris profiteris, & ſentis ſtimulos ad capiendam laudem ex parentum divitum dignitate, meliùs glorieris de pauperum religioſorum ſocietate, & ſic eo ipſo gloriaberis in cruce Domini noſtri JESU Chriſti. Quod ut legitimè facias, etiam ipſe crucem paſſionum, patientiæ, & pænitentiæ ferre ſtudeas.

Conſidera *4to.* Quòd vaniſſimum, inutiliſſimum, & imprudentiſſimum ſit, gloriari de nobilitate parentum, vel aliorum quorumq; conſangvineorum. Ratio 1ma eſt: quia gloriari de alieno bono, vaniſſimum eſt: ſic gloriari de aliena victoria, vel divitiis per alium quemcunq; acquiſitis, nihil prodeſt. Cùm ergo nobilitas parentum, vel aliorum quorumcunq; conſangvineorum, ſit bonum alienum, quia non per te, ſed per tuos anteceſſores acquiſitum, ideò de prædicta nobilitate gloriari, eſt vaniſſimum.

mum. Ratio 2da: quod nocet alicui, illumq; omnibus aliis odiosum reddit, de illo nemo potest prudenter gloriari. Porrò gloriatio sive jactantia de nobilitate, nocet illi, qui de illa nobilitate gloriatur, eumq; omnibus odiosum reddit, ut patet experientiâ, ideò de illa nemo potest prudenter gloriari. Ratio 3tia, qui ingressi sunt Monasterium, renuntiârunt nobilitati, & elegerunt esse ignobiles, & abjecti in Domo Domini, juxta illud Psalmi 83. *Elegi abjectus esse in Domo DEI mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.* Dum ergo semel elegerunt esse ignobiles, & abjecti, ideò non possunt prudenter ad suam nobilitatem, per jactantiam & gloriationem redire, sed de illa debent tacere, quod si verò illam in Monasterio promulgent, contra prudentiam faciunt. Ratio 4ta. Qui nobiles ingressi sunt Monasterium, optimè de eorum nobilitate notum est in Monasterio: ad quid ergo prodest suam nobilitatem per gloriationem & jactantiam divulgare, quando de illa omnes sunt informati. Ratio 5ta. Qui de nobilitate gloriantur in Monasterio, plerumq; postponuntur, irridentur, & vilipenduntur, si autem tacuerint nobilitatem, æstimantur & honorantur. Contra prudentiam igitur est, de tali qualitate gloriari, quam sequitur postpositio, irrisio, & vilipensio. Ratio 6ta est. Scriptura monet: *Qui gloriatur, in Domino glorietur, non enim qui se ipsum commendat, ille probatus est, sed quem DEUS commendat.* 2. ad Corinth: 10. Qui ergo vult gloriari, ille non in nobilitate sua, sed in Domino glorietur, & sic probatus coram DEO, & hominibus apparebit.

Ratio 7ma. Quòd multi Sancti Patres, & Doctores vituperant, arguunt, & reprehendunt, de illo nemo potest

teſt prudenter, & licitè gloriari. Porrò gloriam & jactantiam de nobilitate, multi Sancti Patres & Doctores vituperant, arguunt, & reprehendunt, proinde hæc jactantia eſt fugienda. Sic S. Hieronymus Epiſtola 14ta prædictam jactantiam redarguit, dum inquit: *Nulli te unquam de generis nobilitate præponas, nec obſcuras quaſq; & humiliori loco natas, te inferiores putes. Neſcit Religio noſtra perſonas accipere, nec conditiones hominum, ſed animos reſpicit ſingulorum, ſervum & nobilem de moribus pronunciat. Summa apud Deum libertas eſt, non ſervire peccatis. Summa apud Deum nobilitas eſt, clarum eſſe virtutibus.* S. Chriſoſtomus in Mathæum pariter redarguit jactantiam de nobilitate, dum inquit: *Licèt longam progenitorum ſeriem, & quidem clariſſimam numeremus, in his gloriandum non eſt, niſi eorum virtutes ſuperare contendamus. Scientes aliorum opera, nihil nobis in judicio profutura; verum graviter nos condemnatura, cum optimorum parentum filii, & domeſticis exemplis eruditi, nihil profecerimus.* Tandem S. Auguſtinus Tractatu de ſermone Domi in monte, inquit: *Admonentur hîc divites, vel genere nobiles ſe undùm ſæculum, cùm Chriſtiani facti fuerint, non ſuperbire adverſus pauperes, & ignobiles, quoniam ſimul dicunt DEO: Pater noſter: quod non poſſunt verè ac pié dicere, niſi ſe fratres eſſe cognoſcant.*

In hac materia audiamus etiam Senecam, qui Epiſtola 44. fol. 456. ſic inquit: *Non omnes curia admittit: caſtra quoq; quos ad laborem & periculum recipiunt, faſtidiosè legunt. Bona mens omnibus patet: omnes ad hoc ſumus nobiles: nec reijcit quenquam Philoſophia, nec eligit: omnibus lucet. Patricius Socrates non fuit: Cleantes aquam traxit, & rigando hortulo locavit manus: Platonem non accepit nobilem*

Philo-

Philoſophia, ſed fecit. Et infra idem inquit: *Nullius non origo ultra memoriam jacet.* Plato ait: neminem Regem non ex ſervis eſſe oriundum, neminem non ſervum ex Regibus. Tandem inferiùs idem Seneca inquit: *Non facit nobilem atrium plenum fumoſis imaginibus, nemo in noſtram gloriam vixit: nec quod ante nos fuit, noſtrum eſt. Animus facit nobilem: cui ex quacumq; conditione ſupra fortunam licet ſurgere.* Ad extremum idem Seneca libro 3tio, folio mihi 302. inquit: *Eadem omnibus principia, eademq; origo, nemo altero nobilior, niſi cui rectius ingenium, & artibus bonis aptiùs. Qui imagines in atrio exponunt, & nomina familiæ ſuæ longo ordine, ac multis ſtemmatum illigata flexuris, in parte prima ædium collocant: noti magis, quàm nobiles ſunt. Unus omnium parens mundus eſt: ſive per ſplendidos, ſive per ſordidos gradus, ad hunc prima cujuſq; origo perducitur. Non eſt, quod te iſti decipiant, qui cùm majores ſuos recenſent, ubicumq; defecit nomen illuſtre, illicò Deum fingunt. Neminem deſpexeris, etiamſi circa illum obſoleta ſunt nomina, & parùm indulgente adjuta fortuna.*

Qui ergo ingreſſus es Religionem, & gloriaris te eſſe nobilem, alioſq; fratres contemnis, vide quàm imprudenter agas: elegiſti enim abjectus eſſe in domo Domini, & modo te glorioſum vis facere, ex nobilitate parentum tuorum, reddas te potiùs glorioſum ex virtutibus, & optimè ac tibi ſaluberrimè conſules.

Conſidera 5to. Quòd nobilitas alia ſit conjuncta virtuti, alia ſeparata à virtute. Nobilitas conjuncta virtuti eſt illa, quæ non quieſcit in ſola claritate, ſplendore, antiquitate ſuæ familiæ, ſed præter ſplendorem ſangvinis, quærit etiam ſplendorem virtutum. Et hanc nobili-

tatem nemo redarguit, imò tota Religio eam laudat & approbat. Tali nobilitate fuerunt clarissimi nostri Poloni, B. Boguslaus, & S. Adalbertus Archi-Episcopi Gnesnenses: S. Stanislaus Szczepanovius, Vincentius Kadłubek, V. Ivo, Joannes Groth Episcopi Cracovienses, Vernerus Episcopus Płocensis, S Hyacinthus, & B. Ceslaus Ordinis Prædicatorum, S. Casimirus Princeps Poloniæ, Michael Giedroic Princeps Lithvaniæ, Ordinis Canonicorum Regularium de Pænitentia, Isaias Boner, Ordinis Eremitarum S. Augustini. S. Salomea Regina Haliciæ, S. Hedvigis Ducissa Poloniæ, Thomas Oborski Episcopus Laodicensis, Suffraganeus & Canonicus Cathedralis Cracoviensis, Mathias à Łubna Łubiński, Ordinis nostri Professus & Canonicus, Archi-Episcopus Gnesnensis, Stanislaus à Bogusławice Sierakowski Abbas S. Crucis Montis Calvi, Ordinis S. Benedicti. Hi omnes radiabant genere, familiâ, sangvine, tanquam stellæ in cælo, sed simul virtute radiabant tanquam majora luminaria mundi, sol & luna. Quia ergo præter splendorem nobilitatis præfulgebant etiam virtutibus, ideo eorum nobilitatem veneramur, colimus, & agnoscimus.

Nobilitas separata à virtute est illa, quæ quiescit & gloriatur suo splendore sangvinis, familiæ, & antiquitate suæ domûs, virtutem autem nihil curat. Et tales sunt illi, qui ingressi Monasterium, tantùm suam nobilitatem magnificant, prædicant, & ampliant, de observantia autem regulari nihil cogitant. Signa horum nobilium talia sunt. *Primum.* Quicunq; nobilis vel Senator venit ad Monasterium, statim se illi adjungunt, & se ejus consangvineos asserunt. *2dum.* Quocunq; illis eundum est, non

acci-

accipiunt alium socium, nisi genere nobilem. *3tium.* Cum nullo frequentiùs conversantur in Monasterio, nisi cum illis religiosis, qui sunt genere nobiles. *4tum.* Dum accidit tempus alicujus electionis, nemini dant suum votum, nisi quem sciunt genere nobilem, etiamsi ille non sit adhuc capax, & meritus ad eligendum. *5tum.* Vigore & intuitu suæ nobilitatis prætendunt distinctionem, differentiam, & exceptionem ab aliis: portiones seorsivas, meliores ab aliis requirunt, & dicunt se non esse ita ruditer educatos, sicut alii: consequenter non possunt subsistere in his portionibus, in quibus subsistunt alii. *6tum.* In incessu, habitu, & motu, insvetam & torvam figuram servant, & ipsis gestibus corporis quandam superbiam præseferunt.

7mum. In quocunq; occurrenti discursu, etiam impertinenter discursum de nobilitate faciunt, & intrudunt, ut habeant occasionem gloriandi, quòd sunt nobiles. *8vum.* Quamvis in Monasterio planè nihil agant, sed in otio sterilescant, & tantùm per dormitoria divagentur, tamen se primos reputant ad officia & beneficia, solo prætextu suæ nobilitatis & familiæ. *9num.* Quando isti in Monasterio nobiles non eliguntur ad ea officia, quæ prætendunt, coram suis consangvineis, Superiores incusant, quòd non habeant respectum suæ nobilitatis, generis, & prosapiæ: consangvinei autē fiunt molesti Superioribus, petentes, ut tales sine ullo merito nobiles promoveantur, si autem non promoventur, concipiunt aversionem contra Superiores, & Monasterium.

10mum. Nobiles sine virtute existentes, & de nobilitate gloriantes, ordinariè habent odiô Superiores: dum

enim prætendunt promotionem, propter ſolam nobilitatem, & mereri non curant, tunc Superiores non attendunt illorum ambitum, nec ei ſatisfaciunt: ex hoc autem creſcit in illis odium contra Superiores, & ita irradicatur, ut illud deponere non curent, unde detrahunt Superioribus, eos calumniantur, & deſpiciunt.

11mum. Nobiles prædicti ſolo genere gloriantes, & virtutem non curantes, dum diſcedunt extra Monaſterium ad ſuos conſangvineos, libentiſſimè apud eos quàm diutiſſimè morantur, & tandem à conſangvineis literas & inſtantias procurant, ut iterum atq; iterum diutiùs commorentur.

12mum. Conſangvineos magis amant, quàm fratres Ordinis ſui, & Monaſterium: unde ſi quid haberent, totum vellent diſtribuere in conſangvineos, ut ſcilicet domus, proſapia, & familia illorum conſervetur, augeatur, & dilatetur. Dum verò conſangvineis omnia diſtribuant, (emendicata licentia à Superioribus) à conſangvineis deſeruntur, negliguntur, & abominabiles redduntur.

Qui ergo nobiltate gloriaris, & virtute cares, judica te ipſum, utrum aliquid in Religione merearis, deſine gloriari, in virtutibus te exerceas, vocationi & votis tuis ſatisfacias, ebrietatibus & compotationibus non indulgeas, in otio non ſterileſcas, ſtudiis & lectioni librorum incumbas, per dormitoria non divageris, ſed in cella te contineas: Fratres non deſpicias, devotionem diligas, & totam obſervantiam regularem impleas: tunc modo primùm efficieris verè nobilis, & perfectus: & tunc Religio nobilitatem tuam cum virtute conjunctam æſtimabit, & præmiabit. Aliter ſi facies, ſterileſces inglorius, contemptus,

& om-

& omnibus exoſus. Ante omnia autem, aſſume tibi pro exemplo nobiles Polonos, & ſimul Sanctos, ſuperiùs commemoratos: hos inſpice, hos imitare, & pro ſpeculo habeas: tunc nunquam de tua nobilitate gloriaberis, ſed ſolam virtutem & profectum religioſum curabis. O utinam tam ſtudiosè virtutem cures! ſicut curâſti de tua nobilitate gloriari. Reijcias vanum fumum nobilitatis, & virtutibus incumbas, defacto evades nobilis ſanctitate, & nobilitate ſanctus: & hanc nobilem ſanctitatem, & nobilitatem ſanctam, in te venerabimur, colemus, & imitabimur.

EXPOSITIO ET MEDITATIO XVI.

Nec extollantur, ſi communi vitæ aliquid de ſuis facultatibus contulerunt: nec de ſuis divitiis magis ſuperbiant, quia eas Monaſterio partiuntur, quàm ſi eis in ſæculo fruerentur.

COnſidera *1mo.* Hæc eſt ordinaria hominum fragilitas, quòd dum aliquid boni exercent, ſtatim hoc exercitium ſubſequatur extollentia, ſeu elatio ſui. Et hoc ipſum paſſim contingit in viris ſuſcipientibus vocationem religioſam, qui dum de facultatibus ſuis aliquid conferunt vitæ communi, ſtatim inde extolluntur, gloriantur, & jactantur. Huic fragilitati occurrere volens S. Legislator, monet hos omnes in ſua Regula, dicens: *Nec extollantur, ſi communi vitæ aliquid de ſuis facultatibus contulerunt.*

runt. Et ratio est: nam qui facultates suas, vitæ communi conferunt, & ex hac collatione extolluntur, ac superbiunt, hi totum opus suum destruunt, siquidem omnis elatio, superbia, & jactantia de bono opere, illud opus bonum corrumpit, fædat, ac deformat; Unde Hugo lib: 2. de anima inquit: *Cætera vitia solas illas virtutes impetunt, quibus ipsæ destruuntur: ut luxuria pudicitiam, ira patientiam, sola verò superbia contra cunctas animi virtutes se erigit, & quasi generalis & pestifer morbus omnes corrumpit.* Et Sanctus Isidorus de summo bono inquit: *Superbia sicut est origo omnium criminum, ita ruina cunctarum virtutum, ipsa enim in peccato est prima, in conflictu postrema.* Deinde qui ex collatione bonorum Religionis extolleris, advertas, & expendas bene, quis plùs alicui contulerit, an tu Religioni? an tibi Religio? si enim tu Religioni contulisti urbem, villam, oppidum, aurum, vel argentum, Religio tibi contulit sedem Sanctorum, Monasterium; quod ex sensu communi, est majus, tutius, & sanctius possessione terrena. Si Religioni contulisti vestes pretiosas, quibus fruebaris in sæculo, Religio tibi contulit vestes religiosas, quæ dignitate & pretio, excedunt regum purpuras, principum trabeas, senatorum murices. Tandem quidquid Religioni conferre potuisti, sive magnum, sive parvum, sive aurum, sive pretiosum, omne illud est bonum temporale, materiale, inconstans, mutabile, corruptibile. Religio autem præter bona temporalia, quibus vivis & frueris, contulit tibi etiam bona spiritualia, qualia sunt educatio in vita regulari, educatio in scientiis, indulgentiæ plenariæ, privilegia Ordinis, & alia innumera. Porrò bona spiritualia sunt nobiliora, præstantiora, & digniora

ora bonis temporalibus, materialibus, & corruptibilibus. Proinde tibi Religio plùs contulit, quàm tu Religioni, consequenter non habes unde extollaris. Si ergo Religio non extollitur inde, quòd tibi tot & tanta bona contulerit, & hactenus confert, multo magis tu extolli non debes, qui nil simile Religioni contulisti.

Considera *2do.* In prima parte superiùs allati textûs, monet S. Legislator, ne hi extollantur, qui aliquid de suis facultatibus contulerunt Religioni; in altera autem parte hortatur, ne de suis divitiis collatis Religioni magis superbiant, quàm de illis superbirent, dum eis in sæculo fruerentur. Unde ibi prohibuit extollentiam, elationem, & superbiam simpliciter talem, hic autem prohibet majoritatem superbiæ. Porrò major superbia est, dum aliquis Religionem professus, superbit de divitis collatis Religioni, mitior autem fuit illa superbia, quâ quis superbiit, de divitiis suis, dum vivebat in sæculo. Sæculum enim, non est ita aptus locus humilitatis, sicut est omnis Religio. Contingit autem plerumq;, quòd aliqui vitam religiosam professi, magis superbiant de collata Religioni fortuna, quàm superbirent, dum illa in sæculo fruerentur. Dum enim vivebant in sæculo, viros religiosos amabant, laudabant, venerabantur, æstimabant, aspectu benigno prosequebantur, eisdemq; benefaciebant. Præterea, dum senserunt vocationem ad statum religiosum, adhuc majori amore cæperant æstuare erga Religionem, ad quam vocati sunt, & sic illi afficiebantur, ut ei totum quod habuerant parati fuissent offerre, imò ipsi quærebant occasionem, ut Religioni benefacerent, tamen inde non superbiebant: sed vel affectum bonum captabant, vel ora-

tiones

tiones petebant, ut digni essent incorporari & annumerari sacræ Religioni. Postquam autem annumerati sunt Religioni, penitus mutati sunt, & mutari solent: exprobrant Religioni, quot, & quanta ei contulerint, jactant se hæc, & illa intulisse, alios postponunt, qui similia non intulerunt, gradus, beneficia prælaturas, officia, primatus & primos accubitus prætendunt sibi esse debitos, ex hoc respectu & titulo, quòd sortem suam intulerint Religioni: Personam simplicis Presbyteri erubescunt gerere, asserentes quòd meruerint majorem respectum in Religione, cui tot & talia fecerunt; si enim ad aliquod officium aliquando inferius vocantur, id vitio ducunt, dicentes esse contra authoritatem domûs suæ, vel fortunæ per se illatæ, ut tali officiô fungantur, & sic, si componeretur vita eorum præsens in Religione, cum vita præterita in sæculo, magis sunt in Religione superbi, quàm fuerunt in sæculo: quia dum essent in sæculo, benefecerunt Religioni, & tamen pro illo benefacto nihil horum prætendebant, vel non ambiebant, id quod modo fastuosè exigunt, imò durè extorquent. Tantæ horum omnium superbiæ occurrit Sanctus Legislator, dum inquit: *Nec de suis divitiis magis superbiant, quia eas Monasterio partiuntur, quàm si eis in sæculo fruerentur:* absurdum enim est, ex eo magis superbire, ex quo magis humiliari congruum est, imprudentis est, inde, & ideo inflari, quia divitias suas partitus es Monasterio. Utiq; primarii Fundatores, plura Religioni partiti sunt, & toti Ecclesiæ, nam aliqui tota regna, alii totas provincias, & ducatus &c: alii totam fortunam suam cesserunt, & tamen inde magis non superbierunt, imò humiliabantur coram DEO, profitentes quòd

quòd quidquid dederunt, nihil sit coram DEO: quòd si tanti benefactores non superbiebant, quanta imprudentia & amentia est, quando vir religiosus ex aliqua particella fortunæ suæ collata religioni, non tantùm superbit, sed etiam magis superbit, quàm dum eadem fortunâ in sæculo frueretur. *O superbia magnæ fortunæ! o stultissimum malum* (exclamat Seneca lib: 2. de benef: cap: 13.) *ut à te nihil accipere juvat, ut omne beneficium in injuriam convertis! ut te omnia nimia delectant, ut te omnia dedecent, quoq; altiùs te sublevasti, hoc depressior es, ostendisq; te non agnoscere ista bona, quibus tantùm inflaris. Quidquid das corrumpis. Libet itaq; interrogare, quid tantopere te supinet, quid vultum habitumq; oris pervertat, ut malis habere personam, quàm faciem.*

EXPOSITIO ET MEDITATIO XVII.

Alia quippe quæcunq; iniquitas in malis operibus exercetur, ut fiant: superbia verò, etiam bonis operibus insidiatur, ut pereant.

CONsidera *1mo.* Postquam S. Legislator dederit præceptum illis, qui aliquid Religioni contulerunt, ne scilicet exinde superbiant, statim subjungit rationem hanc: *Alia quippe quæcunq; iniquitas in malis operibus exercetur, ut fiant: superbia verò etiam bonis operibus insidiatur, ut pereant:* hoc est, ideo est cavenda superbia, quia non tantùm in operibus ex natura sua malis fieri potest, sed etiam in

bonis: alia enim vitia solum in malis operibus consummantur, gula pariter in solis actionibus iniquis locum habet, furtum æquali modo tantùm in prohibitis circumstantiis reperitur: superbia verò etiam bonis operibus insidiatur, ut pereant, hoc est: superbia etiam ex bonis operibus fieri potest, & illa interimere, destruere, animamq; spirituali fructu ex bono opere privare: consequenter licèt omnia vitia totô animô fugere debemus, maximè tamen superbiam. Hæc enim tantum malum est, ut & Angelum cælo dejecerit, inferno intruserit, & alia innumera mala secum traxerit. Audi judicium S. Legislatoris de superbia: *Quæritis quàm magnum sit hoc delictum, quod dejecit angelum, quod ex angelo fecit diabolum, eiq; in æternum occlusit regnum cœlorum, magnum hoc delictum est, & caput, atq; causa omnium delictorum. Scriptum est enim: initium omnis peccatî superbia: Huic vitio, in his personis quas videtis amplas, displicet humilitas Christiana. Propter hoc vitium dedignantur colla subdere jugo Christi, obligatî arctiùs jugo peccati. Nolendo servire, nihil aliud agunt, quàm, ut bono Domino non serviant, non ut omnino non serviant: quia qui noluerit charitati servire, necesse est, ut serviat iniquitati. Ab hoc vitio, quod est caput omnium vitiorum, facta est apostasia à DEO, eunte anima in tenebras, & malè utente liberô arbitriô. Propter hoc magnum superbiæ peccatum, DEUS humilis venit. Hæc causa, hoc peccatum magnum, iste ingens morbus animarum, omnipotentem medicum de cœlo deduxit, usq; ad formam servi humiliavit, contumeliis egit, ligno suspendit: ut per salutem tantæ medicinæ curetur hic tumor.* Quoniam igitur superbia tantorum malorum est causa, & capitalis hostis bonorum operum, proinde hæc omnia diligenter expende, & superbiam tantùm detestare, quantùm illa nocet. Con-

Considera *2do.* Quomodo superbia bonis moribus insidiatur? Respondeo: superbia bonis operibus ita insidiatur, sicut dux exercituum, insidiatur hosti. Dum ergo dux aliquis insidiatur hosti: non aggreditur illum aperto marte, imo subterfugit, non invadit ejus exercitum, illo vidente vel sperante, sed à longe per sylvas, & varios anfractus viarum quærit, & inspicit, quid hostis agat, speculatores transmittit, in quo loco, an apto, an inepto, cum suo exercitu castrametatus sit, & varia stratagemata applicat: postquam autem hostem suum repererit securum, & nihil adversi sperantem, tunc demum hostem etiam de nocte aggreditur, invadit, pugnat, vincit, & dissipat.

Tali modo insidiatur superbia bonis operibus: non aggreditur illa apertè hominem bona opera exercentem, non invadit eum violento & visibili modo, sed in animũ furtivè intrat, quem introitum ejus si homo susceperit, jam illaqueatus, victus, & captivus à superbia existit.

Respondeo 2do. Quòd superbia insidietur bonis operibus tali modô: Accenditur aliquis vir pius ad proficiendum in via perfectionis, proficit ergo, agit quæ requiruntur, & ad quæ obligatur, observat præcepta DEI, observat statuta Regulæ, constitutiones Ordinis, exercet opera supererogatoria, hoc est illa: ad quæ non obligatur: hoc cùm vident alii, laudant, publicè æstimant, apertè attollunt super alios, & venerantur. Hic qui non est cautus, acceptat laudem illam, complacet sibi in illa veneratione, & æstimatione hominum, tandem processu temporis inflatur, attollitur, superbit, & postponit alios, tanquam sibi impares in observatione Regulæ, & sic paulatim superbus

efficitur, ut fiat æqualis Lucipero in sua superbia.

Qui ergo vis in statu tuo proficere cum fructu, caveas ne tali processu cadas in superbiam, vide quomodo, & qualiter debeas exercere bona opera, attende, custodi mentem tuam, ne illam intret hostis occultus superbia: nam si omnia vitia superaveris, si avaritiam, luxuriam, gulam, acediam, ebrietatem viceris, nondum superâsti superbiam, illaq; tibi ultimo superanda restat: unde inquit Hugo de S. Victore: *Superbia prima est in peccando, ultima remanet in conflictu: nam cum servus DEI cætera vitia superavit, & jam ad virtutum alta conscenderit, adhuc habet pugnam contra superbiam, quam nisi expugnaverit, in cæteris frustra laboravit.* Ne ergo & tu frustra labores in toto profectus tui negotio, postquam totum profectus tui negotium absolveris, contra superbiam te diligenter obarma.

Considera *3tio.* Qualiter vitanda sit superbia? Respondeo: qualiter vitares hostem, quando sperares illum tibi alicubi insidiari, taliter vitare debes insidiantem tibi superbiam. Dum scis, vel suspicaris alicubi tibi insidiantem hostem, illo tractu non discedis, ad illum locum non properas, sed eum fugis, præmittis speculatores, ut videant si ibi est hostis? sic vita insidiantem superbiam. Scis jam quod superbia omnibus bonis operibus insidiatur. Scis item ubi, & quomodo bona opera, & à quibus laudari solent: proinde in quo loco solent te laudare, illuc te non conferas, sed illum ita caveas, acsi ibi insidiaretur hostis te occisurus. Vel si illuc ex charitate DEI vel proximi ire debes, mitte illuc speculatores tuos, scilicet advertentiam, quâ te custodias, ne laudes hominum accepes, & in illis complaceas, mitte illuc invocationem Spi-

ritus Sancti, quâ munitus, vitare possis omnem spiritus elationem. Hunc modum vitandæ superbiæ practicârunt multi Sancti viri, qui postquam aliquod miraculum in aliquo loco patrârunt, vel aliquid insigne fecerunt, statim ex illo loco, civitate, oppido, villa fugiebant, ut fugerent laudem humanam, & ex laude humana superbiam.

Modus secundus vitandæ superbiæ est, ut per hoc quod agimus laudes exteriùs, & consultò non quæramus, sed quidquid boni fecimus, illud si in publico facimus, intentionem tamen occultemus; ut docet D. Gregorius Papa dicens: *Sic autem sit opus in publico, quatenus intentio maneat in occulto: ut & de bono opere proximis præbeamus exemplum, & tamen per intentionem, quâ DEO soli placere quærimus, semper optemus secretum.* Et rationem assignat: *quia in præsenti vita, quasi in via sumus, quâ ad patriam pergimus. Maligni autem spiritus iter nostrum, quasi quidam latrunculi obsident. Deprædari ergo desiderat, qui thesaurum publicè portat in via.* Si ergo non vis deprædari, non porta thesaurum publicè in via, hoc est bonorum operum tuorum, non quære consultò laudes: quæ bona opera si tibi in publico contingat perficere, intentionem cures in secreto recondere, & sic omnem superbiendi occasionem effugies.

Considera *4to.* Quòd insidiatores sint varii & multiplices. Primi insidiatores sunt, qui alicui rei insidiantur eo fine, ut eam capiant, tamen eam conservare volunt, non destruere: & ita venatores insidiantur animalibus, quæ capta conservant, & ad vivaria referunt: Alii insidiatores sunt, qui aliquam rem capere attentant, eamq; in servitutem redigunt: & ita faciunt infideles, nempe Saraceni, Turcæ, & Scythæ, qui Christianos capiunt, in ser-

vitute

vitute retinent, & tandem tyrannis vendunt. Alii insidiatores sunt, qui hosti ita insidiantur, ut eum capere possint sine sangvine & cæde, & ita faciunt prudentissimi duces exercituum. Alii insidiatores sunt, qui hostem per insidias capiunt, eumq; armis cædunt, si aliter fieri non possit. Tandem alii insidiatores sunt, qui etiam verbis nostris insidiantur, qui dicta nostra taxant, censuris afficiunt, & cavillantur. Et ita faciebant Pharisæi cum Christo Domino, juxta illud Evangelium: *Et ipsi observabant eum, ut eum caperent in sermone.* Ex his omnibus insidiatoribus, superbia est insidiatrix perniciosissima, quia opera nostra bona non conservat, neq; protegit, vel cavet, sed statim illa destruit, corrumpit, & planè annihilat: unde S. Augustinus inquit: *Superbia verò etiam bonis operibus insidiatur, ut pereant.* Et alibi S. Legislator præcavet omnes, ne per superbiam ambiant sanctitatem, dum inquit: *Si est in vobis sanctitas, timete ne perdatis eam: unde? per superbiam.* Sicut enim ferro eo fine inest rubigo, ut illud corrumpat, ita bona opera, & sanctitatem eo fine comitatur superbia, ut ea corrumpat, destruat, & interimat. Ita autem subtiliter insidiatur nobis hoc vitium ambitionis, ut etiam ex humilitate contingat & oriatur superbia; multi enim eô motivô & fine humiliantur, ut laudentur, æstimentur, erigantur, & promoveantur ad officia & prælaturas: & talis demissio vocatur: *humilitas superba.* O quàm multi se se externè coram hominibus humiliaverunt, sed postquam prælaturas & eminentias non sunt assecuti, quas sperarunt per suam externam humiliationem, non tantùm à religiosa vocatione, sed etiam à fide apostatârunt. Exempla eorum longum esset referre, sed illa sibi quisq; reperire potest.

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, adverte, quantam jacturam trahat secum superbia! Si tibi fortunam tolleret, honorem adimeret, fortitudinem debilitaret, hæc jactura adhuc esset tolerabilis, sed quia bona opera animæ tuæ aufert, hoc damnum est intolerabile. Si corporis sanitatem, sensuum integritatem, imò vitam ipsam labefactaret superbia, tanta ruina vitæ æternæ præmiô compensari posset, sed quia sanctitatem tollit, vitæ æternæ meritoriam, hoc detrimentum nec per totam æternitatem redintegrari potest. Proinde non simus alta sapientes, sed humilibus consentientes, cogitemus ad quantum præcipitium ferat nos superbia, & nostra bona opera. Quod si bene expendemus, continuò superbiam cavebimus, & utinam caveamus.

EXPOSITIO
ET
MEDITATIO XVIII.

Et quid prodest dispergere dando pauperibus? & pauperem fieri? cùm anima misera superbior efficitur, divitias contemnendo, quàm fuerat, possidendo.

COnsidera *1mo.* Multi dispergunt divitias suas, & pauperes fiunt, sed exinde superbiores evadunt, divitias contemnendo, quàm fuerint possidendo, putantes quòd hæc dispersio divitiarum, & paupertas sit illis profutura, sed hæc nihil illis prodest: non prodest ad gloriam DEI, quia DEUS superborum gloriam odit, & detestatur: non prodest,

prodest ad salutem animæ, quia superbia salutem animæ impedit: non prodest ad integritatem & sanitatem corporis, quia superbia plerumq; corpori magna damna infert, & aliquando etiam vitam corporis aufert. Non prodest ad societatem, conversationem, & amicitiam hominum, quia superbia concordiam, amicitiam, & unitatem tollit, estq; omnibus, etiam ipsis superbis odiosa. Non potest ostendi ad quid aliud prosit? quia hoc non est ostendibile: ergo ad nihil prodest, Imò taliter dispergentes suas divitias duplex damnum patiuntur: *1mum*, quia divitias perdunt, quas antea habuerunt, *2dum*, quia peccant peccato superbiæ, per quod se gratia sanctificante, & aliis donis, ac gratiis supernaturalibus privant, consequenter amittunt jus ad hæreditatem æternam. Rectè igitur S. Augustinus interrogat: *Et quid prodest dispergere dando pauperibus, & pauperem fieri? cùm anima misera superbior efficitur, divitias contemnendo, quàm fuerat, possidendo.* Quod idem est, acsi diceret: vos omnes, qui divitias dispergitis pauperibus, & exinde superbiores estis, ostendite mihi, ad quid vobis prodest ista dispersio vestra? cùm per hanc dispersionem & largitionem divitiarum, animæ vestræ fiunt superbiores per contemptum divitiarum, quàm fuerint per possessionem illarum. Et hoc practicatur in omnibus illis, qui ingressi Religionem, bona sua contempserunt, & ea intulerunt Religioni, & pauperibus: postquam autem dederint & intulerint, exinde superbiunt, jactantur, & gloriantur. Unde fit, quòd qui non superbiebant ex divitiis in sæculo viventes, (quia illas plerumq; occultabant propter invidiam hominum) hi ex illis in Religione superbiunt, narrando his & illis, quòd hanc vel illam sortem intulerunt Religioni.

Qui

Qui ergo vult salutariter dispergere pauperibus, vel Religioni, tunc ita fortunam suam distribuat, & largiatur, ut exinde non superbiat: nam si exinde superbiet, nullum ex tali distributione fructum capiet, sicut ille, qui omnem perfectionem implet, ita, ut etiam miracula faciat nullum inde fructum habet, si ex virtutibus & miraculis superbiat, ut docet S. Augustinus Tom: 10. Homil: 34. *Quid prodest si miracula facit, & sit superbus? non sit mitis, & humilis corde? nonne in illo numero deputabitur eorum, qui venturi sunt in finem, & dicturi, nonne in nomine tuo prophetavimus? & in nomine tuo virtutes tuas fecimus? sed quid audient? non novi vos:* ita ille, qui dispergit divitias suas pauperibus, & tamen superbus est, nullam ex hac dispersione utilitatem percipiet.

Considera *2do.* Sicut nihil prodest dispersio divitiarum in pauperes vel Monasteria, si ex hac dispersione crescat superbia: ita illis multum prodest divitiarum dispersio, vel contemptus earum, si ex hac dispersione vel contemptu, nulla sequatur superbia. Hoc ipsum manifestum est *1mo* Apostolis Math: 19. v. 17. *Tunc respondens Petrus dixit ad Jesum: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis? JESUS autem dixit illis: Amen dico vobis, quòd vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cùm sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel. Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* O quàm magnum, imo immensum præmium, pro modica dispersione, vel abjectione divitiarum, Apostolis promittitur! nempe

sedere super duodecim sedes, & judicare duodecim tribus Israel, item centuplum accipere, & vitam æternam possidere. Certum tamen est, quòd ita dispersio omnium divitiarum ab Apostolis facta, fuerit absq; superbia.

Secundo manifestum est ex sanctis successoribus Apostolorum, quorum plurimi divitias disperserunt, & tamen ex illis non superbierunt, si enim superbissent, nunquam ad summum gradum perfectionis pervenissent.

Tertio manifestum est ex sanctis illis Patribus Ecclesiæ Hierosolymitanæ Episcopis, nempe Simeone, Cyrillo, Narcisso, Alexandro, Maximo, Macario, & aliis plurimis, ut legi potest ex vitis illorum. Certè hi omnes divitias disperserunt, & in profundissima humilitate DEO fidelissime servierunt, nullam tamen in se maculam superbiæ ex sua dispersione divitiarum reliquerunt. Item totum patet ex sanctis Patriarchis Hierosolymitanis.

Quarto manifestum est ex antiquis sanctis Eremitis, qui ad eremum descenderunt, omnes suas divitias disperserunt, erogaverunt, & reliquerunt, nec tamen ullam superbiæ notam ex hac dispersione incurrerunt: si enim aliqua in illis superbia relicta fuisset, nunquam in eremo perseverâssent.

Quinto constat ex S. Helena Imperatrice, Ordinis nostri in Hierusalem Fundatrice, constat item ex S. Paula Romana, & ejus Filia, item ex S. Alexio Romano, qui prima nocte nuptiarum, non tantùm sponsam, sed etiam totas fortunas reliquit. Ne autem ex hac dispersione divitiarum tentaret eum superbia, per varias orbis partes peregrinatus est, & tandem rediens Romam, in domo patris sui occultus permansit, & mortuus est. Quanta au-

tem

tem illum gloria post mortem secuta est, nemini est ignotum. Ad extremum constat id in S. Francisco Seraphico, in S. Francisco Borgia S. J. qui totum Gandiæ ducatum resignavit Constat in aliis innumeris, sed hos referre est impossibile. Habendo igitur tot exempla Sanctorum divitias dispergentium, & tamen ex hac dispersione non superbientium, illos imitare: proinde si aliquid Religioni vel Monasterio ex tuis divitiis vel fortuna intuleris, ex hac illatione, dispersione, benevolentia, minimè superbias, sed quidquid dederis, totaliter horum omnium plenissimè obliviscaris: pro quo tantum præmium habebis, quantùm habuerunt, & habent omnes Sancti viri religiosi, qui similia, & majora fecerunt, quàm tu feceris, & præstiteris.

EXPOSITIO
ET
MEDITATIO XIX.

Omnes ergo unanimiter & concorditer vivite, & honorate in vobis DEUM invicem, cujus templa facti estis.

CONsidera 1mo. Licèt S. Legislator dederit præceptum de servanda unanimitate suæ Regulæ, tamen iterum hoc præceptum repetit, jubendo: ut unanimiter vivamus. Quod ideò fecit, ut nobis magis ac magis imprimat fovendæ inter nos unanimitatis amorem, & desiderium: sicut enim lectio lecta placet, decies repetita placebit, ita præceptum semel injunctum, magis placere debet, & im-

primi memoriæ, ſi iterum repetatur, & injungatur. Quoniam ergo S. Legislator tam diligenter & obnixè injunxit unanimitatem, etiam nos cum magno conatu curare debemus, ut in fovenda mutua unanimitate proficiamus. *2do.* Ideo S. Legislator iteratis vicibus injunxit unanimitatem, ut ſui inſtituti cultores, redderet fortiores ad ſuperandas dæmonis tentationes.; quia ubi eſt fraterna unanimitas & concordia, ibi major eſt fortitudo ad ſubjugandum dæmonem, dæmon enim magis timet unanimitatem, & concordiam religioſorum, quàm jejunia & vigilias, ut teſtatur S. Bernardus dicens: *Parum timet diabolus jejunantes, vigilantes, continentes: quia tam de iſtis, quàm de illis, multos traxit in laqueo ruinæ: ſed concordes & unanimiter viventes in domo Domini, conjunctos DEO & ſibi per vinculum charitatis: hi dolorem, hi timorem, hi livorem diabolo ingerunt.* Sicut enim hoſtis alienum invadens regnum, non tam timet tormenta belli contra ſe parata, non tam veretur gladios, arma, legiones militum, quàm unanimitatem & concordiam civium, ita juratus animarum noſtrarum hoſtis dæmon, non tam timet arduas mortificationes, quam fraternam unanimitatem, & concordiam religioſorum, ſecum viventium.

Si ergo & tu vis evadere fortis victor tentationum dæmonis, cura priùs mutuam inter fratres fovere unanimitatem, & concordiam, & ſic glorioſus tentationum evades triumphator, à DEO ipſo lauru triumphali coronandus.

Conſidera *2do.* Quid ſit unanimiter & concorditer vivere? quod ut habeas, audi Rm̃um Ambroſium Choriolanum, Generalem Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, dicentem: *Unanimiter vivimus, ſi unam in DEO animam habeamus,*

beamus, ut omnes unum sentiamus, quod ad nostram spectat salutem: si omnes sumus unius velle in DEI servandis mandatis, unius nolle in evitandis profugandisq; vitiis. Concordem autem ducimus vitam, si nostris in actionibus singulares non fuerimus. Non enim decet in uno Monasterio constitutos, discrepantes esse in ceremoniis. Non decet quempiam, ut si conventus reficiatur, ipse ut singularis appareat, jejunet, si constitutus est in lectione, ipse velit esse in oratione: ut si constitutus est in orando stat, ipse prostratus jaceat. Multò minùs, morum decet difformitatem, ut cùm alii taciturni, casti, modesti, & humiles sint, ipse loquax, luxuriosus, præceps sit, & superbus. Itaq; frater qui concorditer vivere affectat, priùs debet pravos relinquere mores, ut perversus, inordinatus, infestus, indocilis, procax & petulans minimè sit. Deinde sermones, incessum, statum, omnem motum, omnem deniq; vitam suam, sic librare, ut concors sit illis, cum quibus noverit esse vivendum.

Qui ergo putas te unanimiter & concorditer vivere, & tamen singularitatem amas, dumq; alii reficiuntur, tu jejunas, dum alii student, tu orare contendis, dum alii modestè se gerunt, tu procacitatem ostendis, defacto concorditer non vivis, & non satisfacis huic puncto Regulæ, jubenti unanimiter & concorditer vivere.

Considera *3tio.* Quòd Sanctus Legislator post datum de unanimitate & concordia præceptum, statim subjunxit præceptum de honorando invicem in nobis DEO, imo hæc præcepta simul secum conjunxit, & aliquo modo ligavit per particulam *et*: ut nos doceat, quòd unanimitatem, & concordiam indivisim comitetur honor DEI, illi soli debitus, & quòd tunc à nobis invicem honoratur DEUS, quando inter nos fraternam unanimitatem, & veram concordi-

cordiam servamus. Honor enim à pluribus debitus alicui, debet esse pacificus: quomodo autem erit pacificus, ubi deest concordia? Item debet esse cum submissione & reverentia erga illum, cui præstatur: quomodo autem ibi potest esse submissio, & reverentia, ubi deest vera unanimitas? Tandem honor debet esse promptus, seu promptô animô exhibitus: quomodo autem ibi potest esse promptitudo, ubi est divisio. Sicut ergo terrestris Princeps, aut Monarcha, tunc verè honoratur, & verum honorem habet, quando ejus cives, senatores, equites, universusq; populus concors est, ita Rex regum, Dominus dominantium, tunc honoratur, & cultu debito adoratur, quando inter nos vera concordia reperitur.

Si ergo vis devoto affectu honorare DEUM, proficias in concordia & unanimitate: ad talem honorem DEO exhibendum excitat nos Psalmista, dum inquit Psal. 150. *Laudate eum in cymbalis bene sonantibus:* hoc est concorditer, uniformiter, & sine discrepantia sonantibus: tunc enim cymbala bene sonant, quando concorditer sonant: & tu pariter tunc bene honorem sonabis DEO, quando concorditer unum cum omnibus spirabis.

Considera *4to.* Quid sit invicem in nobis honorare DEUM? defacto nihil aliud est, nisi honorare nos ipsos mutuò propter DEUM, sicut amare DEUM in nobis, nihil aliud est, nisi amare nos ipsos propter DEUM. Quare autem S. Legislator non dedit præceptum hîs verbîs: *Honorate vos invicem,* sed potiùs hîs: *Honorate in vobis invicem DEUM:* hoc ideo fecit, ut nos doceret, quòd non debeamus nos ipsos honorare propter nos, neq; nos ipsos in nobis, sed propter DEUM, & in DEO. Cujus ipsius

ratio

ratio eſt, quia homo præcisè ſecundùm ſe ſumptus, ſine relatione ad DEUM, planè non eſt dignus honore, ut autem ſit dignus aliquo honore, debet ſumi cum relatione ad DEUM, ſeu, ut juſtè honoretur, debet non ille ipſe præcisè ſecundùm ſe honorari, ſed DEUS in ipſo, ſeu ille propter DEUM, vel propter imaginem DEI relucentem in eo. Quia verò non tantùm ſolus ſuperior, ſed etiam quilibet noſtrûm habet in ſe relucentem imaginem DEI, ideo non tantùm ſuperiorem, ſed etiam nos ipſos mutuò honorare debemus, non propter nos, ſed propter DEUM, & in DEO. Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, nunquam honora perſonam propter perſonam, vel perſonam in perſona, ſed honora DEUM in proximo, in ſuperiore, in Prælato, aut Prælatum, & cæteros omnes, propter DEUM.

Conſidera *5to.* Quòd poſtquam dixerit S. Legislator: *templa facti eſtis:* ad demonſtrandum, quòd DEUM ita in nobis honorare debemus, ſicut in templo, ſi enim templa ſumus, quare DEUM tanquam in templo honorare non debemus? Porrò DEUS honoratur in templo, *1mo* per ſacrificium Miſſæ in altari. *2do* per thurificationes. *3tio* per hoc honoratur DEUS in templo, quòd ordinariè caveatur, ne polluatur per violentam ſangvinis effuſionem, raptum, homicidium, & alia his ſimilia, quod ſi maculetur, tam diu ſub interdicto clauſum manet templum, quàm diu non reconciliatur. *4to.* Honoratur DEUS in templo per prædicationes, genuflexiones, per SS. Euchariſtiæ conſervationem nunquam interruptam &c: His omnibus modis poteſt vir religioſus honorare DEUM in ſe ipſo, tanquam in templo; & *1mo:* poteſt eum honorare ſacrificio juſtitiæ,

in altari cordis, cor enim noſtrum, eſt altare ſacrificandi DEO, juxta illud S. Legislatoris dicentis: *Cùm cor noſtrum ad illum ſurſum eſt: ejus eſt altare, cor noſtrum: ei cruentas victimas cædimus, quando uſq; ad ſangvinem pro ejus veritate certamus.* Poteſt *2do* honorare DEUM juxta illud S. Auguſtini lib: 10. de Civit: DEI, c. 3. *Ei ſvaviſſimè adolemus incenſum, cùm in ejus conſpectu, pio, ſanctoq; amore flagramus.* *3tio* Poteſt, & debet honorare DEUM in ſe ipſo, cavendo altare cordis ſui, ut nihil ad illud intret, per quod pollui poſſit, quod ſi id contingat, tam diu debet intra ſe claudi, & teneri ſub interdicto pænitentiæ, quàm diu DEO non reconciliabitur. *4to.* Poteſt honorare DEUM prædicatione, prædicando ſibi ipſi beneficia divina, quæ accepit, commemorando gratias DEI, & auxilia præſentia, concomitantia, ſubſequentia: item poteſt honorare per genuflexiones, genuflectendo ſi non corpore, ſaltim corde, poteſt tandem honorare per continuam SS. Euchariſtiæ conſervationem, gerendo ſemper in animo continuam SS. Euchariſtiæ Sacramenti memoriam, venerationem, & cultum.

Qui ergo Regulam Sancti Legislatoris profiteris, omnibus his modis, quibus DEUS honoratur in templo materiali, tu eum proportionatè honora, in templo tuo ſpirituali.

EXPO-



EXPOSITIO ET MEDITATIO XX.

Orationibus instate, horis & temporibus constitutis.

COnsidera 1mo. Quòd S. Legislator non dixerit: *Orationibus adestote, vel estote præsentes in orationibus:* sed potiùs dixit: *Orationibus instate:* ut nos doceret, quòd non sufficiat communibus orationibus adesse, sed requiritur illis nos instare: hoc est diligenter insistere, fervidè incumbere, intensè attendere: istud enim verbum *instate*, idem significat, quod diligenter insistite, fervidè incumbite, intensè attendite. Deinde docere nos voluit, quòd non sufficiat nos orationibus interesse, per modum transeuntis, sed requiritur, ut illis instemus, id est: ut stemus in illis permanenter, perseveranter, & fixè: Hoc enim verbum: *Orationibus instate:* idem videtur significare, ac state in orationibus permanenter, perseveranter, fixè, & immotè.

Qui ergo Regulã S. Legislatoris profiteris, ut huic puncto satisfacias, primo curare debes, ut diligenter insistas orationibus: fervidè incumbas, diligenter attendas, quia negligens oratio non meretur diligentem audientiam à DEO, similiter tepida non est digna ignito eloquio DEI: pariter remissa oratio ad minimum remissam deposcit expeditionem: sicut negligens, tepidus, & remissus operarii labor non meretur diligentem solutionem, nec est dignus instantaneo præmio, sed ad summum remissam emendi-

cat mercedem. *2do.* Curare debes, ut non per modum transeuntis ores, sed permanenter, perseveranter, fixè & immotè: quia licèt DEUS promptissimus est ad exaudiendas orationes nostras, tamen plerumq; illas solet differre, ad aliquod tempus; sic non statim exaudivit Patres in lymbo clamantes: *Rorate cœli desuper, & nubes pluant justum, aperiatur terra, & germinet salvatorem*: sed post aliquot millia sæculorum: sic non statim exaudivit Moysen, præcepta à DEO supplicantem, non statim exaudivit Annam, Elisabeth, petentes prolem, sed post aliquot annos: pariter non statim exaudivit Beatam Monicam, quæ postulavit filii sui Augustini conversionem, sed post decursum temporis notabilem. Pariter ergo & tu si vis exaudiri à DEO, sta in oratione perseveranter, non deficias in oratione, DEUS quod concessurus est, & si differt, non aufert. Non levitate utitur, qui promisit, non facilè sententia movetur, quod promisit, & fixum fallere non potest, habet unde faciet. Unde licèt per 50. annos aliquid petieris, & non obtinueris, tamen non desine orare, sed tam diu ora, quàm diu non obtinebis, & DEUS videns perseverantiam orationis tuæ, tandem miserebitur tui, sicut misertus est Moysis, Annæ, Elisabeth, Monicæ, & aliorum Sanctorum.

Considera *2do.* Quòd non satis est orare diligenter, & perseveranter, sed requiritur, ut oremus statutis temporibus: unde S. Legislator inquit: *Orationibus instate, horis & temporibus constitutis*, hoc est illis temporibus, quibus datur signum ad orandum, & quæ tempora præscribunt constitutiones, statuta Ordinis, & laudabiles consvetudines, ad persolvendas orationes consvetas. Quia licèt

ora-

oratio extra tempus à constitutionibus Religionis statutum facta, sit ex se laudabilis, & bona, tamen principaliter est illa observanda, quæ fit statutô & assignatô per constitutiones tempore, quia illa prima fit ex propria voluntate, hæc autem ex obedientia, ut inquit Hugo de S. Victore Cap: 3. *Ante tempus orare, est providentia, in tempore constituto orare, est obedientia, tempus orandi præterire, est negligentia.* Deinde quidquid videmus in orbe universo ordinatum, laudabile, & conveniens, id totum fit statutis temporibus; sic astrorum supremus princeps sol, statutis temporibus *volvit inexhausto redeuntia sæcula motu*, oritur & occidit: sic ornamenta cælorum stellæ, statutis temporibus hospitem recipiunt solem: frumenta, arbores, arridente veris gratiâ gemmant, progrediente pullulant, in decursu veris maturescunt, adveniente autumnô fructum adferunt, ipsa quoq; fulmina, æstivo nonnisi tempore sublunarem impetunt orbem. Pariter volatilia cæli, statutis temporibus mellifluo cantu suo orbem universum salutant, statutis temporibus nidificiant, & prolificant. Immensum quoq; mare non quotidie, sed statutis à natura temporibus fluctuat, & quiescit, solidum pariter elementum terra, non continuò, sed statutis temporibus virescit, ac innumera terrigenis adfert commoda: verbo concludam: omne quidquid bene fit, statuto tempore fit.

Qui ergo vis bene orare, discas vel ab ipsa natura statutis & constitutis temporibus orare, & sic & obedientiæ munus implebis, & Regulæ satisfacies; quæ jubet orare horis & temporibus constitutis, ne postea audias illud responsum: *Quid pulsas sine tempore, qui piger fuisti cum tempore: dies fuit, & in lumine non ambulâsti, nox supervenit, &*

pulsare sæpisti. Inspice ergo te ipsum, qualiter hactenus orâsti? an ex propria voluntate, scilicet quando tibi placuit & visum est? an ex obedientia & temporibus constitutis, scilicet quando constitutiones Ordinis, & laudabiles ejusdem consvetudines præscribunt orare.

Considera *3tio.* Oratio est duplex, alia vocalis, alia mentalis. Oratio vocalis est, quæ voce perficitur, & exhibetur. Oratio mentalis, seu meditatio, est illa, quæ mente, spiritu, & corde perficitur. Quando ergo S. Augustinus præcipit, ut orationibus instemus, non tantùm intelligendus est loqui de oratione vocali, sed etiam de oratione mentali & meditatione. Meditatio enim est talis oratio, per quam anima sola, spiritu & mente loquitur cum solo DEO. Meditatio est illa expectatio, per quam anima expectat, quid loquatur ad illam ipse DEUS, juxta illud Ps: 83. *Audiam quid loquatur in me Dominus DEUS, quoniam loquetur pacem in plebem suam, & super Sanctos suos, & in eos qui convertuntur ad cor.* Meditatio est tale vinculum spirituale, per quod anima unitur strictissimè cum DEO, & fit unum cum DEO. Meditatio est abstractio animæ ab omni creatura, & omnibus terrenis, nam hæc omnia vilescunt in meditatione interna, & relinqvuntur. Meditatio est talis pax animæ, quæ illam totam facit quietam, tranquillam, & liberam ab omni motu contrario, & inquietudine. Meditatio est talis immersio in illa, ut ipsam qui gustaverit nolit eam deserere, sed vellet in ea continuo vivere & perseverare. Meditatio est talis occupatio animæ, per quam in illa cor concalet, & exardescit in ea ignis Divinus, juxta illud Ps: 38. *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis.* Meditatio est conditio

ditio requisita ad faciendum beatum hominem in terra, ut constat ex Psalmo 1mo: *Beatus qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit. Sed in lege Domini voluntas ejus, & in lege ejus meditabitur die ac nocte.* Hujus autem meditationis, & meditantis, recitantur fructus in sequentibus verbis: *Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo: Et folium ejus non defluet, & omnia quæcunq; faciet prosperabuntur.*

Meditatio efficit in homine, ut non obliviscatur sermones DEI, juxta illud Ps. 118. *In justificationibus tuis meditabor, non obliviscar sermones tuos.*

Meditatio est modus, quomodo debeat diligi lex DEI, juxta illud Ps: 118. *Quomodo dilexi legem tuam Domine? tota die meditatio mea est.* Acsi diceret: Quis est modus diligendi legem tuam Domine? ecce hic, ut legem tuam tota die mediter. Sunt & aliæ innumeræ proprietates & qualitates meditationis seu orationis mentalis, sed has quisq; sibi reperire poterit in Ascetis, qui de hac materia ex professo scripserunt. Quoniam autem meditatio est tantæ efficaciæ & virtutis, pro continuo illi instandum, incumbendum, & invigilandum.

EXPOSITIO ET MEDITATIO XXI.

In oratorio nemo aliquid agat, nisi ad quod factum est, unde & nomen accepit: ut si fortè aliqui, etiam præ-

pter horas constitutas, si eis vacat, orare voluerint, non eis sint impedimento, qui ibi aliquid agendum putaverint.

COnsidera *1mo.* Quid etiam faceret Imperator cum talibus consiliariis, vel judicibus, qui in loco consiliorum sanorum, vel areopago judiciorum, non consilia, non judicia administrarent, sed aurô, vel alia ratione corrupti, à suo officio desisterent. Considera item, quid faceret supremus exercituum dux cum tali milite, qui in acie actualis certaminis, abjectis armis, hostem non feriret; sed ei parceret, suæq; quieti, vel commoditati indulgeret. Considera item, quid faceret rector navis, & quàm justè irasceretur, quando nautæ ipsius quotidianô stipendiô conducti, instantè decumanorum fluctuum procellâ, nollent remis tumidum navigare per æquor. Considera tandem, quid faceret Magistratus urbis, quando obsidente urbem conjurato hoste, populus urbis nollet ad arma descendere.

Defacto Imperator tales consiliarios vel judices, publicè officiis suis privaret, & incapaces postmodùm ad majora negotia judicaret, ac infames declararet: Supremus dux exercituum talem militem capite plecteret, vel in ipsum arma, tanquam in hostem convertere mandaret. Rector navis tales nautas in mari demergendos censeret. Magistratus talem populum urgente obsidione nolentem arma sumere, hosti diripiendum exponeret.

Quod faceret Imperator consiliariis, vel judicibus, supremus dux militi, rector navis suis nautis, magistratus suo populo, quia hi omnes loco debito debita non exequerentur munia: Idem plerumq; faceret DEUS noster glori-

gloriosissimus, quando in loco orationis, quando in oratorio non oratur nec laudatur DEUS, sed alia negotia, discursus, rumores, & fabulæ tractantur, nisi sua Bonitas infinita nobis parcere persvaderet: Sicut enim Imperator suis consiliariis vel judicibus, supremus dux militibus, navis rector nautis, magistratus populo, justè irasci possunt, & hos omnes criminaliter judicare, non prohibentur à jure, ita DEUS Optimus Maximus, his omnibus, qui in choro, oratorio, in loco solitæ orationis non orant, sed fabulantur, justè irasci potest, & criminaliter judicare, & pro hoc ipso mittere in gehennã, præsertim si talibus confabulationibus, aliqua inferno digna adjungatur circumstantia. Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, caveas in oratorio aliquid agere, præter orationem, quod si antea aliter te gerebas, corrige hanc malam consvetudinem tuam, & locum orationis oratione venerare, & sic ipsum dignè veneraberis DEUM.

Considera *2do.* Quòd oratorium 2plex possit cogitari, aliud externum, aliud internum. Oratorium externum, est locus ad orandum designatus, qualis est *vg.* ipsa Ecclesia, stalla: chorus, capella &c: Oratorium internum, est locus intra nos ipsos existens, ad orandum intra nos destinatus: hoc oratorium internum, sumus nos ipsi, anima nostra, & cor nostrum. Hoc oratorium internum intelligit S. Legislator, quando inquit: *Ubi exaudivit Dominus? intus: ubi dat? intus. Ubi oras, ubi exaudiris, ibi beatificaris, orâsti intus, exauditus es, beatificatus es, & non scis qui juxta te stat. Gestum est à te totum in occulto, sicut Dominus dicit in Evangelio* -- Intra in cubiculum tuum, claude ostium, & ora in occulto. *Cùm ergo intras in cubicu-*

biculum tuum, intras in cor tuum. Sicut ergo in oratorio externo, ita & in interno, nemo debet aliquid aliud agere, nisi id, ad quod factum est: Porrò oratorium internum cordis ad hoc factum est, ut ibi in spiritu & veritate DEUS oretur, laudetur, glorificetur, & prædicetur, hæc ergo omnia in illo debent peragi: item oratorium internum cordis, ad hoc est factum, ut in illo noster intellectus DEUM cognoscat, & contempletur, voluntas ut DEUM affectibus charitatis prosequatur, memoria verò, ut recordetur beneficiorum DEI. Tuæ ergo tres potentiæ habent jus, ut agant in oratorio cordis id, ad quod factum est, nemo autem alius (præter DEUM) habet aliquid aliud in oratorio prædicto: unde nec superbia, nec avaritia, nec luxuria, nec gula, ira, acedia, nec ullum aliud scelus, habet aliquem titulum, vi cujus possit aliquid aliud agere, in hoc interno oratorio: consequenter nec mundus ibi potest agere, aut repræsentare suas vanitates, nec caro suas delicias, nec diabolus suos firmare laqueos, aut stationem fundare. Propter paritatem rationis debent excludi, ab hoc oratorio cordis, solicitudo bonorum temporalium, rei domesticæ circa mensam, villas, prædia, &c: dispositio, excluduntur item amicorum in adversis consolatio, visitationum superfluarum admissio, rumorum novorum auditio, objectorum jucundorum incauta aspectio, & alia his similia, penitus omnia: dictum enim est & dicitur: *Nemo aliquid agat, nisi ad quod factum est:* cùm autem ista omnia enumerata, non agunt in oratorio cordis, id ad quod factum est, sed aliquid aliud, ideo ab eodem excludi debent.

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, nemini conce-

concedas in oratorio interno cordis aliquid aliud agere, nisi id, ad quod factum est: exclude omnia de hoc oratorio, quæ ejus finem & officium impediunt, quidquid autem agis in oratorio externo, hoc intus (nempe in oratorio interno) age totum. Et si fortè quæris aliquem locum altum, aliquem locum sanctum, intus exhibe te templum DEO. Templum enim DEI sanctum est, quod estis vos. In templo vis orare, in te ora. Sed priùs esto templum DEI, quia ille in templo suo exaudiet orantem: priùs esto oratorium cæleste, & ad illud ipse DEUS descendet, & consolabitur deprecantem.

Considera *3tio.* Quod etiamsi S. Legislator, mandaverit orare horis & temporibus constitutis, tamen non prohibuit orare præter horas & tempora constituta, imo si quis præter horas constitutas orare voluerit, expressè mandat, ut eum non impediant hi, qui ibi aliquid agendum putaverint. Qnod fecit ex quadruplici ratione.

1mo. Ut Superiores vel Procuratores domûs doceret, quòd spiritualia negotia (qualia sunt orationes) præferenda sunt temporalibus; & quòd zelus & diligentia ædificandi, reparandi, debeat cedere zelo, fervori, & diligentiæ orandi.

2do. Ut ostenderet quanta sit authoritas orationis, etiam ab inferiore continuatæ, quæ à nemine impediri possit, & debeat.

3tio. Ut nos magis alliceret, ad continuandum orationis fervorem, cuì aliquando dum ex gratia divina, ardenter & amplè intenditur, statutum tempus, & hora non sufficit.

4to. Quia oratio duplex est, alia communis, alia pri-

vata: communis eſt, ad quam omnes ſine exceptione venire tenentur, in locum deſtinatum, & communem omnibus. Privata ſeu particularis eſt, quæ fit ab uno in particulari, & in quocunq; loco. Communi ergo orationi inſtandum & inſiſtendum eſt, horis & temporibus conſtitutis: privata autem & particularis oratio, tempus, & horam determinatam non requirit, ſed fieri poteſt in quacunq; differentia temporis, etiam in crepuſculo, vel diluculo, juxta fervorem illius, & arbitrium qui vult orare.

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, gratias age DEO, & S. Legislatori tuo, quòd tibi ita orationem tuam extendere conceſſerit, ut eam nemo impedire poſſit: proinde dilata cor tuum in Domino, & ſecundùm amplitudinèm temporis ad orandum conceſſi, cures ampliare orarionem tuam.

EXPOSITIO ET MEDITATIO XXII.

Pſalmis & hymnis cùm oratis DEUM, hoc verſetur in corde, quod profertur in voce.

CONſidera 1mo. Quòd valde turpe, inhoneſtum, ac inordinatum ſit, quando alicubi ſigna rei apparent pulchra, & ipſa res ſignata deformis eſt, quando ſigna videntur eſſe gratiſſima, jucundiſſima, & omni æſtimatione digniſſima, res ſignata minimè grata, minimè jucunda, minimè æſtimabilis eſt. Sic inhoneſtum eſt, quando apud aliquem ſigna pacis demonſtrantur, & in corde bellum

latet,

latet, quando ſigna amoris, candoris, amicitiæ, continuo explicantur, & in corde odium, vel ſaltim aliqua fovetur averſio. Voces externæ (juxta omnium Philoſophorum ſenſum) ſunt ſigna conceptuum internorum, ſeu cogitationum cordis noſtri, ac ſingulorum quorumcunq; deſideriorum. Valde ergo turpe, & inconveniens eſt, quando hæ voces mittuntur ſupplicatoriæ ad DEUM, tanquam ſigna cogitationum cordis noſtri, & interim nos aliud in corde verſamus: valde inhoneſtum eſt, quando hæ voces mittuntur ad DEUM lamentabiles, pænitentiales, & cor nec lamentari, nec pænitere cogitat, cùm ſit circa diverſa occupatum. Valde inordinatum eſt, quando hæ voces elevantur ad DEUM, eriguntur ad ſpiritualia, extolluntur ad cæleſtia, & interim cor ad terrena deflectitur, materialia & temporalia dictat, & circa vanas fabulas occupatur.

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, non tantùm ad hoc obligaris, ut temporibus conſtitutis ores, neq; tantùm ad hoc, ut in oratorio nihil aliud agas præter orationem, ſed etiam ex Regula obligaris ad hoc, ut cùm oras DEUM, cor tuum conveniat cum voce, & id verſetur in corde, quod profertur in voce; Unde S. Auguſtinus in Manuali Cap: 29. inquit: *Non levi crimine tenetur adſtrictus, quiſquis in oratione cum DEO loquitur, & ſubito abſtrahitur ab ejus conſpectu, quaſi ab oculis non videntis, nec audientis. Hoc autem fit, quando cogitationes ſuas malas & importunas ſequitur: & aliquam viliſſimam creaturam, ad quam mentis intuitus facilè diſtrahitur, ei præfert: illam videlicet in cogitatione ſæpius revolvendo, vel cogitando quàm DEUM, quem aſſiduè debet recolere Creatorem, adorare Redemptorem, expectare Salvatorem, timere Judicem.* Examina ergo te ipſum

qualiter hactenus orasti? & totum conatum ad hoc impende, ut in oratione tua, cor voci respondeat.

Considera *2do.* Quòd mendacium nihil aliud sit, nisi quando aliud voce proferimus, aliud corde gerimus, ut communiter docent Theologi. Oratio tua, quâ oras quidem DEUM, sed aliud voce profers, aliud in corde geris, quid est aliud nisi actus difformis menti & cogitationi tuæ? quid est aliud nisi vox, prætereaq; nihil? judica ergo te ipsum, utrum dignus es, ut propter talem orationem præstet tibi aliquid DEUS? propter qualem neq; tu ipse præstares aliquid, imo eidem graviter irascereris, si scires quòd tantùm voce, non autem corde, ingentes à te postulet gratias. Quare si vis, sicut & teneris obligationi Regulæ satisfacere, ita ores, ita clama ad DEUM, ut totum cor eidem orationi attendat, juxta monitum S. Cypriani lib: de consecr: dist: 1ma: *Quando autem stamus ad orationem fratres dilectissimi, invigilare & incumbere ad preces toto corde debemus. Cogitatio carnalis hominis, & sæcularis abscedat, nec quidquam tunc animus aliud, quàm id solum cogitet, quod precatur. Ideo & Sacerdotes ante orationem præfatione præmissa, parant fratrum mentes, dicendo: sursum corda: ut dum respondet plebs, habemus ad Dominum: admoneatur nihil se aliud, quàm Dominum cogitare, claudatur contra adversarium pectus, & soli DEO pateat, nec ad se hostem DEI, tempore orationis venire patiatur.* Nam quoties oras, voces proferendo ad DEUM, & aliud in corde cogitando, toties illa oratio tua non meretur nomen orationis, quia oratio non in solis verbis & vocibus, sed in puris cogitationibus consistit, juxta testimonium D. Thomæ dicentis super Ps. 5. *Oratio verò non consistit in multitudine verborum, sed in atten-*

to &

to & fideli cordis desiderio ad DEUM, ut unicum in omnibus auxilium subvolante. Ne ergo mendacium committas orando, studeas, ut voci tuæ correspondeat, cordis interna in cælum ascensio.

Considera *3tio.* Quòd licet S. Augustinus de ipsis Psalmis dederit suum præceptum, ut hoc versetur in corde, quod profertur in ore; tamen hæc doctrina non est intelligenda de solis Psalmis. sed etiam extendenda est ad omnem orationem: in omni enim oratione hoc versandū est in corde, quod profertur in ore. Quod autem S. Augustinus specialem mentionem Psalmorum fecerit, eosq; recommendaverit in orando. Ratio 1ma est: quia sicut oratio Dominica tradita est ab ipso Christo Domino, ita Psalmi dictati sunt ab ipso Spiritu Sancto. Propheta enim David, non scripsit illos motu proprio & intelligentiâ, sed inspirante illum Divinissimo Spiritu.

Ratio 2da est: quia in Psalmis planè omnia & summa mysteria fidei nostræ continentur: & sic primò continetur mysterium SSmæ Trinitatis, ut constat ex Psal: 32. *Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum:* & Psal: 66. *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus: & metuant eum omnes fines terræ.* 2do continetur mysterium adventûs Filii Dei in mundum, ut constat ex Psal: 39. *Sacrificium & oblationem noluisti: aures autem perfecisti mihi, holocaustum & pro peccato non postulâsti: tunc dixi: ecce venio:* 3tio in Psalmis continetur mysterium Passionis Domini nostri JESU Christi, ut constat ex plurimis Psalmis, specialiter ex Psal: 21. *Ego autem sum vermis & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis. Omnes videntes me deriserunt me: locuti sunt labiis, & moverunt caput.* Et

alia

alia plura de Passione Christi in eodem Psalmo. 4to. In iisdem Psalmis continetur mysterium captivationis, flagellationis, crucifixionis, mortis, sepulturæ, resurrectionis, & ascensionis: sed hæc omnia enumerare idem esset, ac omnes Psalmos adducere, quod foret tædiosum. In recommendationem Psalmorum, adduco verba S. Chrysostomi, qui Proæmio 3tio in Psalmos sic inquit: *Liceat Davidicos codices multiplici bono refertos convenire: nam si in molestiam, aut aliquam animi perturbationem incideris, plurimum hi ad te consolandum valebunt: si fueris in peccata prolapsus, quàm multa ibidem invenies ad medelam: si paupertate eris vel pressuris gravatus, multos tibi ex his ad tranquillitatem portus videbis offerri: si justus, non mediocrem eris securitatem nactus: si crimini obnoxius, fiduciæ plurimum.* Cùm ergo Psalmi tot mysteria fidei contineant, & tot emolumenta fidelibus adferant, proinde cum magna attentione, diligentia, & reverentia, totaq; mentis applicatione legendi vel decantandi sunt.

EXPOSITIO
ET
MEDITATIO XXIII.

Et nolite cantare, nisi quod legitis esse cantandum: quod autem non ita scriptum est, ut cantetur, non cantetur.

CONsidera 1mo. Hic ordo in omni Ecclesia & choro servatur, ut semper præscriptum fiat, quod cantandum sit: multi tamen suis particularibus devotionibus nimi-

nimium affectati, nolunt cantare id, quod præscriptum est ad cantandum, sed suas particulares devotiones intrudunt, ut cantentur. His abusibus S. Augustinus occurrere volens, proponit præceptum suum: *Et nolite cantare, nisi quod legitis esse cantandum.*

Et hujus præcepti ratio 1ma est, quia si cuilibet liceret illa cantare in choro vel Ecclesia, quæ ipsi placent, tunc notabiliter inverteretur ordo Ecclesiæ & chori, qui ordo cùm non sit invertendus, non sunt concedenda illa ad cantandum, quæ non sunt præscripta, nec ordinata.

Ratio 2da. Qui prætendunt in Ecclesia vel choro tales devotiones vel hymnos decantari, qui non sunt præscripti, faciunt id ex propria voluntate, placito, & arbitrio: porrò cantus chori vel Ecclesiæ, non est admittendus juxta cujuslibet placitum & arbitrium, sed juxta ritum Ecclesiasticum, & dispositionem superioris.

Ratio 3tia. Sicut ad symbolum Apostolicum, & Litanias ab Ecclesia approbatas, nihil est addendum vel minuendum, ita ad cantum chori vel Ecclesiæ, nullæ sunt particulares devotiones augendæ, ne oneretur illis Ecclesia vel chorus.

Ratio 4ta. Qui tantùm id cantant in Ecclesia vel choro, quod est præscriptum, hoc illis passim onerosum videtur: ideoq; aliquando intermittunt chorum, & non surgunt, & non comparent pro matutino, & aliis Horis Canonicis: si autem cuilibet liberùm esset augere nova cantica vel hymnos in choro, multò magis pro talibus novis inventis cantandis, non surgerent, neq; comparerent.

Ratio 5ta. Quia cantare id in choro vel Ecclesia, quod non est præscriptum, quandam singularitatem, & amo-

amorem sui sapit: omnis autem singularitas, & amor sui, est odiosus & vitiosus. Subsistendum ergo & quiescendum est in illis solis cantandis, quæ sunt præscripta, non adhibeantur autem nec augeantur nova, sed ad privatum cubiculum reserventur, & ibi practicentur.

Considera *2do.* Quinam sint fructus eorum, qui Psalmis, hymnis, vel Missarum sacrificiis cantatis, aliisq; sacris cantibus approbatis, in Ecclesia vel in choro, attentè, diligenter, & reverenter incumbunt? Respondeo quòd hi fructus sint multi. Primus fructus est accensio & excitatio ad majorem devotionem & fervorem: eloquia enim Dei sunt vehementer ignita, juxta Psal: 118. *Ignitum eloquium tuum vehementer, servus tuus dilexit illud.* Proinde si attendantur, & cantentur diligenter, sine dubio accendunt mentes & animas nostras. Huc spectat & ille textus Psalmi: *Declaratio sermonum tuorum illuminat & intellectum dat parvulis.* Psal: 118.

2dus fructus est, quòd cantus prædicti Psalmorum, & aliorum officiorum, causent in animabus nostris dulcedinem melle svaviorem, juxta Psal: 118. *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo.*

3tius fructus est lætitia spiritualis, quæ oriri solet ex præfatis cantibus Ecclesiæ, & hanc lætitiam expertus est in se Propheta David, cùm inquit: *Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui invenit spolia multa*, unde ibidem inquit: *Cantabiles mihi erant justificationes tuæ, in loco peregrinationis meæ.*

4tus fructus est compunctio & contritio cordis, & lachrymarum, ut constat ex S. Augustino, de quo vita ejus testatur: *Flebat autem uberrimè in hymnis & canticis, svavè sonan-*

ſonantibus Eccleſiæ vocibus vehementer affectus. Item: *Voces igitur illæ influebant auribus ſuis, & eliquabatur veritas in cor ejus, & fluebant lachrymæ, & bene illi erat cum illis.* De eodem S. Auguſtino Hiſtoria dicit: *Itaq; cùm diſceſſum è vita ſibi inſtare intelligeret, Pſalmos David, qui ad pænitentiam pertinent, in conſpectu poſitos, profuſis lacbrymis legebat.*

5tus fructus eſt, quòd canentibus devotè Horas Canonicas aſſiſtat B. V. MARIA & Angeli, ut conſtat ex Sancto Felice de Valois, de quo ejus vita ſic teſtatur: *Illuſtrem hic à Beata Virgine Matre fervorem accepit; dormientibûs ſiquidem cunctîs fratribûs, & ad matutinas preces, in pervigilio Nativitatis Deiparæ, media nocte recitandas, DEO ſic diſponente, non ſurgentibus: Felix de more vigilans, & horas præveniens, chorum ingreſſus, reperit Beatam Virginem in medio chori, habitu cruce Ordinis inſignito indutam, ac cælitibus ſimiliter indutis ſociatam. Quibus permixtus Felix, præcinente Deipara laudes divinas concinuit, ritèq; perſolvit, & quaſi jam à terreſtri ad cæleſtem chorum evocaretur, inſtantis mortis ab Angelo certior factus.* Non ſolùm autem Angeli nobis canentibus aſſiſtunt, ſed etiam ipſi laudes DEO debitas in cælo canunt, ut conſtat ex hymno Eccleſiæ: *Tibi omnes Angeli, tibi cæli & univerſæ poteſtates, tibi Cherubim & Seraphim inceſſabili voce proclamant: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus DEUS Sabaoth.*

Qui ergo Regulam S. Auguſtini profiteris, Pſalmos, hymnos, & alia cantica Eccleſiæ vel chori cantes ſpiritu, devotione, & affectu ejuſdem S. Auguſtini! fleas uberrimè in hymnis & canticis Eccleſiæ, amplioremq; lachrymarum gratiam expetas, eritq; tibi bene cum illis in articulo mortis! Tandem ita attentè, devotè, & reverenter

cantus chori abſolvas, tanquam tibi ipſa B. Virgo MARIA & Angeli aſſiſterent.

EXPOSITIO
ET
MEDITATIO XXIV.

Carnem veſtram domate jejuniis, & abſtinentiâ eſcæ & potûs, quantum valetudo permittit.

COnſidera 1mo. Quòd hoc verbum *domare*, propriè & ordinariè competat illis, quæ ſunt ex natura ſua ferocia, ſylveſtria, & implacabilia, ut ſunt feræ, beſtiæ, monſtra *vg.* tygrides, leones, apri, &c: & tamen S. Legislator ſentire videtur, quòd ratio domandi competat etiam carni noſtræ, ſeu quòd etiam caro noſtra domari debeat. Et defacto optime S. Legislator ſentit, cùm carnem noſtram domandam eſſe aſſeruit. Quid enim eſt aliud caro noſtra, præſertim in deliciis enutrita? niſi ferox beſtia, ipſis etiam beſtiis deterior? quid eſt aliud caro noſtra? niſi hoſtis animæ inquilinus, quotidie ſaluti ipſius inſidians? quid eſt aliud caro noſtra? niſi ferox canis, rabie accenſus, paſſiones & affectus noſtros ad inhærendum deliciis & voluptatibus terrenis exagitans. Sicut enim canis rabie accenſus, cæco impetu in quæcunq; pericula ſeſe exponit, nemini ſibi occurrenti parcit, & quem morſu furibundo attingit, eidem venenum imprimit, & tandem illa ſua rabie fatigatus, ubi ipſi contigerit, etiam in luto quieſcit, vel exſpirat: ita caro noſtra igne libidinis accenſa, contra omnia pericula, etiam extrema inſurgit, dum-

dummodò sua cupido impleatur: nulli etiam piissimo, castissimo, & modestissimo indulget, sed quemlibet ad luxuriandum provocat, & postquam provocaverit, lethale vulnus animæ infligit, tandem lassata in via iniquitatis deficit, & amissa fronte in quocunq; luto, tanquam porcus volutatur. Deinde sicut grave est à cane rabie accenso se defendere, ita grave, imo graviùs est carnem libidine accensam superare: imo faciliùs est aliquando belluas sylvestres, apros indomitos, iratos leones frangere, quàm carnem dissolutam domare. Unde multi viri sancti, dum carnis tentationem contra se invalescere cognoscerent, in vepribus se volutabant, ut vehementiâ doloris, vehementiam carnalis voluptatis edomarent: Sic D. Benedictus, dum ei quodam die ardentes ad libidinem faces à diabolo subijcerentur, se in vepribus tam diu volutavit, dum lacerato corpore, voluptatis sensus dolore oprimeretur: alii autem viri continentissimi, ut motus carnis luxuriantis superarent, per carbones ardentes ambulabant &c: &c.

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, non foveas in deliciis carnem tuam, sed eam continuo domare stude, & in servitutem redige, quam nisi domueris, & in servitutem redegeris, ipse ab illa domaberis, & in servitutem redigeris: valde autem turpe & nefandum est, & rectæ conscientiæ repugnans, esse mancipium carnis suæ.

Considera *2do.* Quòd omnes bestiæ ferocissimæ, omnes urbes etiam munitissimæ, omnia monstra etiam horrendissima, reptilia etiam venenosissima, non sunt ita fortiter à natura vel arte provisa, ut non adsint instrumenta, vel modi, quibus edomari possint: Sic feroces belluæ densis retibus, venaticis canibus, foveis campestribus edomantur,

urbes ignibus, fame, & cuneis atteruntur. Monſtra marina tormentis bellicis expugnantur, ſerpentes ſputô jejuni hominis, ſi illud guſtaverint, moriuntur, ut teſtatur Ambroſius. Baſiliſcus aſpectu ſuo ad ſpeculum ordinato emoritur, ſcorpio igne undequaq; circumdatus expirat. Ad domandam autem carnem propriam, nulla artis humanæ adſunt efficaciora inſtrumenta, quam jejunium, & abſtinentia ab eſca & potu; & his duobus S. Legislator injunxit carnem noſtram domare, dicens: *Carnem veſtram domate jejuniis, & abſtinentiâ eſcæ.* Arma itaq; fortiſſima, quibus caro luxurians ſuperanda eſt, non alia ſunt, niſi jejunium, & abſtinentia à cibis & potibus: inſtrumenta quibus corpus noſtrum libidine accenſum ſpiritui ſubjugatur, eſt ſubtractio ciborum; modi quibus membra noſtra vinciuntur, eſt notabilis diminutio ferculorum, ut teſtatur in alio loco S. Legislator dicens: *Jejunium purgat mentem, ſublevat ſenſum, carnem ſpiritui ſubijcit, cor facit contritum & humiliatum, concupiſcentiæ nebulas diſperdit, libidinum ardores extingvit, caſtitatis verò lumen accendit.* Serm: de jejun: Præterea S. Ambroſius inquit Tract: de jejun: *Jejunium eſt continentiæ magiſterium, caſtigatio carnis, & forma ſobrietatis.* Et S. Iſidorus inquit: *Abſtinentia vivificat moderata, & occidit ſuperflua, vivificat animam, corpus enecat.* Licet ergo ſuſceptæ ex obedientia diſciplinæ, catenæ, cilicia, & alia cætera inſtrumenta, ſint valde afflictiva carnis noſtræ, & extenuativa, ſpecialiter tamen jejunium & abſtinentia, efficaciſſima ſunt arma ad edomandam carnem noſtram.

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, præſcriptis in Regula pugna contra carnem armis; ſcilicet jejuniô & abſtinentiâ: quia ſicut inſolens equus faciliùs abundæ ſub-

dæ ſubſtractione avenæ, quàm ferreis frænis, & venenoſus ſerpens faciliùs jejunô ſputô, quàm armata ſuperatur manu, ita caro noſtra faciliùs jejuniô & abſtinentiâ, quàm auſteris diſciplinis, & ferreis edomatur catenis.

Conſidera *3tio.* Sicut ſtultus eſt miles, aut exercitus, qui illum nititur ſuperare hoſtem, ad quem ſuperandum vires non habet; ita imprudens eſt dux, aut Imperator, qui plùs oneris vel certaminis militi vel exercitui ſuo imponit, quàm vires ipſius & valetudo permittit. Non incurrit hanc imprudentiæ notam Supremus Dux Ordinum ſuorum Diviniſſimus Auguſtinus, qui licèt injunxerit pugnare contra carnem, jejuniis & abſtinentiâ, tamen ultra vires pugnare & aggredi hoſtem, non obligavit, ſed tantùm pugnare juſſit, quantum valetudo permittit, dum inquit: *Carnem veſtram domate jejuniis & abſtinentiâ eſcæ, quantum valetudo permittit.* Et ratio hujus eſt, quia ſicut exercitus dum aggreditur hoſtem ultra vires, & valetudinem ſuam, citò debilitatur, frangitur, vincitur, & poſtmodum ineptus redditur ad ulteriora prælia, pro Patria ſuſtinenda; ita religioſus dum ingreditur arenam, ad inſtituendum certamen cum carne ſua per jejunium, ultra vires ſuas, & non tantùm pugnat jejuniô, hoc eſt non tantùm jejunat quantùm valetudo permittit, brevi infirmatur, deficit, deijcitur, ſuperatur, & ineptus redditur ad ulteriora certamina cum carne ſua, & ad alia pia opera, ſcillicet orationes, vigilias, frigoris auſteritatem &c: &c.

Qui ergo vis prudenter domare carnem tuam, & contra illam victorioſè pugnare, pugna contra illam tantùm, quantùm valetudo permittit, obſervando in hoc regulam tuam, & monitum S. Hieronymi dicentis Epiſt: ad Demetriadem.

triadem: *Sic debes jejunare, ut non palpites, ut respirare vix possis, vel comitum tuorum traharis manibus, sed ut fracto corporis appetitu nec in lectione, nec in psalmis, nec in vigiliis, solito quid minus facias.* Deinde idem sic inquit: *Tantùm tibi jejuniorum impone modum, quantùm ferre potes; sint tibi pura, simplicia, casta, moderata jejunia, & non superstitiosa. Quid prodest oleo non vesci, & molestias quasdam, vel difficultates ciborum quærere.* Epist: ad Nepo:

Considera *4to.* Quòd Sanctus Legislator non mandaverit domare jejuniô aliquod membrum particulare *vg:* palatum, lingvam, vel ventriculum, sed mandavit domare jejuniô carnem totam, dum dicit: *Carnem vestram domate jejuniis:* ubi videtur innuere, quòd caro tota, & singula membra corporis domanda sunt; & certè fatendo verùm, non tantùm aliquod particulare membrum, sed etiam singula membra corporis domanda sunt jejuniô, quia non tantùm aliquod particulare membrum hominis, sed singula membra peccant. Et hoc ipsum apertissimè docet D. Bernardus, dum inquit serm: de Quadr: 2. *Si sola gula peccavit, sola jejunet, & sufficit: si verò peccaverunt & membra cætera, cur non jejunent & ipsa? jejunet igitur oculus, & à curiosis aspectibus & omni petulantia, ut bene humiliatus coerceatur in pœnitentia, qui malè liber vagabatur in culpa. Jejunet auris nequiter pruriens, à fabulis & rumoribus, & quæcunq; otiosa sunt, & ad salutem minimè pertinentia. Jejunet lingva à detractatione & murmuratione, ab inutilibus, vanis, atq; scurilibus verbis: interdum quoq; ob gravitatem silentii, & ab ipsis, quæ videri poterant necessaria. Jejunent manus ab otiosis signis, & ab operibus omnibus, quæcunq; non sunt imperata, sed & multò magis anima ipsa jejunet à vitiis, & à propria*

pria voluntate sua. Etenim sine jejunio hoc, cætera à Domino reprobantur, sicut scriptum est: Quia in diebus jejuniorum vestrorum, voluntates vestræ inveniuntur.

Si te ipsum penitus examines, invenies, quòd non solùm aliquod particulare membrum, sed singula tua mēbra peccaverint, proportionata sibi sensualitate, proinde ut singula pœnam luant, etiam singula cures domare, proportionatô quibuscunq; membris jejuniô.

Considera *5to.* Dum S. Legislator dixit: *Carnem vestram domate jejuniis:* idem in re videtur dixisse, acsi diceret: quilibet vestrum carnem propriam domet jejuniô, non autem alienam (nisi fortè sit superior, qui potest non tantùm suam, sed etiam alienam carnem austeritate jejunii compescere) sunt enim multi, qui libenter vident alios jejunantes, libenter laudant aliorum abstinentias, & quod majus est, aliquando etiam imponunt aliis necessitatem jejunandi, & consultò quærunt occasiones imponendæ aliis abstinentiæ, & ipsi odiô habent abstinentiam, tantùmq; suæ carni in cibo potuq; indulgent occultè, quantùm appetitus sensitivus, & propria voluntas deposcit: & tales sunt procuratores domûs, dispensatores, aliiq; rectores rei familiaris & domesticæ, qui cùm plerumq; vel ex negligentia procurandi necessaria, vel ex incapacitate sua ad procurandum, vel ex eo, quia ipsi pro privatis & occultis comestionibus suis, plùs impenderunt, quàm deberent, vel etiam ex eo, quia alicui extraneo donârunt, non habent quô mensam sufficienter & debitè instruant, & ideò plerumq; consulunt superioribus, ut abstinentias imponant, vel jejunia observanda decernant. Cæterum qui talia jejunia hoc motivo excogitat, sciat, quòd tali

modo

modo non injunxerit S. Legislator domare carnem alienam, sed tantùm injunxit domare carnem propriam, dicens: *Carnem vestram domate jejuniis.*

Considera *6to.* Quare S. Legislator posito de carne domanda præcepto per jejunium, tandem subjungit quasi alterum præceptum, dicens: *Et abstinentiâ escæ & potûs:* cùm enim jam dixerat, ut caro domaretur per jejunium, videtur non esse subjungendum, ut dometur abstinentiâ ab esca & potu, quia jejunium includit abstinentiam ab esca & potu, imo videntur ista esse idem: *jejunium & abstinentia;* Cæterum si rem bene perpendamus, non sunt omnino & omnimodè ista idem, *jejunium, & abstinentia ab esca & potu:* quia plerumq; potest esse abstinentia ab esca & potu, & tamen non esse jejunium, sic *vg.* in die, quo licet vesci carnibus, & bibere vinum: potest esse abstinentia à certis sapidioribus carnibus, vel à nobiliori vino, & tamen protunc non est jejunium, sed tantùm mortificatio sui ipsius, per quam homo non comedit carnes sapidiores, sed viliores, & non bibit vinum nobilius, sed inferius: vel non comedit tantùm de carnibus, quantùm vult ejus appetitus sensualis, & non bibit de vino, quantùm concupiscentia exigit, sed cohibet suam gulam, & concupiscentiam. Jejunium autem in communi acceptione est tunc, quando non licet vesci carnibus, sed tantùm piscibus, vel leguminibus. Quando ergo S. Augustinus dicit: *Carnem vestram domate jejuniis, & abstinentiâ escæ & potûs:* in his verbis continentur duo præcepta: 1mum, ut domemus carnem jejuniis, non comedendo carnes: 2dum, ut domemus carnem nostram per abstinentiam escæ & potûs, etiam tunc, quando licet comedere carnes, & bibere vinum.

Per abſtinentiam ergo eſcæ & potûs, intelligitur hìc mortificatio corporis, & mentis, quæ fieri poteſt etiam extra jejunium, ſeu tunc, dum nulla eſt obligatio jejunandi. Quoniam ergo per abſtinentiam eſcæ & potûs intelligitur hìc mortificatio corporis & mentis, ideo hìc de illa aliquid dicendum eſt.

Conſidera 7mo. Quantum ſit neceſſaria mortificatio tam corporis quàm animæ? Reſpondeo: mortificatio tantùm eſt neceſſaria omni homini, ut ſine illa rectè, rationabiliter, & prudenter vivere non poſſit, niſi fortè beſtialiter vivere velit. Conſtat primò hæc veritas Gen: c. 4. v. 7. ubi dicitur: *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius:* hoc eſt ſub tua poteſtate erit appetitus tuus, & omnis tua ſenſualitas & concupiſcentia, & tu illius dominium habebis. Porrò habere appetitum noſtrum ſub poteſtate noſtra, & habere dominium illius, eſt nihil aliud, niſi mortificare appetitum noſtrum, & omnes noſtros cum corpore ſenſus, omnes concupiſcentias & paſſiones noſtras. Ab ipſo ergo initio legis ſcriptæ, DEUS præcepit exercendam eſſe à nobis mortificationem.

2dò. Conſtat eadem veritas ex oraculo Chriſti Domini Joan: 12. v. 24. *Amen amen dico vobis: niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet: ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert:* hoc eſt, niſi homo mortuus fuerit per mortificationem ſuam, ſolus manet ſine ullo fructu: ſi autem mortuus fuerit, jam non ſolus erit, ſed adferet multos fructus, ſuos comites & ſocios.

3tiò. Conſtat hæc veritas Joan: 12. v. 25. *Qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam:* certè proſequi odio animam ſuam, nihil eſt aliud, niſi

mortificare eam, denegando illi ea, quæ sunt contraria rectæ rationi.

4tò. Constat hæc veritas Luc: 9. v. 23. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.* Abnegare semetipsum, & tollere crucem suam, & sequi Christum, est ipsissima mortificatio corporis & animæ.

5tò. Necessitas mortificationis constat ex Epistola Catholica S. Jacobi Cap: 1. v. 26. *Si quis autem putat se religiosum esse, non refrænans lingvam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio.* Hoc est: si quis putat se religiosum esse, & non mortificat lingvam suam, aliosq; sensus corporis & animæ, hujus vana est religio.

6tò. Necessitas mortificationis constat ex Epistola ejusdem S. Jacobi, qui cap. 1. v. 17. inquit: *Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem hæc est: visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc sæculo.* Et quis se potuit custodire immaculatum ab hoc sæculo, sine omni mortificatione? defacto nullus in terra talis fuit ab initio mundi: sed quicunq; se custodivit immaculatum ab hoc sæculo, hic priùs fecit se plenissimè mortificatum, ut deduci potest tot exemplis, quot immaculatos & sanctos numeramus.

Qui ergo Regulam S. Augustini profiteris, audias primò ipsum Christum Dominum, mortificationis exercitium tam studiosè svadentem: audias item S. Augustinum dicentem: *Quare ratione officii nostri, & propositi, non tantùm debemus res, sed etiam cupiditatem relinquere, & vincere desideria carnis, sangvinis, & quidquid secundùm naturam est, non secundùm spiritum & gratiam. Hæc vocatio nostra, hæc professio,*

hoc

hoc officium, & nihil hâc vocatione sublimiùs, nihil hâc perfectione digniùs, nihil hoc officio honoratiùs, nihil feliciùs. Similia habet S. Climacus: *Hoc est opus nostrum in hac vita, actiones carnis spiritu mortificare quotidie, affligere, minuere, frænare, interimere. Hæc est actio nostra, hæc militia nostra.* Si ergo hæc est vocatio & professio nostra, si hoc opus nostrum est, ut actiones spiritu mortificemus, tunc hæc mortificatio est omnino exercenda, adhibenda, & adimplenda.

Considera *8vo.* Quænam sint utilitates mortificationis? Respondeo multæ sunt, & plane innumeræ. Prima utilitas mortificationis est pax conscientiæ, & talis malatia & quietudo hominis, ut nulla adversitate, calamitate, & persecutione moveri, perturbari, & frangi possit: *Si totus labatur orbis, impavidum ferient ruinæ.*

2da utilitas est assecutio veniæ & remissionis peccatorum, ut testatur S. Augustinus: *Excrucio me planè, ut ille parcat: do de me pœnas, ut ille subveniat, ut placeam oculis ejus, ut delectem svavitatem ejus: nam & victima excruciatur, ut in aram imponatur.* De utilitate jejunii.

3tia utilitas est incrementum profectus Christiani & regularis, juxta Cassianum dicentem: *Mortificatione voluptatum vitia expurgantur, & marcescunt universa: pullulatione virtutum, puritas cordis acquiritur, puritate cordis, Apostolicæ charitatis perfectio possidetur.* Libr: 4. Instit. C. 43.

4ta utilitas est, quòd mortificatio morum, faciat verum religiosum, ut docet Thomas à Kempis: *Habitus & tonsura modicum conferunt, sed mutatio morum, & integra mortificatio passionum, verum faciunt religiosum.* Libr: 1. C. 3. Ego autem censeo, & addo, quòd mortificatio prædicta, non tantùm verum religiosum, sed etiam verum faciat Christianum.

5ta utilitas eſt, quòd mortificatio ſit quöddam genus martyrii, etiamſi ſangvis non fundatur, nec corpus trucidetur: & ita docet S. Bernardus ſerm: 39. ſuper Cant: *Genus martyrii eſt, ſpiritu facta carnis mortificare, illô nimirum: quô membra cæduntur ferrô, horrore quidem mitiùs, ſed diuturnitate moleſtiùs.*

6ta utilitas mortificationis, eſt plenitudo & immenſa abundantia gaudii interni, ut docet S. Jacobus Minor Apoſtolus, & primus Epiſcopus Hieroſolymitanus Cap. 1. v. 1. *Omne gaudium exiſtimate fratres cùm in tentationes varias incideritis*: qui enim in tentationes, ſeu perſecutiones incidit, has aliter vincere non poteſt, niſi per mortificationem: poſtquam vicerit, tunc ſequitur eum gaudium de victoria.

7ma utilitas mortificationis, eſt meritum vitæ æternæ, juxta doctrinam S. Jacobi Minoris, primi Epiſcopi Hieroſolymitani, qui in Epiſtola Catholica Cap. 1. v. 12. *Beatus vir, qui ſuffert tentationem: quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromiſit DEUS diligentibus ſe.* Quod idem eſt, acſi diceretur: *Beatus vir qui ſuffert mortificationem:* quoniam cùm probatus fuerit per mortificationem, accipiet coronam vitæ, quam repromiſit DEUS diligentibus ſe. Hanc coronam vitæ, accepit S. Petrus de Alcantara, qui apparens B. Tereſſiæ dixit: *O felix pænitentia! quæ mihi tantam promeruit gloriam.* Porro pænitentia eſt mortificatio, fitq; per mortificationem.

Hanc mortificationem exercuerunt veteris Teſtamenti Patres, nempe S. Moyſes, Abraham, Iſàác, Jacob, & David, qui Pſal: 43. v. 22. de ſe inquit: *Propter te mortificamur tota die: facti ſumus ſicut oves occiſionis.* Exercuerunt

sunt SS. Apostoli, unde de se Paulus testatur 1. ad Cor: 9. v. 27. *Ego igitur sic curro, non quasi in incertum: sic pugno non quasi aërem verberans, sed castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne fortè dum aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar.* Et 2. ad Cor 4. v. 10. idem Apostolus inquit: *Semper mortificationem JESU in corpore nostro circumferentes: ut & vita JESU manifestetur in corporibus nostris.* Hoc ipsum certissimum est de aliis omnibus Apostolis: hi enim non aliter suas coronas obtinuerunt, nisi per mortificationem. Idem censendum est de aliis omnibus Sanctis, unde Thomas à Kempis inquit: *Quare quidam Sancti tam contemplativi, & perfecti fuerunt? quia omnino se ipsos mortificare ab omnibus desideriis terrenis studuerunt, & ideo totis medullis cordis, DEO inhærere & liberè vacare potuerunt.*

His consideratis *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissimè*, Psal. 44. Hic gladius est mortificatio: huic ergo gladio accingere potentissimè, & victoriam obtinebis. *Specie tua, & pulchritudine tua, intende prosperè, procede, & regna:* regna inquam omnibus concupiscentiis corporis, & passionibus animæ, & rex tui ipsius, dominator, & triumphator promulgaberis, & tandem tanquam rex coronam in cælo obtinebis.

Considera *9no.* Quoniam S. Augustinus in præsenti textu Regulæ non tantùm præcepit abstinentiam, & mortificationem ab esca, sed etiam à potu, ideo hæc abstinentia & mortificatio à potu, seu inebriativis liquoribus, omnino est servanda. Ratio est, quia si non servetur abstinentia à potu, & liquoribus inebriativis, tunc sensim crescit facilitas bibendi, & inebriandi, ex frequentibus autem actibus, crescit habitus, & consvetudo inebriandi:

post-

postquam autem habitus inebriandi invaluerit, tunc est difficilimè superabilis, vel nunquam frangibilis: ex hac autem impotentia frangendi habitum, sequitur ebrietas inhabituata, & scandalosa, quæ quantum malum est, & quantùm detestabile vitium, nemini est ignotum. Sed si de ebrietate vellem competenter aliquid dicere, deberem totum librum, vel tractatum proponere. Quia verò brevivitati studendo, id nolo aggredi, ideò sufficit ebriosis illud commemorare, quod dicit Christus Dominus Luc: 21. v. 24. *Attendite vobis, ne fortè graventur corda vestra in crapula, & ebrietate, & curis hujus vitæ, & superveniat in vos repentina dies illa:* nempe dies mortis, & judicii divini. Sufficiat item reducere in memoriam illud, quod dicitur Jöël 1mo v. 5. *Expergiscimini ebrii, & flete, & ululate omnes, qui bibitis vinum in dulcedine, quoniam periit ab ore vestro.* Tandem sufficiat commemorare illud, quod dicit S. Paulus 1. ad Cor: 6. v. 9. *Neq; fornicarii, neq; adulteri &c: neq; ebriosi regnum Dei possidebunt.* Hoc unicum, si bene & diligenter attendant ebriosi, quòd regnum Dei non possidebunt, deberent abominari, detestari, & abijcere ebrietatem: horrendum enim est excludi à regno Dei! & hoc decretum nunquam mutabitur, si ebriosi non recedant à sua ebrietate. Accedit huc & sententia S. Augustini dicentis: *Nullus tam gravem injuriam sanctis Angelis, vel sanctis hominibus agnoscitur irrogare, quàm qui in eorum nominibus bibendo, per ebrietatem suas animas probantur occidere.* Serm: 232. de tempore. Idem S. Augustinus serm: 231. inquit: *Omnes ebriosi tales sunt, quales paludes esse videntur. Nascuntur in illis sangvisugæ, ranæ, & diversa genera vermium, qui magis horrorem possunt generare, quàm aliquid, quod ad victum*

profi-

proficiat, exhibere. Ad extremum pro deteſtanda ebrietate, illud ſufficit dicere, quòd ebrietas inhabituata, & ſcandaloſa, ſit motivum, & principale documentum eijciendi de Religione: Rectiſſimè igitur dicit Seneca in Epiſtola 84. *Nihil aliud eſſe ebrietatem, quàm voluntariam inſaniam.* Et infra idem inquit: *Omne vitium ebrietas, & incendit, & detegit: obſtantem malis conatibus verecundiam removet. Plures enim pudore peccandi, quàm bonâ voluntate prohibitis abſtinent. Ubi poſſedit animum nimia vis vini, quidquid mali latebat, emergit.* Qui ergo ebrietati quotidie incumbis, hæc omnia quamvis breviter propoſita expende, & tandem aliquando ad ſobrietatem, abſtinentiam, & continentiã redeas.

EXPOSITIO ET MEDITATIO XXV.

Quando autem aliquis non poteſt jejunare, non tamen extra horam prandii, aliquid alimentorum ſumat, niſi cùm ægrotat.

CONſidera *1mo.* Quòd impotentia jejunandi, poteſt provenire ex multiplici cauſa: *1mo* Ex ipſa natura, quando aliquis ex ipſa naturali complexione, habet quandam innatam averſionem, & nauſeam à cibis jejunis, ita: ut illos etiam ſuſtinere non poſſit. *2do.* Ex ratione loci, quando aliquis eſt in tali regione, aut regno, ubi non eſt conſvetudo jejunandi, nec adſunt cibi jejunio ſervientes. *3tio.* Ex ratione infirmitatis, quando aliquis periculosè, & graviter

viter infirmatur, ita: ut medici prohibeant cibos jejunos. *4to.* Ex nimio amore sui ipsius, & ex affectata solicitudine conservandi corpus suum in continua sanitate, quando scilicet aliquis valde sibi complacet in corpore suo, valde illud amat, & solicitè affectatè curat, ut nullus contrarius ventus, nulla contraria aura, & nulla etiam modica infirmitas, aut debilitas, vel alteratio impetat, quales sunt homines delicati, à pueritia in voluptatibus enutriti, ut sunt matronæ nobiles, & ipsi plerumq; magnates, studentes per delicias carnis protrahere vitam suam quàm longissimè. *5to.* Impotentia jejunandi provenire solet ex gula, & complacentia in cibis dulcibus.

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, & plerumq; jejunia per constitutiones Ordinis assignata frangis, asserendo, quòd non possis jejunare, examina conscientiam tuam, ex quali ratione hæc tua provenit impotentia, si ex primis tribus rationibus, liber manes in conscientia; si autem ex nimio amore tui ipsius, & ex affectata solicitudine conservandi delicatè corpus tuum, aut ex guloso appetitu, manifestè peccas: *1mo* ex eo, quia gula & amor sui corporis affectatus, intrinsecè est peccatũ, adeoq; contra legem divinam. *2do.* Quia peccas contra constitutiones Ordinis, quibus obligaris ad jejunandum sub peccato. Proinde si hactenus fuisti solicitus, & affectatus procurator corporis tui, recede à tam affectata procuratione, quia etiamsi corpus tuum delicatissimè, commodissimè, sapidissimè, sanissimum, pulcherrimum, fortissimum, & aspectui humano gratissimum reddes, & enutries, scias infallibiliter, quòd hoc opus tuum, tam affectate elaboratum fiet (quando tu ipse nescies) esca vermium, pa-

bulum ſerpentum, cibus bufonum, & cæterorum reptilium.

Conſidera *2do.* Quàm ſtultus eſſet competitor regni, qui ad præfixam coronæ currendo metam, ſub hac conditione, ut qui ad illam citiùs curreret, ille citiùs & primus præ cæteris rex promulgari deberet: quomodo inquam ſtultus eſſet, ſi in prædicto curſu ſuo, extra horam ſe reficere vellet, vel aliquod grave negotium ſibi occurrens expediret. Conſidera item, quàm ſtultus eſſet operarius, qui pro tanto præmio conductus eſſet, quantum & quanto tempore laboraret, & ille extra ſolitum tempus refectionem exigeret. Conſidera tandem, quàm ſtultus eſſet miles, qui perſequendo hoſtem, ſiſteret; repertis in via exquiſitis dapibus, & epulis, & interim hoſtis fugeret. O quàm tu ſtultior & imprudentior es, qui cùm ſis competitor regni cæleſtis, & habeas præfixam metam currendi ad cæleſtem coronam, & interim dum currere deberes, extra horam carni tuæ commoditates quæris: o quàm tu imprudentior es, qui cùm ſis operarius vineæ Chriſti, & tantum habeas promiſſum præmium, quantum, & quanto tempore laborabis, & interim neſcis æſtimare horas temporis tui, & tunc, dum pro cæleſti mercede ſudare deberes, refectiones extraordinarias per angulos culinæ venaris. O quàm tu dementior miles es, qui dum hoſtem tuum perſequi & ſuperare deberes, interim oblatô jentaculô, vel antecæniô, aut quacunq; alia ſapida portione, indulges carni tuæ, & interim fugit hoſtis à te vincendus, aut videndo te gulæ immerſum, fortiùs tibi reſiſtit, contra te inſurgit, & tandem opprimit.

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, diſcas

æſtimare tempus, & extra horam prandii, noli venari portiones, guloſo appetitui ſatisfacientes.

Conſidera *3tio.* Quare S. Legislator, etiam illis qui non poſſunt jejunare, prohibuerit ſumere alimenta extra horam prandii? Nimirum ideo, quia ſumptio alimentorum extra horam prandii, ut ſunt jentacula, antecænia, ſapit ſingularitatem, ſeu proprietatem, qui enim ſolus & ſingularis (& præſertim occultè) facit aliquid, quod cum aliis in communi facere deberet, ille committit ſingularitatem & proprietatem, ſumptiones autem alimentorum extra horam prandii, fiunt plerumq; à ſolo & ſingulari religioſo, vel etiam ab aliquibus ſolis, vel ſingularibus, ac plerumq; occultè, quod in communi cum aliis ſumere deberent, adeoq; committunt ſingularitatem, ſeu proprietatē.

2do Ideo, quia poſt tales ſingulares & occultas refectiones, plerumq; ſequuntur compotationes, rixæ, poſt rixas pugnæ, poſt pugnas ſcandalum aliorum.

3tio Ideo, quia per tales refectiones, aufertur tempus aſſignatum orationibus, lectionibus, & aliis exercitiis ſpiritualibus.

4to. Quia per tales extraordinarias refectiones, ad ſuum guſtum, placitum, & appetitum privatè exquiſitas, naſcitur faſtidium communis menſæ, & communium portionum. Unde tales dum veniunt ad menſam, torvô & faſtuosô oculô contemnunt portiones communes, in ſolis illis ſibi complacendo, quas privatè, tanquam eſſent juris proprii, compararunt.

5to. Quia per tales extraordinarias refectiones, & ſubſequentes compotationes, damnificatur communitas, qui enim talibus refectionibus ſemper imbuti ſunt, ſemper

per illas habere volunt, & dum ab extra accipere non possunt, etiam ex communi promptuario, à procuratoribus domûs emendicant, vel ipsi sibi accipiunt, si personam procuratorum agant. *6to.* Quia talibus refectionibus assveti, extra conventum amicitias, & confidentiales notitias quærunt, ut exinde subsidium talium portionum habeant, quas iterum ut compensent, quidquid ab aliquo per donationem, vel alia ratione acquirunt, illud totum ordinant insciis superioribus. Ex quo ipso iterum hoc sequitur inconveniens, quia postquam illud aliquid ordinaverint, illuc quam citissime student ex conventu exire, ibi conversari, bibere, epulari, & sic totum tempus carni & gulæ impenditur.

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, non vilipendas hoc punctum Regulæ, quô prohibentur comestiones, refectiones extra horam prandii, ex illis enim jam vides, quanta sequantur inconvenientia, & absurda perfectioni religiosæ contraria.

EXPOSITIO ET MEDITATIO XXVI.

Cùm acceditis ad mensam, donec inde surgatis, quod vobis secundùm consvetudinem legitur, sine tumultu & contentionibus audite, nec solæ vobis fauces sumant cibum, sed & aures esuriant verbum DEI.

COnsidera *1mo.* Quòd post mandatum de carne domanda per jejunium, sequitur immediatè mandatum de audi-

audienda lectione spirituali, tempore prandii: sensus enim nostri, talis sunt naturæ, ut dum unus fertur in aliquod objectum, totus in illo occupatur, quando ab altero sensu non impeditur. Dum autem alter sensus fertur similiter in suum objectum, & illi fortiùs, intensiùs adhæret, quàm ille primus, tunc hic alter retrahit primum, à suo objecto prosequendo, & aliquomodo cogit, ut hoc objectum prosequatur, quod hic alter prosequitur, sic *vg.* dum aliquis objectum aliquod gratum advertit, totus illi circumspectando illico adhæret, si autem à latere audiat svavissimos tubicinum, vel aliorum instrumentorum cantus, in instanti abstrahitur ab illo objecto videndo, adhæret autem, & totum se impendit ad audiendum illud, quod svaviter & dulcissimè resonat. S. Legislator volens te à carnis deliciis retrahere, dedit præceptum: *Carnem vestram domate jejuniis* &c: Ne autem carnem domare, & appetitum sensitivum superare, grave molestumq; videatur, statim subjunxit modum, qualiter caro, appetitus, & sensus externi pro objecto suo delicias ventris habentes, superandi sint, nimirum quòd superandi sint, per alium sensum externum, scilicet per auditum, audiendo verbum DEI tempore comestionis, unde inquit: *Cùm acceditis ad mensam, donec inde surgatis, sine tumultu & contentionibus audite.* Sicut enim visum retrahit potentia auditiva à spectando objecto jucundo, ita gustum, odoratum, totumq; appetitum sensitivum, amovet ab objecto gustando, odorando, vel comedendo. Quando autem te urget appetitus sensitivus, vel alius sensus externus *vg*: gustus, aut odoratus, ad indulgendum sapidis, delicatis, & conditis exquisitè cibis, tunc alterum sensum externum scilicet auditum,

ditum, applica diligentissimè, & intentissimè verbo DEI ad mensam religiosam legi solito, quod si ex corde intimo, & intentione sincera feceris, tantum gustum, & voluptatem in illa lectione senties, ut totum te illi audiendæ applicare debueris, & sic ab avida ciborum comestione insensibiliter recedes, & inordinatum appetitum temperabis. Verbum enim DEI, & lectio spiritualis, audita vel lecta, tantam voluptatem carnis extingvit, tantam dulcedinem in mentibus audientium efficit, ut cibis etiam svavissimis, & conditissimis, amaritudinem inducat, tantas delicias in tota anima comparat, ut homines ejus amore captos, extra se rapi faciat.

Considera *2do.* Quòd quoties Christus Dominus vivens in hoc mundo, fuerit in convivio vel prandio, toties aliquid spirituale recumbentibus ad mensam, loco spiritualis lectionis dixerit: sic Lucæ 7. *Rogavit illum quidam de Pharisæis ut manducaret cum illo: & ingressus domum Pharisæi discubuit:* ibiq; docuit Pharisæum, quis plùs fæneratorem diligit, ex duobus debitoribus, an ille cui plùs donavit? an cui minus? item docuit Pharisæum, quòd plùs fecerit mulier peccatrix propter Christum, ungendo pedes ejus oleô, & lachrymis tergendo, quàm ipse Pharisæus, qui Christum pro convivio invitaverat. Pariter Luc: 14. Cap: cùm intraret JESUS in domum cujusdam Principis Pharisæorum manducare panem, & cùm videret quomodo invitati primos accubitus eligerent, dixit ad illos & docuit: *Cùm invitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, ne fortè honoratior sit invitatus ab illo, & veniens is, qui te & illum vocavit, dicat tibi: da huic locum, & tunc incipias cum rubore novissimum locum tenere, sed cùm vocatus fueris,*

ris, vade recumbe in novissimo loco, ut cùm venerit qui te invitavit, dicat tibi: Amice ascende superiùs.

Deinde Math: 9no cap: cùm Levi faceret convivium Christo Domino in domo sua, & videntes Pharisæi murmurabant, quòd JESUS cum publicanis & peccatoribus manducaret: tunc JESUS audiens, docuit illos dicens: *Non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus, euntes autem discite* &c: &c. Idem quoq; fecit Christus Dominus & in aliis locis, in quibus quandocunq; alicui prandio, convivio, aut refectioni interfuit, ibi tractantes se semper aliqua doctrinâ spirituali tractavit, & benignissimè pavit. Novit optimè hanc piam & sanctam consvetudinem S. Legislator Augustinus, & ideo ad mensam quotidie aliquid spirituale legi mandavit, ut reficiendo carnem, etiam animam doctrinâ spirituali reficeremus.

Qui ergo ad normam Regulæ S. Augustini tuos statuisti componere mores, cùm accedis ad mensam donec inde surgas, id quòd tibi secundùm consvetudinem legitur, sine tumultu & contentionibus audias, vel si tibi prandere contigerit ibi, ubi nihil spirituale perlegitur, tu ipse exemplo Christi Domini, aliquid spirituale recumbentibus proferas.

Considera 3tio. Quòd licet verbum DEI, & omnis lectio spiritualis, sit ineffabilis efficaciæ, cæterum tamen multi, imo plurimi audientes verbum DEI, & incumbentes lectionibus spiritualibus, nullam dulcedinem sentiunt in verbo DEI, & non proficiunt in amore lectionis spiritualis, neq; fiunt meliores, aut emendatiores ex illa: sic Judas ipsius Christi Domini verba & prædicationem audivit, & tamen à sua avaritia, & scelere proditionis in-

tentæ non recessit. Sic & multi Pharisæi audierunt Christum Dominum prædicantem, docentem, & tamen suam hypocrisim simulatamq; sanctitatem non deseruerunt, tandem præsentes etiam & nostri ævi Catholici, turmatim & copiosè solent adesse verbo DEI, concionibus, exhortationibus &c: & tamen pauci catholicè vivunt, & plerumq; post auditam in Ecclesia concionem, ad saltus, tripudia, & compotationes redeunt. Ratio tota horum omnium est, quia verbum DEI non ita attendunt, sicut attendendum est, concionibus, exhortationibus non tali modo præsentes adsunt, sicut adesse congruum est. Porrò verbum DEI, lectiones spirituales, exhortationes, audiendæ sunt diligenter, attentè, intensè, sine tumultu & contentionibus: qui sic verbum DEI audit, impossibile est, ut non sentiat dulcedinem in verbo DEI, & voluptatem in lectione spirituali. Et ideo dum S. Legislator injungit refectionis tempore audire lectionem spiritualem, injungit illam audire sine tumultu & contentionibus, dicens: *Sine tumultu & contentionibus audite*· hoc est pacificè, diligenter, attentè, applicativè, & cum omni possibili conatu: Sicut enim corpus opacum impedit potentiam visivam, ne objectum lucidum vel coloratum attingat, ita tumultus, contentiones, ad mensam conceptæ, impediunt potentiam auditivam, ne verbum DEI utiliter audiat.

Qui ergo vis ad mensam, vel in alio loco audire verbum DEI utiliter, audias attentè, diligenter, pacificè, sine tumultu & contentionibus, ut te obligat Regula. Deinde audias libenter & modestè, juxta illud scripturæ: *Interroga libenter, & audi tacens verba sanctorum, nec displiceant tibi parabolæ seniorum, sine causa enim non proferuntur.* Proverb: 1. & 18.

Con-

Considera *4to.* Quòd S. Legislator non assignaverit in particulari, quid ejus instituti cultores recumbentes ad mensam audire debeant, *vg:* non assignavit scripturam sacram audire, imo etiam aliquem eloquentem concionatorem, non ingeniosum librum, non Theologum speculativum, vel moralem, sed tantùm injunxit audire id, quod ad mensam secundùm consvetudinem legitur, dum inquit: *Cùm acceditis ad mensam, donec inde surgatis, quod vobis secundùm consvetudinem legitur, sine tumultu & contentionibus audite:* nempe docere nos voluit, ut sicut in aliis omnibus, ita etiam in audiendo verbo DEI, tempore mensæ subijciamur voluntati, arbitrio, & dispositioni superiorum. Deinde ut nobis claudat iter quærendi hos Authores præ aliis. 3tio ut nos doceat, quòd in lectionibus spiritualibus non subtilitatem, non ingenium, non eloquentiam, non facetias, non authoris dignitatem, sed utilitatem animæ quærere debeamus. Verbum enim DEI, qualecunq; sit, quomodocunq; & à quocunq; proferatur, tantæ efficaciæ est, ut semper possit causare profectum spiritualem in anima.

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, ita te geras, ut quod tibi ad mensam secundùm consvetudinem legitur, indiscriminatè audias, sive illud opus quod legitur sit eruditum, sive non? sive Author ille sit subtilis, sive non? sive stylus, sensus, & oratio eloquens sit, sive non? *Quia quærere potiùs debemus utilitatem in scripturis, quàm subtilitatem sermonis. Ita libenter devotos & simplices libros legere debemus, sicut altos & profundos. Non te offendat auctoritas scribentis, utrum parvæ vel magnæ literaturæ fuerit, sed amor puræ veritatis te trahat ad legendum, Non quæras quis hoc dixerit, sed quid dicatur attende.* Th: à Kem: Con-

Conſidera 5*to*. Quòd S. Legislator non tantùm audire præcipiat verbum DEI, ſed etiam eſurire ſeu deſiderare, cùm inquit: *Non ſolæ vobis fauces ſumant cibum, ſed & aures eſuriant verbum DEI.* Sola enim auditio verbi DEI, ſine eſurie ſeu appetitu & deſiderio ipſius, parvum aut nullum fructum adfert, & parvam aut nullam dulcedinem conciliat in nobis, quando autem adjungitur eſuriei, ſeu deſiderio, incomparabilē voluptatē producit in anima: Sicut enim cibus etiamſi ſvaviſſimus, dulciſſimus, & conditiſſimus ſit, non eſt nobis gratus, nec illum libenter comedimus, quando antecedenter comeſtionem illius non prævenit eſuries, & famelicus appetitus; ita cibus ſpiritualis verbum DEI, licet ſit ſuper omnes terrenas dulcedines præſtantiſſimus, & nobiliſſimus, tamen non adeo libenter illô paſcimur, quando prævie ante paſcuam ſpiritualem, non præcedit eſuries, & deſiderium famelicum illius. Ut ergo S. Legislator conciliaret in nobis utilem auditionem verbi DEI, non tantùm illud audire, ſed etiam eſurire mandavit: *Nec ſolæ vobis fauces ſumant cibum, ſed & aures eſuriant verbum DEI:* quia DEO non tantùm ipſe actus bonus quem operamur, ſed etiam deſiderium actûs boni, ſummopere placet, & DEUS non tantùm ipſum actum bonum, ſed etiam deſiderium præmiat. Unde in Cantico Beatiſſimæ Luc: 1. Cap: dicitur: *Eſurientes implevit bonis.* Et cùm Angelus Gabriel apparuerit Danieli, ſignificando quòd orationes ipſius exauditæ ſint à DEO, dedit rationem hanc Danieli: *quia vir deſideriorum es.* Præterea talia deſideria DEUS non tantùm in terra præmiat, ſed etiam in cælo beatitudine æterna, juxta teſtimonium ipſius Chriſti Domini: *Beati qui eſuriunt, & ſitiunt*

justitiam, quoniam ipsi consolabuntur. Unde super hunc locum Regulæ, Hugo de S. Victore inquit: *Primum ergo præparare debemus cor nostrum ad esuriendum, & desiderandum verbum DEI, aderit divina gratia, quæ nos intus perfundat, & dulcedine atq; sapore spirituali reficiat, & delectet nos cantare, quàm dulcia faucibus meis eloquia tua Domine! super mel ori meo! Et bonum mihi lex oris tui, super millia auri & argenti.* Ut ergo & tu perfundaris dulcedine spirituali, non tantùm audias, sed etiam audire esurias verbum DEI, & mandato Regulæ satisfacies, & majorem delectationem, & voluptatem in anima senties.

Considera *6to.* Plurimi etiam religiosi, ita sunt tepidi & tardi, ad audiendum verbum DEI, ut velint quàm citissimè lectionem ejus finiri, licet modo primùm inchoata sit; quod si aliquando legitimè protrahitur, contra superiores murmurant, & irrident longam lectionem spiritualem, reputantes illam esse superfluam devotionem. Huic tepiditati & fastidio lectionis spiritualis, ut obviet S. Legislator, mandat tam diu lectionem ad mensam protrahi, quàm diu & ipsa mensa protrahitur, cùm inquit: *Cùm acceditis ad mensam, donec inde surgatis, quod vobis legitur audite:* id est tam diu audite, quàm diu non surrexeritis à mensa: quod significatur per illa verba: *donec inde surgatis.* Et ratio hujus est, quia per protractam toto tempore mensæ lectionem, impediuntur discursus inanes, & contentiones inutiles, tumultus & joci minùs honesti. *2do.* Quia per longiorem lectionem, distrahitur appetitus sensitivus, à nimis gulosa comestione. *3tio* Quia major fructus spiritualis exinde colligitur.

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, non mur-

mura contra ſuperiores, quando tempore menſæ protrahunt lectionem verbi DEI, quia mandatum S. Legislatoris eſt, ut tam diu ad menſam verbum DEI audiatur, donec inde ſurgant aſſidentes.

EXPOSITIO ET MEDITATIO XXVII.

Qui infirmi ſunt ex priſtina conſvetudine, ſi aliter tractantur in victu, non debet aliis moleſtum eſſe, nec injuſtum videri eis, quos fecit aliqua conſvetudo fortiores.

COnſidera *1mo.* Quid intelligatur per infirmos ex priſtina conſvetudine? Reſpondeo: per infirmos ex priſtina conſvetudine, intelliguntur illi, qui longo tempore aliqua infirmitate gravantur, ita: ut planè contraxerint conſvetudinem infirmitatis. Licet autem hìc S. Legislator videatur loqui de infirmis ex priſtina conſvetudine, tamen illius præceptum, non eſt intelligendum de ſolis præfatis infirmis, qui ex priſtina conſvetudine infirmantur, ſed etiam de his, qui antea nulla ægritudine premebantur, & tamen modo actualiter & graviter infirmantur. Ratio eſt, quia charitas Chriſti Domini ampla eſt & immenſa, proinde illam non debemus còárctare in nobis, ad nos determinatè, & non ad alios, ſed omnibus æqualem & proportionatam, ſecundùm neceſſitatem & exigentiam, debemus præſtare charitatem.

Ratio *2da* eſt, quia recenter, inopinatè, & inſperatè infirmis contingit, graviùs, acutiùs, & intenſiùs infirmari,

quàm his qui ex priſtina conſvetudine ægrotant, quò ergo graviori tanguntur morbo, eò illis diligentiùs, & cum majori charitate ſuccurrendum eſt: ſi autem illis non fieret ſubſidium charitatis, poſſent in majores & longiores morbos incidere, & tandem fieri infirmi ex priſtina conſvetudine, quod eſt omni religioni gravaminoſum.

Ratio *3tia*, quia morbi recenter exorti, ita plerumq; contingunt, validi, acuti, & violenti, ut hominem vel in inſtanti, vel brevi tempore extingvant, proinde ne hoc eveniat, tempeſtivè occurrendum eſt.

Ratio *4ta*, quia ſi recenter infirmi non tractarentur aliter quàm ſani, tunc duplicem paterentur afflictionem, unam à dolore corporis, alteram à dolore mentis provenientem, ex eo, quòd circa eos non adſit debita cura, ut à ſua infirmitate liberentur.

Conſidera *2do*. Quod tunc poteſt eſſe aliquid moleſtum alteri, quando eſt diſconveniens ejuſdem appetitui rationali & prudenti; tunc autem alteri poteſt aliquid injuſtum videri, quando ejuſdem alterius violatur jus ad aliquam rem. Porrò quando infirmi aliter tractantur in victu quàm alii fortiores, nihil fit diſconveniens appetitui rationali, & prudenti eorundem, qui ſunt corpore fortiores: deinde nullum jus eorum violatur, quia quòd tunc violetur? oſtendi non poteſt; conſequenter nec moleſtum, nec injuſtum debet videri eis, ſi prædicti infirmi diſcretiùs præ illis tractentur. Cujus ulterior ratio eſt, quia per hoſtile bellum capta mancipia, dum infirmantur, etiam apud tyrannos aliter tractantur, quàm antea tractarentur, cùm in ſanitate exiſterent, pariter conducti pro continuo ſolario famuli, à bene compoſitis Dominis,

alium in debilitate merentur respectum, quàm antea meruerint, ipsi quoq; canes venatici, continuis difficilium venationum laboribus fracti, alia & meliora à suis venatoribus capiunt vitæ suæ sustentandæ subsidia, quàm antea receperint, & tamen hoc aliis non est molestum, nec injustum videtur eis, quos fecit aliqua consvetudo fortiores. Si ergo subjecta servituti mancipia, oblati liberè ad obsequia servi, & ipsi quoq; canes, habent hunc respectum, quòd à Dominis suis aliter tractantur in victu, quàm antea tractati fuerint, multò magìs infirmi ex pristina consvetudine religiosi, merentur hoc, ut aliter tractentur in victu, quàm antea tractati fuerint, ut selectiores, nobiliores, leviores habeant portiones, quàm antea habuerint: Deinde si mancipia & servi, non habent sibi pro re molesta, nec injustum reputant, si aliis sociis specialis instante debilitate præstatur in victu gratia, multò magìs religiosi non debent habere pro re molesta, nec injustum reputare, si eorum fratribus selectæ, sapidiores, & meliùs conditæ, concedantur refectiones.

Qui ergo tabescis invidiâ, quando vides particularem infirmis præstari favorem, discas vel ab ipsis mancipiis, tyrannis, irrationabilibus bestiis, charitatem, nec pro re molesta habeas, aut injusta, si infirmi fratres tui, nobiliorem quàm tu mensam habeant.

Considera *3tio.* Quòd alii quibus potest molestum esse, vel injustum videri, quando infirmi aliter tractantur in victu, sunt vel procuratores, vel dispensatores, vel præfecti culinarum, vel tandem illi, qui sunt ordinaria sanitate, & fortitudine præditi: ne ergo hi omnes invideant infirmis, vel pro re molesta sibi habeant, quòd infirmi diligen-

ligentiùs & discretiùs tractandi sunt in victu quàm alii, videant motiva, ex quibus hæc diligentia, discretio, misericordia, & benignitas infirmis præstari debet? *1mum* est expressum mandatum Regulæ S. Augustini, in qua inquit: *Qui infirmi sunt ex pristina consvetudine, si aliter tractantur in victu, non debet aliis molestum esse, nec injustum videri eis, quos aliqua consvetudo fecit esse fortiores:* ad quod præceptum implendum, obligantur superiores sub peccato secundùm gravitatem vel parvitatem materiæ, si infirmorum curam non gerunt, si non provident eis de medico, quando necessitas exigit, item si non provident de loco ad curandos ægrotos necessario. *2dum* motivum est, ex natura ipsius rei, quia scilicet portiones ordinariæ, solitæ, & consvetæ, plerumq; sunt crudæ, salsæ, acidæ, hæc autem omnia juxta lumen rationis, & juxta sensum omnium Philosophorum nocent infirmis, consequenter illis sunt subtrahenda, & alia selectiora victualia, & svaviora subministranda. *3tium* motivum est, quia ipsi infirmi, etiamsi velint, tamen ordinariè non possunt sumere portiones communes, & consvetas, imo etiam aliquando & selectas, præsertim cùm amittunt appetitum comedendi: quomodo ergo illis intrudendæ sunt portiones vulgares, qui etiam ad selectas appetitum non habent.

Quicunq; ergo tenentur gerere curam infirmorum, imprimant bene suæ memoriæ hæc motiva, & habentes illorum memoriam, curent diligentiùs & discretiùs tractare infirmos, quàm sanos, aut quàm se ipsos. Præterea si tu ipse qui superior, vel procurator, vel dispensator, vel culinæ administrator es, infirmus esses, defacto jure naturæ exigeres aliter tractari, quàm tractantur alii, qui

ſani, & quare ergo tam crudelis es, in proximum & fratrem tuum? quare tam indiſcretè, & taliter tractas fratrem tuum? qualiter ipſe nolles tractari, ſi ægrotares.

EXPOSITIO ET MEDITATIO XXVIII.

Nec illos feliciores putent, quia ſumunt quod non ſumunt ipſi, ſed ſibi potiùs gratulentur, quia valent, quod non valent illi.

COnſidera *1mo.* In præcedenti Regulæ puncto, dedit mandatum S. Legislator, ut non ſit moleſtum aliis, nec injuſtum videatur, ſi infirmi aliter tractentur in victu, quàm ſani. In hoc autem ſequenti puncto, continuat idem mandatum, ut non putemus feliciores eſſe infirmos ex eo, quia ipſi nobiliores ſumunt portiones, quàm nos in ſanitate exiſtentes, ſed potiùs debemus nobis gratulari, quia nos valemus id facere, quod ipſi non valent. Et defacto in re, feliciores ſunt ſani quàm infirmi, licet delicatiores ſumant portiones. Ratio hujus eſt *1mo*, quia univerſaliter & ordinariè loquendo, felicior eſt ille, qui nullum dolorem in corpore patitur, quàm ille qui eidem ſubjacet. *2do* felicior eſt ille, qui officio ſuo ſatisfacere poteſt, & exinde mereri, quàm ille, qui ad utrumq; eſt impotens: porrò ſani officio ſuo ſatisfacere poſſunt, & per hanc ſatisfactionem mereri, infirmi autem ad utrumq; ſunt impotentes, ſic *vg.* ſani poſſunt adeſſe Horis Canonicis, celebra-

lebrare ſacrificia, ac opere operato, & opere operantis lucrari gratiam, poſſunt facere mortificationes corporis, ad matutinum media nocte ſurgere, meditationibus quotidianis adeſſe, miniſtrare infirmis, illoſq; viſitare, indulgentias plenarias faciliùs & commodiùs lucrari, quæ omnia ſunt meritoria, ſi debito ordine fiant, ad hæc autem multa, infirmi ſunt frequenter impotentes & incapaces, conſequenter non ſunt feliciores ex eo: quia ſumunt ipſi, quod non ſumunt alii.

Qui ergo indulgente divina bonitate, adhuc ſano corpore gaudes, gratulare tibi in Domino hunc ſpecialem favorem DEI, & gratias age DEO quia vales id, quod non valent infirmi, quia potes tantùm mereri, quantùm non poſſunt illi, & ora DEUM pro ipſis, ut etiam illi ad hunc ſtatum redeant, in quo tu exiſtis, & una tecum laudent DEUM, mereanrur gratiam ejus, & poſtea vitam æternam.

Conſidera *2do.* Utrum etiam feliciorem reputares Ethnicum, vel alium quemcunq; infidelem, *vg*: Judæum, Turcam, ex eo, quia ipſe ſumit ſapidiora, nobiliora, ſvaviora, delicatiora percipit alimenta, quàm tu, & in omnibus majorem commoditatem habet quàm tu? Conſidera item, utrum equum morti proximum, vel ſaltim ex priſtina conſvetudine ægrotum, habentem tamen abundantiam avenæ, fæni, & aliorum alimentorum, utrum inquam feliciorem reputares altero equo? qui ſimilia alimenta non haberet, ſanus tamen eſſet: defacto ſectando dictamen prudentiæ, feliciorem reputares Catholicum, licèt tantas commoditates non habeat, quantas Ethnicus, & equum feliciorem reputares ſanum, deſtitutum prædictis

commo-

commoditatibus, quàm infirmum habentem omnia abundanter. Qualiter judicares de his omnibus, proportionatè judica de fratre tuo, & non putes illum feliciorem ex eo, quia ipſe ſumit, quod tu non comedis, quia ipſe bibit, quod tu non bibis: hæc enim omnia licet dulcisſima, ſvaviſſima, & conditiſſima ſint, plerumq; infirmis amara, ingrata, & abominoſa videntur: & cum majori appetitu panem hordeaceum ſumere poſſunt ſani, quàm exquiſita obſonia, & dulciſſimas portiones, infirmi.

EXPOSITIO
ET
MEDITATIO XXIX.

Et ſi eis, qui venerunt ex moribus delicatioribus, ad Monaſterium, aliquid alimentorum, veſtimentorum, operimentorum datur, quod aliis fortioribus, & ideo felicioribus non datur, cogitare debent, quibus non datur: quantum de ſua ſæculari vita, illi ad iſtam deſcenderint, quamvis uſq; ad aliorum, qui ſunt corpore firmiores, frugalitatem pervenire nequiverint.

COnſidera 1mo. Quid intelligatur in hoc textu per illa verba: *Cogitare debent, quibus non datur.* Reſpondeo, intelligitur hoc: quòd dum fortiores, adeoq; feliciores viri religioſi vitio ducunt, id, quando venientes ex moribus delicatioribus, tractantur diſcretiùs, tunc ne illis injuria aliqua videatur (licet nulla ſit) debent co-

gitare quid ipsi sint? quales sint, cujus statûs, & conditionis? cujus roboris, valetudinis? verbo loquendo, debent cognoscere se ipsos, quò ad substantiam, qualitates, accidentia, & circumstantias: quodsi autem se ipsos perfectè cognoverint, non invidebunt aliis, quòd delicatiùs & discretiùs tractentur. Cognitio enim sui ipsius, sicut ad alia vitia, ita ad tollendam invidiam, tantùm prodest, quantùm sol ad tollendas tenebras. Dum enim aliquis cognoscit se ipsum nihil esse, & hôc ipsô judicat sibi nihil deberi, adeoq; alteri non invidet, licet plurimis abundet bonis. Unde S. Augustinus Ser: 50. de verb: Apostoli svadet ejusmodi cognitionem sui: *Semper tibi displiceat, quod es, si vis pervenire ad id, quod non es, nam ubi tibi placuisti, ibi remansisti.* Et de eodem S. Augustino testatur Rodriquez Parte 2da, Tractatu 2. Cap: 9. quòd continuò precabatur DEUM, & dicebat: *DEUS semper idem, noverim me, noverim te!* Ubi adverte, quòd S. Augustinus hoc primò precabatur, ut noverit se, tum secundò, ut noverit DEUM, quia cognitio sui, ducit nos ad bene cognoscendum DEUM, ut docet Cassiodorus: *Magnus accessus ad DEUM, est cognitio infirmitatis suæ. Locis corpora continentur, animi autem locus, est affectio sua. Magna est utilitas servo DEI, propriam infirmitatem cognoscere, atq; in suis viribus aut meritis nullam fiduciam habere. Tunc enim incipit adesse virtus divina, quando deficere incipit virtus humana.*

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, cognosce te ipsum, & proximior eris DEO, nunquam invidebis, si alii tractentur discretiùs in alimentis, vestimentis, & aliis commoditatibus. Quare non meis, sed Rmi Choriola-

riolani concludo verbîs, qui in expositione super Regulam commento 25. inquit: *Redeat ergo Fratres mei, unusquisq; in cor suum, intelligat se, cognoscat dignitatem suam, discutiat se ipsum, consideret unde venerit? quo tendat? quomodo vivat, quid agat? quid committat, quidve omittat, quantùm quotidie vel proficiat, vel deficiat? quibus cogitationibus magis incursetur, quibus affectibus frequentiùs molestetur? quibus tentationum machinis à maligno spiritu acriùs impugnetur, & cùm totum interioris, exteriorisq; hominis, statum, præsentiam, habitum, conditionem, successumq;, quod fieri posset, plenè cognoverit, non modo qualis sit, verùm etiam qualis esse debeat, intelliget. Et tunc utiq; non se inflabit, sed humiliabit, nec ea quæret in Monasterio, quæ foris habere non poterat. Compatietur Patribus suis, compatietur debilibus, compatietur & his, qui de moribus delicatioribus ad Monasterium venerunt, si non ita parcè, ita frugaliter, ita strictè, ita etiam sobriè vixerint, tolerabit eos, patietur, & æquô animô feret, si quid alimentorum, operimentorumve plùs, vel delicatiùs eis, quam cæteris impartietur, per hanc sui cognitionem, etiam ad summi DEI poterit sublevari contemplationem.*

Considera *2do.* Quid significent illa verba Regulæ: *Cogitare debent, quantùm de sua sæculari vita, illi ad istam descenderint?* Respondeo: significant id, quod dum Religiosi sanitate præditi, invident aliis delicatioribus, quòd discretiùs tractentur, tunc isti invidentes, debent cogitare, & sibi proponere ante oculos, quantùm viri delicatiores se se humiliaverint, tum viri delicatiores venientes ad Religionem, quantum in sæculo reliquerint, quantos honores, prærogativas, dignitates contempserint? quantas opes, fortunas, prædia & thesauros spreverint, illisq; o-

mnibûs contemptîs subdiderunt se potestati superiorum, & qui antea erant majores omnibûs, hi modo facti sunt æquales, singulis in Religione degentibus. Hoc autem totum cogitabunt, expendent, ac diligenti mente revolvent, non invidebunt illis viris delicatioribus, si discretiùs à Superiore tractentur. Viri autem delicatiores ita se debent gerere, ut ipsi non porrigant occasionem invidiæ, quod facilè præstabunt, si de familia sua, prosapia, domo, sangvine, prærogativis, honoribus, fortunis, & opibus, non gloriabuntur, sed totum quidquid fuerant, tacebunt. Gloriatio enim & jactantia de sublimi prosapia sua, vel bonis fortunæ, est in Religionibus odiosa & prohibita. Unde sicut inferiores conditione, non debent invidere illis, qui sunt altioris conditionis, ita illi, qui majores fuerant in sæculo, non debent de sua nobilitate gloriari, sed potiùs tenentur omnibus æquales fieri: ne fiat illa contentio: *Quis est major nostrum in regno cælorum?* Quare iterum non meis, sed ejusdem Reverendissimi Choriolani concludo verbis: *Sit ergo in servis DEI discretio personarum, quia etiam Præceptor noster dicit: Non æqualiter omnibus, quia non æqualiter valetis omnes: sit agnitio statûs eorum, sit rectum sanumq; judicium.* Et inferiùs idem inquit: *Tolerandi enim sunt, qui minùs possunt: sufferendi, qui minùs valent, compatiendum illis, qui delicatiùs in sæculo vivere consveverunt.*

Considera *3tio.* Quòd licèt S. Legislator concesserit discretiùs tractandos, qui ex moribus delicatioribus venerunt ad Monasterium, tractandos inquam in alimentis & vestimentis, tamen hæc discretio debet esse valde moderata, & cauta, nec ita laxa, ut per illam separata & di-

versa ab aliis parari debeant alimenta, vel vestimenta, sed tantùm debet esse talis, ut ex vi illius non absolutè, sed tantùm aliquid plùs, quàm aliis tribuatur: unde S. Legislator non dixit: *Etsi eis, qui ex moribus delicatioribus venerunt, alia alimenta & vestimenta dantur:* sed tantùm dixit: *Aliquid alimentorum, vestimentorum* &c: ut delicatiores discant, se non posse prætendere diversa specie alimenta, vel vestimenta, sed tantùm aliquam auctionem vel meliorationem secundùm quid, & diminutè: si enim non secundùm quid & diminutè, sed absolutè alia alimenta, & alia penitus vestimenta deberent tribui delicatioribus, tunc vita & mensa communis notabiliter tolleretur, deinde imponeretur grave onus rei familiaris Præfectis, & quod majus est, illi qui taliter tractarentur, non haberent modum & occasionem aliquando recedendi à vita delicata, & accedendi ad austeritatem religiosam, sed potiùs præteritam vitam suam delicatam, magis confirmarent in deliciis, & fortè majorem habitum & consvetudinem contraherent delicatè vivendi, quàm antea contraxerint in sæculo. Tandem non posset absolutè ostendi, quô differet vita talium religiosorum, â vita præterita sæculari. Unde ne hæc evenirent, S. Legislator non mandavit absolutè, ut delicatiores tractentur discretiùs in Monasterio, sed tantùm dixit sub conditione, *Si eis aliquid datur, quod aliis fortioribus non datur, &c. cogitare debent quibus non datur &c.*

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, non prætendas absolutum & diversum ab aliis modum tractandi te, sed esto contentus, si tractatus fueris diverso ab aliis modô, *secundùm quid & diminutè,* seu servatô prudenti moderamine.

EX-

EXPOSITIO ET MEDITATIO XXX.

Nec debent velle omnes, quod paucos vident ampliùs, non quia honorantur, sed quia tolerantur accipere: ne contingat detestanda perversitas, ut in Monasterio, ubi quantùm possunt, fiunt divites laboriosi, fiant pauperes delicati.

COnsidera *1mo.* Quòd dum aliquod onus extraordinarium imponitur uni, vel pluribus paucis, statim omnes alii murmurant, insurgunt, timentes ne sibi præjudicium fiat, & onus simile injungatur: quando autem aliquid de onere paucis minuitur, quando illis discretiùs aliquid conceditur, & paternè indulgetur, statim alii hanc extraordinariam indulgentiam videntes, eandem volunt, & prætendunt, & sibi pariter deberi judicant. Contra hos ponit mandatum S Legislator, dum inquit: *Nec debent velle omnes, quod paucos vident ampliùs accipere:* hæc enim volitio accipiendi id, quod paucis propter occurrentes circumstantias conceditur, cùm procedat ex fontibus prohibitis & illicitis, etiam & illa prohiberi, & aboleri debet.

1mo enim procedit ex defectu appetitûs rationalis mortificati, si enim hic appetitus rationalis esset mortificatus, defactò etiamsi videremus aliquid paucis concedi, quod nobis negatur, id absolutè non vellemus, imo contemneremus.

2do Procedit ex avaritia, avari enim etiam id volunt habe-

habere & accipere, quod ad eos non pertinet, nec eis debetur : qui enim vult id, quod paucos videt accipere, ex dispēsatione superiorum, hic vult id, quod ad eum non pertinet, nec debetur ei, adeoq; avarus est, consequenter ejus volitio procedit ex fonte avaritiæ.

3tio. Procedit ex invidia, hæc enim est tristitia de bono alterius: porro qui volunt id, quod paucis conceditur, ordinariè tristantur, & affliguntur de bono alteriùs; & sic ne tristentur, & affligantur intus, volunt id accipere, quod alter jam accepit.

4to. Procedit ex æstimatione sui ipsius, quod scilicet tales nos esse æstimamus, & ita dignos, sicut sunt illi, quibus aliquid extraordinarié indulgetur, & quia hanc æstimationem nostram veram putamus, hoc prætendimus & volumus, quod aliis concessum esse per discretionem videmus.

5to. Tandem procedit ex dissolutione videndi, si enim dissolutum videndi modum non haberemus, defactò multa quæ videmus, non videremus, nec haberemus occasionem volendi ea, quæ aliis paucis concessa sunt.

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, expende, ex quo fonte procedit in te affectus, seu vitium volendi ea, quæ aliis propter certas circumstantias, ex dispensatione superiorum conceduntur.

Considera *2do.* Motiva & rationes S. Legislatoris, propter quas prohibet, ne omnes velint illud, quô pauci ex dispensatione utuntur. *1ma* ergo ratio, propter quam prohibet, ne omnes velint uti cibis delicatioribûs quibûs pauci utuntur, est hæc: *non quia honorantur, sed quia tolerantur:* hoc est non ideo illis, qui ex moribus delicatioribus

ribus venerunt ad Monaſterium, dantur aliquæ portiones delicatiores, & nobiliores, quaſi verò vellet illos Religio honorare, venerari, æſtimare, aut digniores præ cæteris reputare, ſed potiùs ideo, quia eorum conſvetudinem in ſæculo contractam, benignè tolerat, paternè ſuſtinet, ſvaviter patitur, ſi enim non toleraret, nec pateretur, ſequeretur quòd Religio eſſet crudelior carceribûs tyrannorum, *Quis enim* (inquit Rm̃us Humbertus) *tyrannus*, *vel etiam ſaracenus*, *nobilibus & delicatis incarceratis apud ſe*, *non facit miſericordiam majorem*, *quàm aliis*. Quare ſi Religio præſtat aliquã diſcretionẽ, quam plerumq; præſtant tyranni, conſequenter hic crudelior eſt tyrannîs, qui talem diſcetionem præſtandam impedit, vel negat. *2da* ratio propter quam S. Legislator prohibet, ne omnes velint uti cibis ſelectioribûs, quibûs utuntur delicatiores, eſt hæc: *Ne contingat deteſtanda perverſitas*, *ut in Monaſterio*, *ubi quantùm poſſunt*, *fiunt divites laborioſi*, *fiant pauperes delicati*. Porro debitus ordo Monaſterii, & cujuslibet Religionis hic eſt: ut divites, delicatiores &c: delicatiùs & diſcretiùs tractentur, pauperes autem ut plùs & diligentiùs laborent; perverſus autem ordo eſt, quando divites & delicatiores fiunt laborioſi, pauperes autem delicati, quod eveniret, quando omnes vellent id, quod paucos vident ampliùs accipere. Talem ergo perverſum ordinem vocat S. Legislator, *deteſtandam perverſitatem*. *Magna quippe & deteſtanda perverſitas eſt*, (inquit hìc Rm̃us Choriolanus) *ut pauperes*, *inopes*, *egeni*, *ignobiles*, *& ruſticani homines in ſæculo*, *velint tanquam nobiles & magni viri in Religione tractari*, *ubi divites & generoſi homines*, *ſobriam & parcam vitam ducunt*, *quod tamen fierî ſæpenumero videmus*. *Efferunt enim*

ſe ple-

se pleriq; nonnunquam in Religione, ut in ea primum accubitum, delicatiores cibos, prælaturas, eminentiam quærant, cùm tamen in sæculo pauperes, infirmi, & abjecti extiterunt. E contra, multi quantò nobiliores, delicatioresq; fuerunt in sæculo, tantò postmodùm abjectiùs, discretiùs, humiliùsq; degunt in Monasterio. Illi quidem ventri, hi menti serviunt; illi mundum sequuntur, hi DEUM venerantur. Illi per latam spatiosamq; viam tendunt ad pœnam, isti per arctam & angustam tendunt ad gloriam. Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, caveas velle id, quod paucos vides ampliùs accipere, ne in te, ex te, & per te, contingat adeo detestanda perversitas Religionis & observantiæ regularis.

EXPOSITIO ET MEDITATIO XXXI.

Sanè, quemadmodum ægrotantes necesse habent minùs accipere, ne graventur, ita, & post ægritudinem sic tractandi sunt, ut citiùs recreentur, etiamsi de humillima sæculi paupertate venerunt, tanquam hoc illis contulerit recentior ægritudo, quod divitibus anterior consvetudo.

COnsidera *1mo.* In præcedenti immediatè textu aiebat S. Augustinus de illis infirmis, qui venerunt ex moribus delicatioribus ad Monasterium: in hoc autem textu ait de quibuscunq; infirmis, & hortatur, ut illi omnes ita tractentur post ægritudinem, sicut tractabantur in actu-

ali ægritudine, etiamsi illi de humillima sæculi paupertate venerunt. Hujus autem suæ ordinationis statim subjungit finem & rationem; nempe ut citiùs recreentur, id est: sanentur; sicut enim Religioni necessarium est, ut ægrotantes ad sanitatem perfectam deveniant, ita pariter necessariùm est, ut etiam post ægritudinem ita tractentur, sicut in ægritudine tractabantur, quæ discretio si sublata fuerit, etiam sanitas eorum dilata manebit, cum molestia infirmorum, & cum gravi incommodo ipsius Religionis. Sicut ergo medicus non tantùm durante ægritudine curat infirmum, medicamenta applicat, eiq; assistit, sed etiam post ægritudinem invigilat, ne infirmus recidat, & ne ad pristinam ægritudinem redeat, ita etiam Superior, vel ejus Procurator, non tantùm in actuali ægritudine, sed etiam post illam, debet æquali modo tractare infirmos, ut celeriùs pristinæ sanitati restituantur. Quod si negaverit, erit similis illi, qui naufraganti in mari porrexit tabulam, vel stipitem, postquam autem naufragus fuerit proximus littori, ille eidem subtraxit auxilium, & evasionis methodum. Si ergo aliqui nolunt talibus succurrere ex officio & obligatione, saltim succurrant ex misericordia, siquidem juxta testimonium Leonis Papæ in sermone de apparitione: *Misericordiæ virtus tanta est, ut sine illa cæteræ, etsi sint, prodesse non possint. Quamvis enim aliquis fidelis sit, & justus, & sobrius, & aliìs majoribûs ornatus insignibûs, si misericors tamen non est, misericordiam non meretur.* Et Joannes Chrysostomus super Mathæum: *Justitia sine misericordia, non est justitia, sed crudelitas: sic misericordia sine justitia, non est misericordia, sed fatuitas.*

Considera *2do.* Quòd plerumq; etiam ipsi Religio-

num Prælati, ac eorum Procuratores, vel subalterni superiores, habent quidem solicitam infirmorum diligentiam, sed cum admixta personarum acceptione: nimirùm his provident necessaria, hos discretè tractant in infirmitate, quos noverunt esse, seu fuisse divites, magnates, nobiles, vel aliô titulo insignes: quos verò sciunt esse pauperes, egenos, ignobiles, & nullâ nominis magnitudine claros, eosdem negligunt, obliviscuntur, & nullum eorundem respectum, durante debilitate habent. Sed talis abusus displicet S. Legislatori, quoniam jubet etiam pauperrimos, & abjectissimos ita tractari post ægritudinem, sicut quoscunq; divites, aut nobiles, dum addit: *Etiamsi de humillima sæculi paupertate venerunt:* sicut enim divites aut nobiles, pro titulo se tractandi discretiùs, habent anteriorem consvetudinem suam, ita pauperes pro simili titulo & ratione, habent recentiorem ægritudinem suam. Deinde, sicut integra divitum sanitas est necessaria Religioni ad tractanda ejus negotia, ita & pauperum est omnibus proficua ad sustinenda onera chori, sacrificiorum &c. Discant ergo hìc Prælati, quòd æqualiter pauperum, sicut & divitum curanda est reparatio sanitatis, quia Christus Dominus non tantùm divites, sed etiam pauperes, dum esset in hoc mundo, dignatus est sanare & reficere.

EXPOSITIO ET MEDITATIO XXXII.

Sed cùm vires pristinas reparaverint, redeant ad feliciorem consvetudinem suam, quæ famulos Dei tantò

ampliùs decet, quantò minùs indigent, nec cibi eos teneat voluptas jam vegetatos, quos neceſſitas aliquando levârat infirmos.

COnſidera *1mo.* Quid hic intelligitur per feliciorem conſvetudinem? hoc ut bene percipiatur, ſciendum eſt. Duplex eſt in Religionibus conſvetudo, *1ma*, quâ verè infirmi liberantur vel ab omnibus, vel ab aliquibus tantùm oneribus, pro ratione majoris, vel minoris infirmitatis. *2da*, quâ omnes illi, qui fuerunt infirmi, & poſtmodum facti ſunt ſani, tenentur ſubire omnia onera, & exercitia Religionis. Prima illa conſvetudo vocatur felix, quia per illam exercetur charitas erga infirmos. 2da vocatur felicior conſvetudo, quia per illam religioſi volentes proficere, exercent ex charitate omnia onera Religionis, quæ tempore infirmitatis intermiſerunt. Præterea præfata conſvetudo ideo felicior eſt, quia per illam primam quærebatur principaliter, ut commoditatem habeant in infirmitate: per hanc autem 2dam quæri ſolet, ut exequantur id, ad quod vocati ſunt, ut proficiant de virtute in virtutem, & ut ſubeant omnia onera, nullô exceptô. Sicut ergo S. Legislator ordinat per ſuam Regulam, ut reſpectu infirmorum ſervetur prima conſvetudo, tamen poſtquàm ſanati fuerint, diſponit, ut redeant ad 2dam feliciorem conſvetudinem ſuam, hoc eſt: ut faciant id, quod antea faciebant, & exerceantur in his, in quibus antea exercebantur: unde inquit S. Legislator: *Sed cùm vires priſtinas reparaverint, redeant ad feliciorem conſvetudinem ſuam.* Obligatio autem redeundi ad feliciorem conſvetudinem ſuam, provenit ex multis capitibus: 1mum, eſt ipſa Profeſſio,

feſſio, vi cujus ſe obligârunt ad ſuſtinenda omnia onera Religionis, & ad exercenda omnia ejus exercitia, 2dum, eſt ceſſatio infirmitatis, vigore cujus liberi fuerant à prædictis exercitiis: ſicut ergo ceſſavit infirmitas, ita debet ceſſare & indulgentia, ſeu libertas ab operando & laborando. 3tium, eſt praxis totius orbis, vi cujus infirmi, poſtquam ſanati fuerint, redeunt ad prima onera ſua, quæ antea ſuſtinebant. 4tum, quia religioſi inutiles redderentur, ſi poſt ceſſationem infirmitatis, non redirent ad priſtinum ſtatum ſuum. Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, vide qualiter te poſt infirmitatem geras? & utrum ad priſtinam tuam conſvetudinem redieris.

Conſidera *2do.* Quid velit S. Legislator per illa verba: *Quæ famulos Dei tantò ampliùs decet, quantò minùs indigent?* reſpondeo: intelligit majorem decentiam religioſorum provenire ex eo, quando minùs indigent, hoc eſt, quando minorem commoditatem exigunt, quando fiunt pauperes, & quando in paupertate ſua, & auſteritate ſibi complacent. In his ergo verbis S. Legislator dat motivum, propter quod religioſi nuper infirmi, & modo ſani, debeant redire ad feliciorem conſvetudinem ſuam, nempe: quia illos magis decet minor indigentia, quàm exigentia, & abundantia commoditatum. Quamvis ergo nulla alia neceſſitas, vel admonitio ſuperiorum eſſet, ſola decentia & honeſtas mentis, poteſt illos ad hoc inducere, ut redeant ad priſtinam conſvetudinem ſuam. Decentia verò præfata creſcit juxta minorem indigentiam: minùs indiges, major eſt tui decentia, plùs indiges, minorem acquiris decentiam. Famulorum ergo & amatorum mundi decentia in hoc conſiſtit, ut illi plùs indigeant: unde

quò

quò plura habent, eò magis ab omnibus æſtimantur, honorantur, & obſervantur: decentia autem famulorum Dei in hoc conſiſtit, ut minùs indigeant: unde illi quò minora & pauciora à ſuperioribus exigunt, eò magis ſpirituales, perfectiores, & ſanctiores reputantur. Et tales fuerunt antiqui viri Apoſtolici, qui quò plùs abundabant gratiâ, & ſpiritu ſerviendi DEO, eò paucioribûs indigebant.

Conſidera *3tio* illa verba S. Auguſtini: *Nec cibi eos teneat voluptas jam vegetatos, quos neceſſitas aliquando levarat infirmos:* per quæ verba hoc ſignificatur, quòd recenter ſanati, ideo debeant redire ad priſtinam conſvetudinem ſuam, ne eos jam vegetatos teneat ciborum & delicatorum alimentorum voluptas, hoc eſt ne contrahant habitum in cibis & alimentis delicatis. Omnes enim voluptàtes id ſibi habent proprium, quòd à quibus frequenter guſtatæ fuerint, illos teneant, & quaſi vinculis adſtringant, ex illiſq; frequenter guſtatis ac perceptis oritur gravis plerumq; habitus & conſvetudo, talis, ut illam deſerere graviſſimùm ſit. Sic *v.g.* ebrietas tenet ebrioſos, ne ab illa deſiſtant, & ingens patiuntur tædium, quando nihil bibunt: ſic & libido tenet laſcivos, ut nec unâ horâ poſſint pacificè durare, ſine ſuis objectis, in quibus immerſi ſunt. Unde S. Auguſtinus in Pſal: 30: inquit: *Vincere conſvetudinem dura eſt pugna*, & S. Gregor: libr: 15. moral: inquit: *Tenent pravæ conſvetudines, quem ſemel cæperunt; atq; quotidie duriores exiſtunt: & nonniſi cum peccatoris vita finiuntur.* Proinde ne viri religioſi huic conſvetudini, habitui, & ſervituti ſubjaceant, præmonet illos S. Legiſlator, ut tempeſtivè redeant ad priſtinam conſvetudinem ſuam, alias ſi non redirent, tenerentur à voluptate ciborum in vinculis, tan-

tanquam aliqua mancipia. Sicut ex ebrietate frequentata oritur habitus, conſvetudo, & quædam neceſſitas inebriandi: ita ex voluptate ciborum tempore infirmitatis uſitata, oritur conſvetudo, inclinatio, & propenſio ad frequentandos ulteriùs cibos delicatos. Qui ergo in infirmitate utebaris cibis delicatioribûs, tu quàmprimùm ſanatus fueris, redeas ad antiqua alimenta, ne à voluptate tenearis, & tanquam captivus ab illa maneas, redeas item ad omnia onera & exercitia Religionis: *Eſto vigilans* (loquor cum Thoma à Kempis) *& diligens in Dei ſervitio, & cogita frequenter, ad quid veniſti? & cur ſæculum reliquiſti? nonne ut DEO viveres, & ſpiritualis homo fieres? igitur ad profectum ferveas, quia mercedem laborum tuorum in brevi recipies: nec erit ampliùs tunc timor, aut dolor in finibus tuis. Modicum nunc laborabis, & magnam requiem, imo perpetuam lætitiam invenies. Si tu permanſeris fidelis, & fervidus in agendo, DEUS procul dubio erit fidelis, & locuples in retribuendo.*

EXPOSITIO ET MEDITATIO XXXIII.

Illos æſtiment ditiores, qui in ſuſtinenda parcitate fuerint fortiores: meliùs eſt enim minùs egere, quàm plùs habere.

CONſidera *1mo.* Quomodo illi ſint ditiores, qui in ſuſtinenda parcitate & paupertate fuerint fortiores? qui enim parcè vivit, ſupponitur id vel ob defectum, vel ob tenaciam agere, qui autem in paupertare vivit, quomodo

do dives esse potest? ad hoc respondeo: qui in parcitate & paupertate vivit, ille ditior est divitibûs.

1mo. In profectu voti paupertatis, quod emisit: votum enim paupertatis requirit, ut parcè vivamus, & simus paucîs contenti, proinde qui hoc votum implet, fit ditior in executione voti sui, consequenter & profectu religioso.

2do. Qui in paupertate vivit, ditior est divitibûs in eo, quia paupertatem suam habet pro manuductrice ad cælum, ut docet S. Chrysostomus serm: 18. super Epist. ad Hæbreos: *Paupertas est manuductrix quædam in via, quæ ducit ad cælum, unctio athletica, exercitatio quædam magna, & admirabilis, portus traquillus. Nihil opulentiùs eo, qui paupertatem spontè diligit, & cum alacritate suscipit.*

3tio. Qui in parcitate & paupertate vivit, est ditior divitibûs in eo, quia cælum pro paupertate acquirit, juxta S. Aug: de verb: Apost: serm: 28. *Non tibi displiceat paupertas tua, nihil ea potes ditiùs invenire. Vis nôsse quàm locuples sit? cælum emit: quibus thesaurus conferri possit, quod pauperibus videmus indultum, ut ad regnum cælorum veniret dives, possessione sua obtinere non potuit, nunc obtinet, ut contemptu perveniat.*

4to. Qui in pauperrate vivit, est ditior divitibûs in eo, quia DEUM possidet, & in DEO omnia, ut docet S. Leo serm: 4. in Quadrag: *Semper dives est Christiana paupertas: nec pavet in isto mundo indigentia laborare, cui donatum est, in omnium rerum Domino, omnia possidere.* Hoc ipsum sentit V. Beda lib: 2. in Proverb: cap: 13. *Pauper innumerabiles divitias possidens, est pauper Evangelicus, qui cùm DEUM ipsum bonorum omnium fontem gestet in corde, bonîs indigere non potest. Si ergo hic nullô eget, & multas divitias*

habet,

habet, dives eſt. Verè dives, qui paupertatem ſpiritûs habens, virtutes veras animæ opes ad ſe transtulit poſſidendas.

5to. Qui in paupertate vivit, ditior eſt in eo divitibûs, quia dæmoni non ſubjacet, & nihil habendo, omnia poſſidet, ut docet S. Laurentius Juſtinianus in leg: vit: Ttact: de paupertate cap: 4. *Vis inopiæ divitias addiſcere? non ſubjacet dæmonibus, non aſſiſtit regibus, quia militat DEO, & cum Angelis ipſis, cœlorum Regi famulatur. Non habet horrea, ubi grana reponat; ſed talem abundantiam, ut habere mundum univerſum, nihil exiſtimet. Non habet, quod theſaurizet in terra, quoniam cuncta, quæ poſſidet, recondit cœlo: non indiget ſervîs, magis autem ſervos, poſſeſſiones, & cogitationes, quæ regum corda dilatant, regnum, aurum, & omnia talia, quemadmodum puerorum ludibria deridet, & ſicut præteriens umbra, cuncta quæ omnibus cara videntur, exiſtimat fore contemptibilia.*

6to. Qui in parcitate & paupertate vivit, ille divitibûs eſt ditior in eo, quia ſicut cor ſuum gerit vacuum cupiditatibûs terrenis, ita illud habet plenum gratiîs ſupernaturalibûs, & donîs S. Spiritûs: gratiæ enim & dona Spiritûs Sancti, illuc facillimè deſcendunt, ubi cor nihil in ſe terrenum poſſidet.

7mo. Qui in parcitate & paupertate vivit, ille divitibûs ditior eſt in eo, quia cor ipſius abundat pace interna, & ſecuritate conſcientiæ: unde Vene: Beda in 2dam ad Corinth: inquit: *Pauper in cella, dives in conſcientia, ſecurior dormit in terra, quàm dives in purpura.*

8vo. Qui in parcitate & paupertate vivit, ditior eſt divitibûs in eo, quia potitur vera hilaritate, & lætitia animi: hinc S. Laurentius Juſtinianus Tract: de paupertate

cap: 4. inquit: *Quid paupertate melius? quid ſecurius? quid jucundius? triſtentur omnes, cuncti gemant, formident univerſi, hæc ſemper hilaris, ſemper eodem vultu in cœlo, ideo nihil habet, quod omittere poſſit in terra.*

9no. Qui in parcitate & paupertate vivit, ille eſt divitibûs ditior in eo, quia gaudet plena libertate animi, non conſtricti vinculis horum terrenorum, teſte S. Iſidoro libr: 2do, Epiſt: 23. *Pura & numeris omnibûs abſoluta libertas eſt, nùllâ omnino re indigere.*

10mo. Qui in parcitate & paupertate vivit, ille eſt divitibûs ditior in eo, quia ſine dolore ad mortem diſponitur, ſine anguſtia moritur, nihil enim habet, de cujus amiſſione doleat, vel triſtetur, qui pridem reliquit & contempſit omnia, ſolum autem DEUM in tota vita ſua quæſivit.

Rectè igitur S. Auguſtinus dixit: *Illos æſtiment ditiores, qui in ſuſtinenda parcitate fuerint fortiores:* & propter paritatem rationis, illi æſtimandi ſunt ditiſſimi, qui in ſuſtinenda parcitate ſunt fortiſſimi. Si ergo & tu in paupertate ſuſtinenda fortis es, tunc eô ipsô dives es: ſi autem in ea paupertate ſuſtinenda fortior es aliîs, tunc & ditior es aliîs: tandem, ſi in hac parte fortiſſimus es, eô ipsô ditiſſimus es: non aurô & argentô, ſed ipſa fortitudine ſuſtinendi, & gratiîs DEI eam conſequentibus, ſupra enumeratis, accedit in hunc ſenſum & Seneca Epiſt: 2. *Cui cum paupertate bene convenit, dives eſt.*

Conſidera *3tio.* Quare meliùs eſt minùs egere, quàm plùs habere? Ratio 1ma eſt, quia qui minùs eget, minùs oneratur, minùs turbatur, minùs inquietatur, minùs ab avaritia impetitur: qui autem plùs habet, magìs onera-

tur,

tur, magis turbatur, magis inquietatur, magis ab avaritia impugnatur.

Ratio 2da. Qui minùs eget, minùs timet, tam hostem, quàm furem, quia non habet, quod ipsi hostis vel fur auferat. Qui autem plùs habet, continuò timet, ne amittat, continuò suspicatur, ne perdat, continuò quærit loca, in quibus pecuniam abscondat, postquàm autem abscondit, etiam illum locum custodire cogitur, & etiamsi custodiat, plerumq; subtrahitur id, quod habuit.

Ratio 3tia. Qui minùs eget, minorem curam, solicitudinem, & occupationem circa temporalia habet, qui autem plùs habet, majorem curam, solicitudinem, & occupationem circa temporalia acquirit, & patitur.

Ratio 4ta. Qui minùs eget, ille minùs cordis immersi habet in temporalibus, qui autem plùs habet, plùs etiam cordis immergit in temporalibus, juxta illud: *ubi est thesaurus tuus, ibi & cor tuum erit.*

Ratio 5ta. Qui minùs eget, plerumq; nudus est, qui autem nudus est, fortior est ad pugnandum cum dæmone, juxta doctrinam S. Gregorii Papæ dicentis: *Nihil maligni spiritus in hoc mundo proprium possident. Nudi ergo cum nudis luctari debemus. Si enim vestitus quispiam cum nudo luctatur, citiùs in terram deijcitur, quod habeat, unde teneatur. Quid autem sunt terrena omnia, nisi quædam corporis indumenta? qui ergo cum diabolo ad certamen properat, vestimenta abijciat, ne succumbat.*

Ratio 6ta. Qui minùs eget, ad minorem reddendam rationem & calculationem tenetur: qui autem plùs habet, majorem rationem de possessis reddere cogetur in extremo Judicio DEI. *Cùm enim augentur dona, rationes*

etiam crescunt donorum. S. Gregor: Homil: 9na in Evang:

Ratio 7ma. Qui minùs eget, plùs proficit in spiritu, plùs meretur, plùs acquirit gratiæ divinæ: qui plura possidet, minùs proficit, & minùs meretur, consequenter & minùs de gratia divina consequitur.

Rationes hactenus allatæ confirmantur S. Scripturæ verbîs, nam Psal: 36. v. 36. dicitur: *Meliùs est modicum justo, super divitias peccatorum multas.* Et Proverb: 15. v. 16. *Meliùs est parùm cum timore Domini, quàm thesauri magni, & insatiabiles.* Et Proverb: 16. v. 8. *Meliùs est parum cum justitia, quàm multi fructus cum iniquitate.* His consideratis, disce minùs egere, quàm plùs habere: & sic tutior, felicior, & pacatior vives. Quod si te cupiditas urgebit, ut plùs habeas, memento semper doctrinæ S. Augustini: *Meliùs est minùs egere, quàm plùs habere.* O quàm multi plurima habuerunt! & nudi, inopes, & miseri ad sepulchrum descenderunt! qui verò minùs, vel nihil habuerunt, illi divites ad cælum intraverunt. Unde de S. Martino Pontifice Breviarium testatur: *Martinus sinu Abrahæ lætus excipitur. Martinus hìc pauper & modicus, cælum dives ingreditur! hymnîs cælestibûs honoratur.*

EXPOSITIO
ET
MEDITATIO XXXIV.

Non sit notabilis habitus vester: nec affectetis vestibûs placere, sed moribûs.

COnsidera 1mo. Quòd hoc verbum: *notabilis*, derivationem suam habeat ab hac voce *nota:* hæc autem

vox

vox *nota*, idem ſignificat, quod cenſura, reprehenſio, aut vituperium: unde ordinariè illi, qui in aliquo vitio vel crimine victi ſunt, appellantur *notati*. Sicut ergo hæc vox *nota*, ſignificat cenſuram, ſeu reprehenſionem, ita hæc vox *notabilis*, ſignificat id plerumq; quod eſt cenſurabile, reprehenſibile, vituperabile. Et in hoc ſenſu utitur hac voce Sanctus Legislator, dum inquit: *Non ſit notabilis habitus veſter*, hoc eſt: non ſit talis, qui ſit cenſurâ humanâ dignus, reprehenſione, aut vituperiô. Porro notabilis habitus evenire ſolet ex triplici fonte; nempe ex difformitate, pretio nimio, vel ex imitatione ſæcularium. Notabilis habitus ex difformitate eſt, quando aliquis non ſervat figuram, modum, & formam obſervari ſolitam in veſtimentis ſuæ Religîonis. Notabilis habitus ex pretio eſt, quando aliquis ingenti pretio comparat veſtes, & quò pretioſior & ſumptuoſior poteſt inveniri pannus, illum còëmit. Notabilis habitus ex imitatione ſæculari eſt, quando aliquis ſervat quidem habitum religioſum quò ad ſubſtantiam, ſed dum videt apud ſæculares novum aliquod genus in comparatione veſtium, dum videt novum modum, novam figuram exquiſitam, effæminatam, aut mollem, ſtatim eandem vult imitari, & non attentâ regularis habitûs accidentali formâ, & figurâ; ſæcularem formam & figuram, ac quantitatem in comparandis ſibi veſtibus eligit, & ſequitur. Contra hos omnes expreſsè ſtatuit præceptum S. Legislator dicens: *Non ſit notabilis habitus veſter*.

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, reflectaris intra, qualis ſit habitus tuus? & ex quo capite notabilis? ſi ex difformitate? cave, ne perdas externum ſpeciale

ciale ſignum profeſſionis tuæ: habitus enim uniformis, ordinariè ſignum eſt externum profeſſionis. Si ex pretio notabilis eſt habitus tuus? cave, ne votum paupertatis lædas, aut te ipſum nimio ſumptu graves, vel exhaurias. Si tandem ex imitatione ſæculari notabilis eſt habitus tuus? erubeſce & confundere, quòd religioſus ſis, & vitam ſæcularem imiteris! Quidquid ergo vides notabile in habitu tuo, protinus illud abſcinde: *Quia habitus & tonſura modicum conferunt, ſed mutatio morum, & integra mortificatio paſſionum, verum faciunt religioſum.* Thomas à Kempis cap. 17. de imit. Chriſti.

Conſidera *2do.* Qualem habitum, & qualia veſtimenta acceperis in die tuæ veſtituræ, ac profeſſionis? certè non contulit tibi ſuperior protunc notabilem habitum, ex difformitate, pretio, aut ex imitatione ſæcularium, ſed tibi contulit potiùs talem habitum, qui omnem notam excludit, & omnis cenſuræ incapax eſt, quem dum tibi conferret, exuit te de antiquo habitu ſæculari, ac pretioſo, (ſi talem habuiſti) cum hac ſpe ſua, & obligatione tua, quòd eundem ad ſalutem animæ tuæ uniformiter portabis; exuit te inquam non tantùm ex habitu ſæculari, ſed etiam ex actibus ſæcularibus, dicens in actu profeſſionis tuæ: *Exuat te Dominus veterem hominem cum actibus ſuis, & induat te novum.* Ad quid ergo ad idem lutum redis, quod pridem reliquiſti? ad quid ſæcularium veſtium imitaris formam, & mollitiem, quam ſemel ſolenni profeſſione abjurâſti? ad quid ſingula ingenti pretio comparas operimenta, quando in paupertate vivere decreviſti? Memento igitur profeſſionis tuæ, & talem habitum continuò portare ſtude, qualem ab initio tui ingreſsûs accepiſti.

Neq;

Neq; te juvat, ſi excuſari velis hac ratione, quòd communiter etiam alii notabilem habitum gerant, veſteſq; pretioſas difformes, ac ſæculari formæ proportionatas habeant, quia ego pariter tibi oppono, quod multi alii religioſi meliores, graviores, maturiores, meritîs & virtutibûs pleniores, communiter & ordinariè non geſtant notabilem habitum, ſed potiùs talî utuntur, qualis non repugnat Regulæ, & conſtitutionibus Ordinis: proinde ſequendo lumen rationis, potiùs hos, quàm illos imitari teneris. Deinde recedere ab obſervantia Regulæ, quia alii recedunt, & ire hac viâ, non quâ eundum eſt, ſed quâ inordinatè itur, eſt conſvetudo pecorum, non hominum, adeoq; ab omnibus maximè vitanda, & fugienda, juxta monitum Senecæ dicentis, lib: 1. de vita beata (1) *Nihil magis præſtandum eſt, quàm ne pecorum ritu ſequamur antecedentium gregem, pergentes non quâ eundum eſt, ſed quâ itur. Quæramus quid optimè factum ſit, non quid uſitatiſſimùm: & quid nos in poſſeſſione felicitatis æternæ conſtituat, non quid vulgo veritatis peſſimo interpreti probatum ſit.*

Conſidera *3tio.* Per quod, & qua methodo vir religioſus debeat placere DEO? Reſpondeo: non debet placere per aliquas veſtes exquiſitas, etiam pretioſiſſimas, ſed per pios & ſanctos mores, ut docet expreſsè S. Auguſtinus dicens: *non affectetis placere veſtibûs, ſed moribûs.* Ratio 1ma eſt, quia veſtes etiamſi fuerint pulcherrimæ, exquiſitiſſimæ, pretioſiſſimæ, nitidiſſimæ, & de ipſo auro, gemmis, & argento comparatæ, ſunt res corruptibiles, defectibiles, putredini, tineis, & mutationi obnoxiæ: talibûs autem rebùs non delectatur, neq; placatur DEUS, imo offenditur.

Ratio 2da. Quia sicut aliis bonis nostris, ita vestibûs etiam pretiosissimis non indiget DEUS, juxta Psal: 15. *Dixi Domino DEUS meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges*: ad quid ergo tanta cura de vestibus superbis, quibus nunquam eget DEUS, imo illas despicit, abhorret, & detestatur.

Ratio 3tia. Quando viri religiosi curant placere vestibûs, certè curant placere hominibus, non autem DEO: porro non convenit viro religioso, ut placeat hominibus: juxta S. Paulum dicentem 1. ad Galat: v. 10. *An quæro hominibus placere? si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.*

Ratio 4ta. Tota cujuscunq; Religiosi viri vita consistit in hoc, ut non materialibûs, sed spiritualibûs vestibûs, nempe moribûs, & profectu exemplari placeat DEO, & ut ipsum JESUM, tanquam vestem cælestem induat, ut docet S. Paulus ad Rom: 13. v. 12. *Nox præcessit, dies autem appropinquavit, abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis. Sicut in die honestè ambulemus: non in commessationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitiis, non in contentione, & æmulatione: sed induimini Dominum JESUM Christum: & cârnis curam ne feceritis in desideriis.*

In hoc textu proponit primo Apostolus, bonos, honestos, & religiosos mores, dum inquit: *Abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis. Sicut in die honestè ambulemus* &c: & tandem mandat induere Dominum JESUM Christum, tanquam vestem de cælo transmissam, dum inquit: *Sed induimini Dominum JESUM Christum, & curam carnis ne feceritis in desiderio.* Et quænam potest esse pulchrior vestis? quàm Ipse JESUS! hanc ergo vestem in-

duamus,

duamus, & curam carnis non faciamus in desideriis, tunc ista mirabili veste placebimus DEO. Idem Apostolus ad Gal: 3. v. 26. inquit: *Omnes enim Filii Dei estis per fidem, quæ est in Christo JESU. Quicunq; enim in Christo baptisati estis, Christum induistis.* Si ergo Christum per Baptismum, imo & per professionem induimus, ad quid Christum exuimus? & procuramus tales vestes, quæ cum Christo induto convenire non possunt, imo è diametro repugnant. Magna ergo stultitia, insania, & vanitas est, exuere JESUM, quem per baptismum & professionem indueramus, & tandem induere dæmonem per vestes dæmoni placentes. Ad extremum adfero hìc monitum Senecæ dicentis: *Illud autem te admoneo, ne eorum more, qui non proficere, sed conspici cupiunt, facias aliqua, quæ in habitu tuo, aut genere notabilia sint.* Seneca Epistola 5. ad Lucilium. Idem ibidem inquit: *Non splendeat Toga, ne sordeat quidem.*

EXPOSITIO ET MEDITATIO XXXV.

Quando proceditis, simul ambulate; cùm veneritis, quò itis, simul state.

COnsidera *1mo.* Hanc esse totius mundi à natura planè inditam consvetudinem, quòd omnia sua negotia in simultate & societate conficiat: sic Imperatores nunquam martialem ingrediuntur arenam, nisi cum supremis exercituum ducibus. Reges non exeunt ad consilia, nisi cum trabe-

trabeatis regni ſenatoribus, regina & princeps apum nunquam in melle fluentes deſcendit campos, niſi cum cæteris aſſociatis apibus: & quod majus eſt, & ipſe Chriſtus Dominus opus redemptionis noſtræ inchoaturus in horto Getſemani, non ſolus, ſed cum diſcipulis abiit orare. Similiter cùm in monte Thabor transfigurandus erat, non ſolus, ſed cum Moyſe, Elia, Petro, & cæteris diſcipulis transfigurationem peregit. Tandem ipſi Apoſtoli frequentiſſimè ſimul ad gentes convertendas deſcendebant, & ordinabantur à Spiritu Sancto, teſtante ſcriptura Actor: 13. *Segregate Paulum & Barnabam in opus, ad quod aſſumpſi eos.* Princeps etiam Collegii Apoſtolici Petrus, non ſolus, ſed cum Doctore gentium Paulo, in orbis capite Roma martyrii coronam adeptus. Levita quoq; Laurentius, cùm S. Xyſtus Pontifex ejus ad martyrium duceretur, noluit ſolus remanere ſuperſtes, ſed ſimul cum dicto Pontifice mori petiit. Sapientes magi non ſinguli diviſim, ſed omnes ſimul natum adoravêre Chriſtum. Tanta eſt apud DEUM, naturam, totumq; mundum ſimultatis, ſeu mutuæ ſocietatis æſtimatio, ut quidquid in orbe ſanctum, honeſtum, magnificum inveniri poteſt, hoc cum adminiculo ſimultatis, & ſocietatis factum eſſe comperiatur. Hanc ergo ſimultatem, hanc ſocietatem commendat S. Legislator, cùm inquit: *Quando proceditis, ſimul ambulate.*

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, caveas extra portam exire ſolus, multò magis caveas ambulare per urbem, vagari per plateas ſolus, ſed quocunq; vadis, quocunq; progrederis, ſimul cum altero vade, cum altero ambula. Si enim Chriſtus Dominus, abſolutiſſimus cæli terræq; rector, ad exercenda redemptionis & prædica-

dicationis Evangelicæ negotia, nunquam visus est ambulare solus, multò magis religiosus regimini Prælati subjectus, non debet incedere solitarius. Si Reges, Imperatores &c: & ipsa natura cum adminiculo simultatis, sua expediunt munia, multò magis regularis professionis cultor, ad hunc simultatis apicem tendere debet.

Considera *2do.* Quòd non tantùm in natura, non tantùm in statu regnorum, tandem non tantùm in ipso Christo Domino habemus recommendatam simultatem exeundi ad aliquod opus, illudq; in societate cum altero operandi, sed etiam in ipsa Sanctissima Trinitate: ibi enim una & sola Persona Divina *v.g.* Pater æternus, nihil producit adextra, sed quidquid Pater æternus producit, producit simul Filius & Spiritus Sanctus, quidquid pariter producit Filius, producit Pater, & Spiritus Sanctus, una verò & sola Persona nunquam exit ad aliquid operandum extra. Unde apud Theologos crevit illud infallibile axioma: *Omnia opera ad extra, sunt toti Trinitati communia.* Licet ergo multis aliis modis debes operari, ut placeas Sanctissimæ Trinitati, tamen etiam non postremus est hic: ut scilicet, sicut una & sola Persona Divina nunquam exit ad operandum aliquid extra, ita & tu ex Monasterio nunquam exeas solus, ad opera tua tractanda extra, sed quandocunq; exis, exeas simul cum altero, ambules simul cum altero, & sic quodammodo imitaberis Sanctissimam Trinitatem, in agendis operibus adextra. Quando enim extra portam cum altero ibis, quando per urbem & alibi cum socio ambulabis, semper habebis presto consilium, adjutorium, & sic unus alterum mutuis juvabit officiis, quo mutuo juvamine nihil est utiliùs, nihil securiùs, te-

ſte Seneca lib: 4. de benef: cap: 18. *Quo alio tuti ſumus, quàm quòd mutuîs juvamur officiis? hôc unô inſtructior vita, contraq; incurſiones ſubitas munitior eſt, beneficiorum commerciô. Fac nos ſingulos: quid ſumus? præda animalium & victimæ, viliſſimus ac facillimus ſangvis. Quoniam cæteris animalibus in tutelam ſui ſatis virium eſt. Quæcunq; vaga naſcuntur & actura vitam ſegregem, armata ſunt: hominem imbecillitas cingit, non ungvium vis, non dentium terribilem cæteris fecit: nudum & infirmum ſocietas munit, duas res dedit, quæ illum obnoxium cæteris, validiſſimum facerent, rationem & ſocietatem. Itaq; qui par nulli eſſe poſſet, ſi diduceretur, rerum potitur. Societas illi dominium omnium animalium dedit: ſocietas terris genitum, in alienæ naturæ tranſmiſit imperium, & dominari etiam in mari juſſit: Hæc morborum impetus arcuit, ſenectuti adminicula proſpexit, ſolatia contra dolores dedit: hæc fortes nos facit, quòd licet contra fortunam advocare. Hanc tolle, & unitatem generis humani, quâ vita ſuſtinetur, ſcindes.*

Hîs ergo bene penſatîs commodîs ſocietatis, & vitæ ſimultaneæ, proficias in exercitio ejuſdem, ſeu quocunq; procedis, ſimul cum altero ambula, ſimul ſta; ſimul revertere, ſimul omnia tracta.

Conſidera *3tio.* Quòd ſicut ſunt multa commoda & utilitates ſimultanei exitûs religioſorum, ita multa ſunt inconvenientia, quando iidem religioſi ſoli, ſine ullo ſocio extra portam exeunt.

1mum eſt, quia tales religioſi liberiùs peccant, liberiùs converſationi ſæculari adhærent.

2dum eſt, quòd licet graviſſimum crimen commiſerint, non facilè ad ſuperiorem notitia devenire ſolet.

3tium eſt, quia tales religioſi ſolitariè ambulantes, ita aſve-

asvescunt huic suæ libertati, ut postmodùm nolint suscipere socium, etiamsi illis detur, ut sic liberiùs vagari possint.

4tum inconveniens est, quia tales religiosi pro pernoctatione ad Monasterium raró veniunt, qostquàm enim aliqua occasio conversandi illis contigerit, absorbentur in illa, & sic non habentes à quo moneantur, obliviscuntur obligationis suæ, quâ tenentur pernoctare in Monasterio.

5tum, quia tales religiosi solitariè ambulantes, citiùs tentantur, & seducuntur, qui soli existunt, ut patet Genes: 39. *Accidit autem, ut quadam die intraret Joseph domum, ut operis quidpiam absq; arbitris faceret, & illa apprehensâ laciniâ vestimenti ejus diceret: Dormi mecum.*

6tum inconveniens est, quia si tales cadant in aliquod periculum, non habent à quo juventur, & sic pereunt in periculo, quod amaverunt. Sicut ergo subditi, ita & superiores cavere debent, ne regimini suo subjectos dimittant solitarios, quia, ut ait Aristoteles lib: 1. Politic: *Homo solitaris, aut DEUS, aut bestia, aut nullo indiget, aut nulli convenit.* Unde & Ecclesiast: cap: 4. dicitur: *Meliùs est duos esse, quam unum, habent enim æmolumentum suæ societatis, si unus ceciderit, ab altero fulcietur.* Pensatìs ergo hìs motivìs, agere studeas quod Regula jubet, & semper quantùm fieri potest, cum socio exeas, & ambules.

EXPOSITIO
ET
MEDITATIO XXXVI.

In incessu, statu, habitu, & in omnibus motibus vestris,

ſtris, nihil fiat, quod cujuſq; offendat aſpectum, ſed quod veſtram deceat ſanctitatem.

COnſidera *1mo.* Quòd ad honeſtatem religioſam non ſufficiat ſimul incedere cum ſocio, ſed requiritur, ut etiam ipſe inceſſus in ſimultate & ſocietate ſit talis, ut nullius offendat aſpectum. Porro inceſſus ex multiplici capite poteſt offendere aſpectum cæterorum:

1mo. Quando nimis feſtinus eſt, ſunt enim aliqui ita feſtinè incedentes, ut aliquando præ nimia feſtinatione, in ipſo curſu graviter cadant.

2do. Quando inceſſus nimis lentus eſt & tardus: ſunt enim aliqui ita lentè incedentes, ut tota die ad tale opus indigeant, quod alii unâ horâ perficerent.

3tio. Quando inceſſus ſuperbus eſt. Porro ſuperbus inceſſus eſt, quando aliquis ita incedit, ut neminem in via ſalutet, nemini ſe demittat, neminem veneretur, neminem aſpiciat, ſed erectô & torvô ſuperciliô omnes prætereat, acſi indignos ſuâ ſalutatione, aut amicabili veneratione.

4to. Inceſſus eſt offenſivus, quando levis, temerarius, & puerilis eſt, quod fit tunc, quando aliquis pueriliter inſoleſcendo, vel jocando incedit, aut oculos per plateas, lapideas, picturas vagari permittit, rationem autem & curſum itineris non attendit.

5to. Inceſſus offenſivus eſt, quando aliquis rudes homines ſibi occurrentes, ſvaviter & modeſtè non præterit, ſed eos ſuperbè, durè ex via detrudit, & ut ſibi cedant, durè imperat.

6to. Inceſſus offenſivus eſt, & valde ſcandaloſus, quando

do aliquis vinô calefactus, tanquam arundo huc, & illuc agitatur, & per plateas, sui oblitus, volutatur. Habes ergo capita & radices, ex quibus redditur incessus offensivus, & scandalosus.

Quare hæc omnia capita & radices diligenter tuo cordi imprime, & obnixè cura, ut incessus tuus neq; sit valde festinus, neq; valde lentus, neq; superbus, neq; levis, neq; durus, neq; scandalosus, sed gravis, moderatus, maturus, & regularem modestiam præseferens, quod ut assequaris, dicas cum Psalmista Psal: 1. *Vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me: gressus meos dirige secundùm eloquium tuum, & non dominetur mei omnis injustitia. Viam justificationum tuarum instrue me, & exercebor in mirabilibus tuis. Viam iniquitatis amove à me, & de lege tua miserere mei. Utinam dirigantur viæ meæ, ad custodiendas justificationes tuas* &c.

Considera *2do.* Quòd sicut in incessu, ita & in statu, seu in loco, & tempore standi, aut commorandi, multa fiant inconvenientia, & defectus: aliqui enim sunt tales, ut non possint erectâ fronte & erecto corpore stare, etiam coram gravibus personis & honore dignis, sed semper indigent aliquô sustentaculô, in quo barbarè jaceant coram illis, coram quibus cum timore, & humili veneratione stare deberent. Alii sunt tales, qui in nullo loco stare & consistere quietè, modestè & graviter possunt, sed in una hora, ubiq; suam levitatem præseferunt, ita, ut de illis dici possit: *Stultorum omnia plena.* Alii sunt tales, qui ad standum competentem non eligunt locum, sed ubicunq; illis contigerit, ibi stant, commorantur, conversantur, & sic plerumq; suspicionem, aut vilipensionem ex loco, in

quo

quo ſteterunt, & morati ſunt, incurrunt. Alii etiam ſunt tales, ut dum in aliquo loco ſteterint, non poſſunt ab illo removeri, ſed vellent ibidem quàm diutiſſimè ſtare, fabulari, diſcurrere &c. Contra hos omnes ponit mandatum S. Legislator, & præcipit, ut in ſtatu religioſi viri nihil ſit, quod cujuſcunq; offendat aſpectum.

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, examina te ipſum, qualiter te in ſtando geſſeris? quodſi aliquem defectum ex enumeratis reperies, totum conatum ad hoc impende, ut illum penitus eradices.

Conſidera *3tio.* Quòd motus noſtri duplices ſunt, alii ſunt motus animi, alii motus corporis: motus animi, ſunt actus vitales potentiarum animæ, ſcilicet intellectûs & voluntatis; ut ſunt, ira, gaudium, triſtitia, deſiderium, &c. Motus corporis ſunt actus vitales membrorum noſtrorum, *v.g.* capitis, manuum, pedis &c. Motus animi juxta Senecam triplex eſt: *Primus motus non voluntarius, quaſi præparatio affectûs, & quædam comminatio, alter cum voluntate non contumaci, tanquam oporteat me vindicari, cum læſus ſim: aut oporteat hunc pœnas dare, cùm ſcelus fecerit: tertius motus eſt, jam impotens, qui non, ſi oportet, ulciſci vult: ſed utiq;, qui rationem evicit.* Motus corporis dividi & multiplicari poteſt, juxta diverſitatem, & multiplicitatem membrorum ejuſdem corporis. Dum ergo S. Legislator inquit: *In omnibus motibus veſtris nihil fiat; quod cujuſq; offendat aſpectum:* intelligendus eſt loqui tam de motibus animi, quàm de motibus corporis; ut ſcilicet in his utriſq;, nihil tale admittamus, quod alicujus poſſit offendere intuitum. Porro per motus animi offendimus aſpectum alterius, quando in præſentia alterius, & præſertim ſæcularis, notabiliter

in

in iram exardeſcimus, rixamur, contendimus, litigamus, viciſſim pugnîs aut aliô modô certamus, vel aliquod aliud inconveniens ex impetu, & fervore iraſcendi committimus. Item per motus animi offendimus aſpectum alterius, quando in præſentia ejus extra ſphæram gaudemus, lætamur, tripudiamus, & tantùm nobis in hilaritate concedimus, quantùm repugnat modeſtiæ religioſæ. Item per motus animi offendimus aſpectum alterius, quando in præſentia ejus valde triſtamur de aliquo bono temporali amiſſo, vel non obtento; religioſi enim cum ſemel reſignaverint bona temporalia, non debent ultra modum triſtari, ſi illa, quæ habent ad uſum, amittant, vel non obtineant, quodſi valde triſtantur, ſæculares hâc triſtitiâ offenduntur, & ſcandalizantur. Tunc adhuc per motus animi offendimus aſpectum alterius, quando aliquod bonum temporale affectatè deſideramus. Per motus autem corporis ſeu geſtus, illi offendunt aſpectum alterius: *Qui ſine buccis patentibus auſcultare neſciunt, & quaſi ad cibum, ita palatum ad verba aperiunt. Item illi, qui in agendo vel audiendo, quaſi canes ſitientes, lingvam prætendunt, & ad ſingulas actiones labia, velut molam contorquendo, circumducunt. Item, qui loquentes digitum extendunt, ſuperbiâ erigunt, & oculos in orbem rotantes, cujuſdam intrinſecùs magnificentiæ conatus oſtendunt, caput jactant comam excutiunt, veſtimenta coaptando componunt, & latera quaſi cubitando, pedeſq; oſtendendo, ridiculoſam formam ſuæ oſtenſionis faciunt. Deniq; per motus corporis, ſeu geſtus, illi offendunt aſpectum alterius, qui alteram tantùm aurium voci opponunt, quaſi ambæ non fuerint faciles ad audiendum, non minùs ac illi, qui interdum ad videndum, alterum tantùm oculorum aperiunt. Tandem illi, qui majori ridiculo, cum*

medietate oris loquuntur. Sunt præterea mille larvæ, mille corrugationes narium, mille contorsiones labiorum, quæ decorem disciplinæ deturpant, & faciei pulchritudinem, (quæ est speculum disciplinæ) cui tantò major custodia est adhibenda, quantò minùs, quod in ea peccatum fuerit, celari potest. Hugo de S. Victore super Regulam cap. 6. Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, vide, si hîs motibûs, tam animi, quàm corporis, saltem aliquibûs, non offendisti aspectum alterius?

EXPOSITIO ET MEDITATIO XXXVII.

Oculi vestri, etsi jaciuntur in aliquam fæminarum, figantur in nullam. Neq; enim quando proceditis, fæminas videre prohibemini, sed appetere, aut ab ipsis appeti velle, criminosum est.

COnsidera *1mo.* Quòd actus humani alii sunt intrinsecè, & ex natura sua mali, alii quantùm ex se sunt boni, vel indifferentes ad bonum aut malum, si tamen illis aliqua accedat circumstantia, fiunt mali. Actus intrinsecè & ex natura mali, sunt illi, qui secundùm se ipsos spectati, repugnant legi divinæ, & dictamini conscientiæ, aut lumini rationis, ut est *v.g.* actus mendacii, furti, adulterii &c. Actus indifferentes ad bonum & malum, sunt illi, qui ex natura sua, neq; sunt mali, neq; boni, si tamen accedat aliqua circumstantia, *v.g.* scandalum, aut finis malus, vel intentio prava, eveniunt ex indifferentibus mali, & pænâ digni: sic *v.g.* actus deambulationis est indifferens ad esse boni vel mali, si tamen aliquis deambu-

laret

laret eo fine, ut ſibi præviderec tempus & locum aptum ad furandum, tunc eô ipsô ille actus, alias ex ſe indifferens, eveniret malus, ac ita inhoneſtus, ſicut & ipſum furtum. Pariter jactare oculum in fæminam, eſt actus ex ſe indifferens ad bonum vel malum, ſi tamen huic libero aſpectui, accedat aliqua circumſtantia ex ſe vitioſa, *v.g:* finis inhoneſtus, aut intentio inhoneſta, tunc ille aſpectus liber, evadit inhoneſtus, ita, ſicut eſt inhoneſtus finis, aut intentio talis aſpectus. Dum ergo S. Legislator ponit mandatum de ſenſu externo oculorum, non mandat hoc, ut nos fæminas nunquam videamus, aut aſpiciamus, ſed potiùs mandat, ne oculos figamus in illis: figere enim oculos in fæminis, eſt talem circumſtantiam ponere, quæ viſum ſeu aſpectum, alias ex ſe indifferentem inhoneſtat, vitiat, & corrumpit. Et ratio eſt, quia fixio illa oculorum, eſt quædam adhæſio permanens in objecto viſo, quam adhæſionem inſenſibiliter comitatur complacentia in eodem objecto viſo, deinde conſenſus, tandem peccatum. Quare vir religioſus quamvis licite poſſit aliquando fæminam aſpicere, tamen figere oculos in illa, ita cavere debet, ut virus peſtiferum, aut colubri ſævientis aculeum: ſicut enim baſiliſcus non tunc ſe lethaliter necat, quando obiter aſpicit ſpeculum, ſed modoprimùm tunc, quando permanenter figit oculum in ſpeculum, item ſicut palpebra non tunc læditur, aut lachrymari cogitur, quando tranſeunter radiantem intuetur ſolem, verùm nonniſi tunc, quando ſe ipſam figit & immergitur ſpectando ſolem, ita religioſus non tunc lædit animam, & conſcientiam ſuam, quando tranſeunter videt fæminas, ſed modoprimùm tunc, quando libero aſpectu, ſuum in illis figit oculum, & aliquamdiu illis ſpectandis immoratur.

Considera *2do.* Licèt videre aliquod objectum non sit intrinsecè, & ex natura sua malum, tamen incauta visio frequentissimè est facillima via, & occasio ad malum. Quis enim primæ omnium nostrum parenti Hevæ, fuit occasio ad transgrediendum præceptum divinum, si non incauta pomi prohibiti visio? ut patet Genes: C. 3. *Vidit mulier lignum, quòd esset bonum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuq; delectabile, tulit de fructu illius, & comedit.* Quis duci exercituum Holoferni fuit occasio ad concupiscentiam carnis? si non immodestus Sanctæ Judith aspectus? ut patet Judith: 10. cap: *Cùm intrâsset ante faciem ejus, captus est in oculis suis.* Quis seniores excitavit ad cogitationes castitati repugnantes? si non frequens Sanctæ Virginis Susannæ intuitus, ut patet Daniel: 13. cap: *Videbant Susannam seniores quotidie ingredientem, & deambulantem, & exarserunt concupiscentiâ ejus.* Quis alios plurimos & ferè infinitos, ad ultimum deduxit interitum: si non effrænata oculorum licentia. Eccl: C. 9. *Propter speciem mulieris, multi perierunt, & ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit.*

Qui ergo ex vi professionis tuæ, non tantùm declinare malum, sed etiam occasionem mali vitare teneris, scias optimè, & altâ memoriâ recondas, quòd liber, dissolutus, & inordinatus aspectus, sit frequentissima occasio, & apertissima via ad peccandum: unde S. Augustinus inquit: lib: 10. Confess: *Sunt enim oculi principes ad nocendum in sensibus.* Et Seneca de remediis fortuitorum: *Irritamenta sunt oculi vitiorum, duces scelerum, huic adulterium oculi ministrant, huic domum, quam concupiscat.*

Considera *3tio.* Quòd S. Legislator non dixerit vitiosum

tiosum esse, aut defectuosum fœminas appetere, vel ab ipsis appeti, sed *criminosum:* nempe, ut discant religiosi castitatis devoti cultores, quòd appetere fœminas, aut ab ipsis appeti velle, non sit aliquod simplex vitium, aut defectus levis, sed criminosus: unde communiùs & certiùs docent Theologi, quòd in materià carnali, non detur parvitas materiæ, sed quicunq; appetitus libidinosus, etiam minimus cum consensu & advertentia factus, sit peccatum mortale. Deinde licet aliquando in sæcularibus, prædictus appetitus possit vocari nomine vitii, aut defectûs gravis, tamen in his, qui perpetuam castitatem voverunt, meretur semper nomen criminis, saltim latiùs sumpti. Porro crimen etiam latiùs sumptum, semper aliquid gravius importat, quàm alii actus nostri, qui nomine vitii, aut defectûs, vel peccati compellantur. Si ergo simplices defectus, levia vitia, & minutiora peccata vitare debes, multò magis talia, quæ criminosa sunt, & reputantur: nam sicut totus orbis admiraretur, quando in solem talis caderet macula, quæ illum notabiliter obumbraret, ita in religiosum universus convertitur populus, quando hic illam incurrit notam, quæ in æstimatione morali gravior est cæteris, aut criminosa censetur.

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, caveas mulierum consortia appetere, vel ab ipsis appeti, quodsi aliquando per suggestionem dæmonis, & concupiscentiam carnis, urgeris ad appetendum aliquid libidinosè, tunc exemplô S. Legislatoris tui, recurre ad vulnera Salvatoris, quoties enim tentatione libidinis urgebatur S. Legislator, toties ad vulnera Christi recursum facere solebat, & statim remedium sensit, ut de se ipso testatur in manual:

cap:

cap: 22. *Cum me pulſat aliqua turpis cogitatio, recurro ad vulnera Chriſti. Cùm me premit caro mea, recordatione Domini mei reſurgo. Cùm diabolus mihi parat inſidias, fugio ad viſcera miſericordiæ Domini mei, & recedit a me. Si ardor libidinis moveat membra mea, recordatione vulnerum Domini noſtri Filii DEI extingvitur. In omnîbus adverſitatibus non inveni tam efficax remedium, quàm vulnera Chriſti. In illis dormio ſecurus, & requieſco intrepidus.* Pari modô & tu recurre ad vulnera Chriſti, & ſemper habebis efficax remedium, dormies in illis ſecurus, & requieſces intrepidus.

EXPOSITIO
ET
MEDITATIO XXXVIII.

Nec ſolo tactu, ſed affectu quoq; & aſpectu appetit, & appetitur concupiſcentia fœminarum.

COnſidera *1mo.* Quòd ut aliquis actus dicatur bonus, honeſtus, & meritorius vitæ æternæ, non ſufficiat, ut ſit ex una circumſtantia, aut ex uno capite bonus, ſed requiritur omnino, ut ſit ex omni parte bonus, juxta illud Philoſophicum axioma: *Bonum ex integra cauſa:* ut autem aliquis noſter actus dicatur malus, & inhoneſtus, non requiritur, ut omnes circumſtantiæ ad malitiam ejus concurrant, ſed ſufficit, ſi etiam unica ponatur: juxta illud etiam Philoſophicum axioma: *Malum ex ſingulis defectibus:* hoc eſt, quilibet actus noſter, eſt, & reputatur malus, ſi vel unum requiſitum ad bonitatem deſit, vel una circumſtantia ponatur mala & inhoneſta, *v.g.* intentio, vel

finis:

finis, vel alia quæcunq; circumſtantia. Et hoc ipſum docet nos S. Legislator in præſenti Regulæ puncto, dum inquit: *Non ſolo tactu, ſed affectu quoq; & aſpectu appetit, & appetitur concupiſcentia fœminarum*, hoc eſt: non tantùm tunc peccamus concupiſcentiâ carnis, quando ad tactus impudicos devenimus, ſed etiam tunc, quando inhoneſto affectu, vel aſpectu ferimur in objectum prohibitum, imo, ſi libidinosô affectu feramur in illud, jam eô ipsô illud violamus, juxta infallibile ipſius Chriſti Domini oraculum Math: 5. 6. *Qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Attende ergo quantùm cuſtodire debes internum affectum tuum, & aſpectum externum! quando hi ſoli faciunt nos adulteros. Quare non tantùm tactus, & alias circumſtantias externas, ſed etiam affectus, & aſpectus ſubreptitios potenter fugias, quia non ſolum opus, ſed etiam ipſa voluntas facit adulterium, ut inquit S. Joannes Chryſoſt: ſuper Matth: *Multi enim corpore quidem caſtitati ſtudent, adulterium tamen ex voluntate committunt.*

Conſidera *2do.* Quòd licet corpus noſtrum variis agitetur motibûs, & ſenſualitatibûs à dæmone ſuggeſtîs, tamen omnes nihil valent, ſi animus noſter, mens, & voluntas intimè cuſtodiantur, & non adhæreant ulli ſenſualitati, ad quam trahit concupiſcentia carnis, unde S. Legislator ſvadet omnibus, ut magis timeamus interiorem corruptionem caſtitatis, quàm exteriorem, dum inquit: *Magis timeamus, ne ſenſu interiore corrupto, pereat caſtitas fidei, quàm ne fœminæ conſtuprentur violenter in carne; quia violentiâ non violatur pudicitia, ſi mente ſervetur. Quoniam nec quis in carne violatur, quando voluntas patientis turpiter carne non utitur, ſed ſine confeſſione toleratur, quod aliud operatur.*

Qui

Qui ergo conaris integram ſervare caſtitatem tuam, primariò, principaliter, & ante omnia cuſtodias mentem, animum, & voluntatem tuam, quia licet millenæ adſint tentationes, ſuggeſtiones, & phantaſmata libidinis, tamen tibi nocere nihil poterunt, quando mentem & animum ſervabis integrum, juxta teſtimonium ipſius S. Legislatoris dicentis: *Propoſito animi permanente, (per quod & corpus ſanctificari meruit) nec ipſi corpori aufert ſanctitatem violentia libidinis alienæ, quam ſervat perſeverantia continentiæ ſanctæ.* Et S. Iſidorus inquit: *Non poteſt corrumpi, niſi priùs corruptus fuerit animus, mundâ namq; à contagione animâ, caro non peccat.* O! ſvaviſſime voluntatis humanæ Moderator DEUS, munias cæleſti adjutoriô voluntatem meam, ut laqueos turpium cogitationum effugiat, & tibi caſtâ mente & corpore ſerviat: Cuſtodi voluntatem meam DEUS, quia ſicut, niſi tu Domine cuſtodieris civitatem, fruſtra vigilat, qui cuſtodit eam; ita pariter, niſi tu Domine cuſtodieris voluntatem meam, fruſtra ego vigilabo, ſi cuſtodiero eam.

EXPOSITIO
ET
MEDITATIO XXXIX.

Nec dicatis vos habere animos pudicos, ſi habeatis oculos impudicos; quia impudicus oculus impudici cordis eſt nuntius, & cum ſe invicem, ſibimet etiam tacente lingua, conſpectu mutuo corda nuntiant impudica, & ſecundùm concupiſcentiam carnis alterutro dele-

ctantur

ctantur ardore; etiam intactis ab immunda violatione corporibus, fugit castitas ipsa de moribus.

COnsidera 1mo. Hic Regulæ textus directè opponitur illis, qui dicunt se habere animos pudicos, quamvis habeant oculos impudicos, item, qui dicunt se esse castos, quamvis exerceant aspectus incastos, excusantq; se à peccato, quòd ad hujusmodi fædos aspectus non applicent cor, affectum, & consensum. Sed contra hos omnes, expressè dat suam doctrinam S. Augustinus dicens: *Nec dicatis vos habere animos pudicos, si habeatis oculos impudicos.* Et quamvis aliquando fieri posset, ut ad fædos aspectus non applicetur & affectus, tamen illi sunt plerumq; magna incitatio ad turpes cogitationes, adeoq; sunt omnino vitandi. Deinde pudicitia duplex cogitari potest, alia externa, & alia interna. Pudicitia externa est, quæ consistit in actibus externis pudicis, quando scilicet nullum factum, vel signum externum admittimus, quod repugnat pudicitiæ, & castitati. Pudicitia interna est, quæ consistit in actibus internis voluntatis nostræ, quando scilicet ita nostras cogitationes disponimus, ut nil impurum cogitemus. Hæc utraq; pudicitia ita est secum connexa, ut si desit una, censeatur deesse & altera. Unde qui caret pudicitiâ externâ, judicatur carere etiam pudicitiâ internâ. Et hoc totum docet S. Legislator, dum inquit: *Nec dicatis vos habere animos pudicos, si habeatis oculos impudicos,* & rationem subjungit: *quia impudicus oculus, impudici cordis est nuntius:* hoc est, quia ex oculo impudico devenimus ad cogitationem, quòd etiam cor talis hominis est impudicum. Sicut enim sol obscurus, vel ecclypsim patiens, est signum

diei obſcuræ, ſicut luna pallida, eſt ſignum noctis tenebroſæ, ita oculus impudicus, eſt ſignum cordis impudici; quomodo enim oculus poſſet impudicè vagari per turpia objecta, ſi cor adſit pudicum. Unde ſi oculus vagatur impudicè per objecta turpia, ſignum eſt, quòd etiam cor talis hominis vagetur per illa. Ab oculo ergo pudico dependet pudicitia interna: & hoc colligi poteſt ex oraculo Chriſti Domini Math: 6. dicentis: *Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit:* hoc eſt, ſi oculus tuus fuerit pudicus, totum corpus pudicum erit. Quod ſi ex oculo pudico totum corpus efficitur pudicum, proinde & cor ipſum ex hoc fonte puritatem derivat, quia cor eſt pars corporis.

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, non dicas te habere animum pudicum, ſi habeas oculum impudicum: ſi autem vis gloriari animô pudicô, habeto priùs oculum pudicum, non deſeras pudicitiam externam, & tutiùs frui poteris pudicitiâ internâ cordis & animæ.

Conſidera *2do.* Licet lingva procax, inſolens, & diſſoluta, multum excitet ad res impuras, tamen ſæpiſſimè contingit, quòd etiamſi lingva taceat, libido invaleſcere poſſit, & caſtitas amitti valeat. Et hoc expreſsè docet S. Legislator, dum inquit: *Et cùm ſe invicem ſibimet, etiam tacente lingva, conſpectu mutuo corda nuntiant impudica, & ſecundùm concupiſcentiam carnis, alterutro delectantur ardore, etiam intactîs ab immunda violatione corporibûs, fugit caſtitas ipſa de moribus.* Ex quo advertendum eſt, quantùm hominibus incautis noceant aſpectus mutui oculorum, ſive in foro, ſive in Eccleſia, ſive in porta, ſive in quocunq; alio loco exerciti, ex aſpectu ergo mutuo, nuntiantur corda impudica,

dica, & tandem secundùm concupiscentiam carnis, alterutro delectantur ardore, quod utrumq; quando exercetur & impletur, fugit castitas ipsa de moribus, etiamsi intacta maneant corpora ab immunda violatione. Ubi vide, quantus animæ thesaurus deperdatur per mutuos oculorum aspectus, nempe gratissima DEO castitas. Proinde S. Augustinus serm: 83. de Temp: inquit: *Prima adulterii tela sunt oculorum, secunda verborum.* Et S. Laurentius Justinianus hoc ipsum sentit: *Ex inordinato oculorum aspectu imprudentis transfigitur cor. Transmittunt utiq; effrænati intuitus ad animam corporeārum formas rerum, atq; concupiscibilium qualitates imaginum, suaq; importunitate, internam dividunt unitatem, sanctos dissipant cogitatus, animi rigorem debilitant.*

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, cohibeas mutuos oculorum aspectus, quos si non cohibebis, millenis te expones periculis, & castitatem, quam DEO vovisti, amittes.

EXPOSITIO ET MEDITATIO XL.

Nec putare debet, qui in fœminam figit oculum, & illius in seipsum dirigit fixum, ab aliis se non videri, cùm hoc fecerit, videtur omnino, & à quibus se videri non arbitratur.

CONsidera *1mo* Quòd tria sint, quæ nobis præbent occasionem ad ferendos dissolutè in objecta prohibita

oculos. 1mum, est defectus talis pacti, quale fecit S. Job cum oculis suis: *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine,* Job 31, v. 1. 2dum, est libertas oculorum nunquam mortificata, dum scilicet multi non curant claudere, compescere, & refrænare suos oculos: 3tium, est opinio illa, quâ putamus, quòd à nemine videamur, quando dissolutè oculis indulgemus, contra hoc tertium volens nos instruere S. Legislator, inquit: *Nec putare debet, qui in fæminam figit oculum, & illius in se ipsum dirigit fixum, ab aliis se non videri, cùm hoc fecerit, videtur omnino, & à quibus se videri non arbitratur.* Hoc est: non seducite vos hac opinione, quòd dum peccatis, vel figitis oculum in objectum prohibitum, non videamini omnino, & quidem etiam ab aliis, à quibus vos videri non arbitramini. Licet enim dum peccas, clementissimus DEUS patitur, & permittit, vel dissimulat tuam malitiam, tamen ne etiam hæc penitus impunita maneat, ex infinita sua providentia plerumq; ordinat tales personas insperatè, quæ te peccantem liberè animadvertunt, & deferunt iis, ad quos pertinet, quatenus debitam tuo sceleri sustineas pænam, & à similibus postmodùm abstineas. Sicut enim DEUS potest ita ordinare causas naturales, ut nonnisi tunc producant suum effectum, quando DEUS vult; ita ex eadem immensa scientia sua, potest sic aliquas personas disponere, ut te peccantem tunc videant, quando tu putabis te à nemine videri. Quare sicut falli possumus, dum putamus aliquid nobis præsens adesse, licet illud non sit defacto præsens, ita falli possumus, dum opinamur aliquod absens deesse, licet illud defacto absens non sit: consequenter non debemus securè peccare, aut oculos figere permanenter in objectis prohibitis.

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, dum tentaris ad peccatum, hôc motivô, quòd à nemine videaris, non crede huic suggestioni, sed tibi continuò persvadeas quòd tibi aliquis adsit, licet illum non videas, & sicut altero præsente non auderes peccare, ita etiam illo absente non audebis.

Considera *2do.* Quoniam S. Augustinus non prohibet videre fæminas, sed tantùm vetat oculos figere in illis: proinde sciendum est, quid sit oculos figere in fæminis. Figere ergo oculos in fæminis, est illas spectare permanenter, adhæsivè, & cum aliqua mora: ita, ut oculi videntis sint aliquomodo fixi, & quasi conglutinati cum fæmina, licet defacto sint distincti, & separati realiter à fæmina. Quamvis ergo insperatus, subitaneus, momentaneus, & repentinus aspectus fæminæ nihil nobis noceat, (cùm sit tanquam prima apprehensio intellectûs, quæ nihil affirmat, vel negat de objecto) tamen aspectus fæminæ fixus, & occupatus in illa, & continuatus cum aliqua mora, & temporis protractione, plurimùm nocet. Fixus enim, immersus, & protractus aspectus oculi in fæmina, relinquit in aspiciente speciem impressam objecti visi; quæ species impressa transit ad cor ipsum, mentem, & interiora hominis, taliq; modô perturbat mentem, & causat in ea varia phantasmata & cogitationes: quibus dum aliquis non resistit fortissimè, deluditur facillimè, & ad peccandum saltim cogitatione inducitur, & ita cogitationibûs illaqueatur, occupatur, & possidetur, ut illis postea difficillimè resistere possit. Unde S. Augustinus inquit: *Prima adulterii tela sunt oculorum, secunda verborum.* Serm: 83. de temp: & S. Lauren: Justinianus: *Ex inordinato oculorum aspectu*

impru-

imprudentis transfigitur cor. Transmittunt utiq; effrænati intuitus ad animam corporearum formas rerum, atq; concupiscibilium qualitates imaginum, suaq; importunitate internam dividunt unitatem, sanctos dissipant cogitatus, animi rigorem debilitant. Similia habet S. Basilius in instit: Virg: *Cùm haustæ luminibus formæ obtutus passivè defixerit, atq; in anima mollitæ ceræ instar voluptate conspectæ speciei imagines presserit, quamvis ille abeat, seorsumq; sit, qui hujusmodi formas impresserit, insignita animo conspecti species, quod suum est, semper operatur, animamq; imaginibus ludit.*

Quando ergo charitas salutis animarum, vel necessitas legitima exigit, licitùm est videre fæminas, & oculos proijcere in illas, tamen non licet in illis oculos adhæsivè & morosè, seu cum aliqua mora figere: sed quamprimùm oculi jaciuntur in illas, tam primùm à visu sunt retrahendi, removendi, & claudendi. Aspectus fæminarum talis debet esse, qualis est projectio alicujus grani in parietem, quod granum quàmprimùm proijcitur in parietem, tam primùm à pariete labitur, retrahitur, & cadit in terram, & nil parieti nocet, quia in pariete non figitur. Non debet autem fieri talis aspectus fæminæ, sicut est ejaculatio globuli plumbei in parietem, quia dum globulus plumbeus eijcitur in parietem, non retrahitur ab illo, sed infigitur in pariete, eumq; scindit, & vulnerat. Si ergo oculi aspicientis figantur in fæmina, sicut globulus plumbeus in pariete, jam tunc subsequetur læsio, & vulnus in corde.

EXPO-

EXPOSITIO
ET
MEDITATIO XLI.

Sed, etsi lateat, & à nemine hominum videatur, quid faciet de illo desuper inspectore, quem latere nihil potest. An ideo putandus est non videre, quia tantò videt patientiùs, quantò videt sapientiùs? Illi ergo vir sanctus timeat displicere, ne velit fœminæ malè placere. Illum cogitet omnia videre, ne velit fœminam malè videre. Illius namq; & in hac causa commendatus est timor, ubi scriptum est: abominatio est Domino defigens oculum.

COnsidera *1mo.* Quòd sicut juxta dicta superiùs, frustraneùm esset in hanc spem delinquere, quòd non videamur ab aliis, vel putemus nos non videri, ita non tantùm frustraneùm, sed stultissimùm sit, delinquere in hanc spem, quòd nos putemus à nemine videri. Nonne stultissimus est, qui dum peccat, putat se à nemine videri, cùm tamen hoc sit impossibile, ut à nemine videatur, licèt enim à nemine hominum videatur, videtur tamen à DEO, & fieri hoc divinitùs non potest, ut à DEO non videatur, quia DEUS necessariò videt omne illud, quidquid est visibile, sicut necessariò videt omne illud, scit & cognoscit, quidquid est scibile & cognoscibile. Sicut ergo stultissimus esset, qui solus vellet universum regere mundum, quia putaret se à nemine dependere: ita stultissimus ille est, qui vult aut peccat ideo, quia se putat à ne-

à nemine videri, quia hoc eſt pariter impoſſibilè, cùm omnis creatura neceſſariò & clariſſimè videatur à DEO, & evidentiſſimè cognoſcatur. Licet ergo delictum unum poteſt aliquando latere ſuperiores, aut familiares noſtros, nunquam tamen poteſt latere DEUM eſſentialiter, & neceſſariò omniſcium. Unde cognoſcens hanc cogitationis divinæ perſpicaciam Regius Pſaltes, inquit: *Domine probâſti me, & cognoviſti me, tu cognoviſti ſeſſionem meam, & reſurrectionem meam. Intellexiſti cogitationes meas de longè, ſemitam meam & funiculum meum inveſtigâſti. Et omnes vias meas prævidiſti, quia non eſt ſermo in lingva mea. Ecce Domine, tu cognoviſti omnia noviſſima, & antiqua, tu formâſti me, & poſuiſti ſuper me manum tuam. Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me, confortata eſt, & non potero ad eam.* Et ulterius inquit: *Imperfectum meum viderunt oculi tui, id eſt, omnes meas imperfectiones, & peccata mea cognoviſti Domine, & vidiſti.* Pſal: 138. Sanctus quoq; Legislator volens præcautos facere ſui inſtituti cultores, inquit: *Sed etſi lateat, & à nemine hominum videatur, quid faciet de illo deſuper inſpectore, quem latere nihil poteſt?* &c: id eſt, ponamus hoc, & concedamus, quòd aliquando ſuperiores creatos lateat noſtrum delictum, ſed quid faciemus cum DEO? qui omnia videt, qui omnia clarè cognoſcit, quomodo illius aſpectum vitabimus? quomodo cognitionem fugiemus? quomodo ejus omniſcientiæ ſubducemur? *Quo ibo à Spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? ſi aſcendero in cælum, tu illic es: ſi deſcendero in infernum, ades. Si ſumpſero pennas meas diluculo, & habitavero in extremis maris. Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.*

Qui ergo hactenus in eam ſpem peccâſti, aut oculos

in

in objecta prohibita fixisti, putans, quòd à nemine videaris, & liberè peccabas, & DEUS sic te peccantem videbat; tu verò putabas, quòd à nemine videbaris. Perpetratū in angulo delictum tuum, omnes latebat, & DEUS illud quoad omnes circumstantias, accidentia, causas, & fines à te inhonestè intentos, sciebat. Desine igitur stulta opinione seduci, & scias, quòd etiamsi in vel sub centro terræ aut inferni peccatum commiseris; illud omnes latere non potest, quia non potest omniscium latere DEUM.

Considera *2do.* Quòd videri aliquod objectum potest, vel ita, ut videns sit intimè præsens objecto viso, vel ita, ut sit remotus & distans ab eodem. *2dus* modus videndi competit solis creaturis. *1mus* competit specialiter ipsi DEO, ratione quadam perfectissima, quia solus DEUS ita videt quodlibet objectum, ut illi sit præsens propter immensitatem suam, ut docent Theologi. S. ergo Legislator jubet servum DEI, ut cogitet hoc, quòd DEUS omnia videat, consequenter quòd sit omnibus intimè præsens, cogitatio enim hæc, quòd DEUS omnia videat, & quòd sit omnibus intimè præsens, est tantæ virtutis & efficaciæ, ut hominem etiam proclivissimum ad peccandum, removeat & deterreat à peccando: sicut enim etiam publicus latro deterretur à prædando, quando habet præsentes viæ publicæ custodes, & itinerantium defensores, & raptor fugatur à violento virginis raptu, quando advertit præsentes virginitatis excubias, & lupus non audet sparsum per arva pecus aggredi, quando proximum illi intuetur pastorem, ita peccator non audet legem DEI violare, mandata ejus & honorem conculcare, vel voluntati ejus contravenire, quando præsentem sibi cogitat DEUM. Unde

S. Legislator ſvadet, ſicut in Regula, ita & in multis aliis locis, ut omnis ille, qui non vult peccare, ubiq; ſibi præſentem cogitet DEUM, & habeat timorem præſentiæ DEI, dum inquit: Tom: 10. Homil: 77. *Opus eſt, ut hic timor mentes poſſideat, opus eſt, ut ille, qui peccare non vult, præſentem DEUM ſibi cogitet, non in publico ſolùm, ſed etiam in domo: non in domo ſolùm, ſed & in cubiculo, in nocte, in lecto ſuo, in corde ſuo.*

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, ſemper cogita DEUM omnia videre, imprime tibi timorem præſentiæ DEI, & ſic facilè peccata vitabis, quia *magna eſt cautela peccati, DEI ſemper præſentiam timere.* S. Augu: ſermon: 2. de Temp.

EXPOSITIO ET MEDITATIO XLII.

Quando ergo ſimul eſtis in Eccleſia, & ubicunq; ubi fœminæ ſunt, invicem veſtram pudicitiam cuſtodite: DEUS enim, qui habitat in vobis, etiam iſtô modô cuſtodiet vos, ex vobis.

COnſidera *1mo.* Quòd tanta ſit vitæ præſentis ſtatûſq; noſtri infirmitas, ut ſive ſpiritualem, ſive ſæcularem, ſeu politicam vivendi normam elegerimus, nullibì unquam ſecuri eſſe poſſimus. Licèt enim vita ſpiritualis, vita religiosè & modeſtè compoſita habeat ſæpiſſimè ſuas conſolationes internas, & incomparabilem plerumq; traquillitatem ac quietem animæ, tamen raro; aut nunquam

quam ita est in securo posita, ut nulli periculo sit obnoxia. Qui enim hodie perfectus esse videtur, cras aut hodie imperfectus esse potest, qui hodie totam vitæ regularis observantiam exequitur, cras illam persequi, & odiô habere potest. Qui hodie fortissimus esse apparet in via spirituali, in instanti assurgentibûs tentationibûs, superari sine difficultate valet.

O! quot vidimus ab initio perfectos, virtutis studium amantes! & tamen postea à suo fervore recesserunt, & in gravissima peccata sunt prolapsi. Homo enim, sicut constat contrariis qualitatibûs, ita quotidie ut luna mutatur, sicut aqua fluit & refluit, sicut arundo à quolibet vento movetur & flectitur, & nunquam in eodem statu permanet. Perspexit optimè hanc instabilitatem & pericula hominis, coronatus Propheta, & ideo orat DEUM, ut eum custodiat: *A resistentibus dexteræ tuæ custodi me, ut pupillam oculi. Sub umbra alarum tuarum protege me: à facie impiorum, qui me afflixerunt*, Psal: 16. v. 8. & 9. Et DEUS Optimus Maximus ad custodiam hominum Angelos providit: *Quoniam Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.* Nisi enim DEUS custodiat hominem, ille seipsum custodire non potest: *Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam.* Psal: 126.

Videns ergo S. Legislator utriusq; vitæ ingentia pericula, ut sui instituti cultores in aliqua securitate constitueret, & saltim ex aliqua parte tutos redderet, providit nobis modum acquirendæ aliqualis securitatis; nempe hunc, ut pudicitiam nostram, & integritatem vitæ nostræ invicem custodiamus, dum inquit: *Quando ergo simul*

eſtis in Eccleſia, & ubicunq; ubi fœminæ ſunt, invicem veſtram pudicitiam cuſtodite: cuſtodia enim mutua pudicitiæ & vitæ noſtræ, eſt tam efficax contra adverſa omnia remedium, ut nos tantùm valeat reddere ſecuros, quantùm ad inſtituendam religiosè vitam noſtram ſufficit & requiritur. Si enim excubiæ militum gregariorum, vel aliorum quorumcunq; tantum efficiunt, ut armatæ legiones, catafracti herôés, & univerſa caſtra reddantur ſecura, quieſcant aliquantulùm, reficiantur, & inſidias hoſtium ſaltem pro aliquo tempore non timeant: multò magis ſpiritualis virorum religioſorum mutua cuſtodia poteſt hoc efficere, ut milites Chriſti continuum bellum cum carne, mundo, & diabolo gerentes, ſaltim aliquantulum fiant ſecuri ab inſidiis carnis, mundi, & diaboli pauſent aliquid à continua laboris ſpiritualis intenſione, & poſtmodùm fiant fortiores ad vincendos hoſtes ſuos.

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profitemur, curemus ex animo allatum de mutua cuſtodia Regulæ punctum obſervare, ſi volumus inter continua mundi pericula, hoſtiumq; viſibilium & inviſibilium inſidias aliquantulùm de noſtra vita & ſalutis negotio vivere ſecuri.

Conſidera *2do.* Quòd licèt principaliter ad ſuperiores ſpectet continua ſolicitudo de pudicitia rigoroſa conſervanda, tamen S. Legislator non injungit ipſis & ſolis ſuperioribus eam cuſtodiendam, ſed omnibus in communi viventibus, ut ſe mutuò cuſtodiant, dum inquit: *invicem veſtram pudicitiam cuſtodite*: nempe, ut diſcant vitæ regularis cultores, quòd cuſtodia, ſolicitudo, cura, & anxietas circa pudicitiam conſervandam, & vitam religiosè tractandam, non ſpectet ad ipſos & ſolos ſuperiores,

ſed etiam ad ipſos ſubditos, ut ſe invicem in charitate cuſtodiant, mutuò inter ſe ipſos advertant, & cùm viderint aut ſpectaverint aliquid contra pudicitiam,aut contra regularem inſtitutionem eventurum, illud impediant, vel diſpoſitiones, circumſtantias, & occaſiones amoveant. Et ratio hujus eſt: nunquid enim ſolus & ipſe dux debet eſſe cuſtos caſtrorum? nunquid enim ipſe & ſolus Epiſcopus debet eſſe cuſtos Diæceſis? nunquid enim ipſe & ſolus Parochus debet eſſe cuſtos Parochiæ? minimè: dux habet milites qui ſe invicem cuſtodiunt, Epiſcopus Vicarios Generales, & alios Prælatos, Parochus Proviſos Presbyteros, qui ſibi & gregi mutuò invigilant. Deinde quia ſuperior licèt velit, tamen non poteſt omnes cuſtodire continuò, quia ſuperior cum ſubditis continuò verſari, diſcurrere, dormire, aut ſociatim cum ſingulis ambulare non poteſt, ſubditi autem ipſi ſecum aſſociantur, diſcurrunt, dormiunt, ambulant, recreantur, orant, adeoq; faciliùs ſeipſos advertere, defectus ſuos notare, & conſequenter totam vitam ſuam in integro cuſtodire poſſunt.

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, ſcias te eſſe obligatum ad cuſtodiam pudicitiæ & vitæ alterius, & alter viciſſim ſciat ſe obligatum ad cuſtudiendam pudicitiam & vitam tuam: conſequenter minùs rectè agis, quando ex eo iraſceris fratri tuo, eumq; odiô habes, dum advertis, quòd te cuſtodiat, defectus tuos notet, & diligenter inveſtiget, dum enim te, tuamq; vitam cuſtodit, tuæ ſaluti bene providet, & ubi putas, quòd te odiô habeat, ibi te amat. Unde S. Legislator inquit: *Felices qui oderunt cuſtodiendo, ne perdant amando.* Tract: 25. in Joan: 25. Tenemur itaq; ut invicem nos cuſtodiamus, cuſtodi-

ſtodiendo Regulam obſervemus, obſervando proficiamus, & proficiendo mereamur, tandem finaliter merendo, ſalvemur.

Conſidera *3tio.* Quòd S. Legislator non determinaverit locum, ubi nos, pudicitiamq; noſtram cuſtodire debeamus, ſed mandavit, ut nos mutuò cuſtodiamus, ſive in Eccleſia, ſive ubicunq; fæminæ ſunt, nempe: ut diſcamus, quòd ubicunq; ſimus, ubicunq; degamus, verſemur, diſcurramus, loquamur &c.: in omni loco diligentem noſtri cuſtodiam abſolvamus, quia univerſaliter certum eſt, quòd, qui ſcit habere ſe aliquem hoſtem, ſibiq; continuò inſidiari, nec tamen habet notũ, in quo loco inſidias ſtruat hoſtis, ille in omni loco ſeipſum cuſtodit, ſi vult bene ſuæ providere ſaluti. Cùm itaq; nos ſciamus, quòd habeamus juratum contra nos hoſtem, continuò nobis inſidiantem, & tamen non habeamus notum, ubi & in quo loco determinatè nobis inſidietur, ſi volumus noſtræ ſaluti providere, omnino convenientiſſimum eſt, ut in omni loco vitam & pudicitiam noſtram cuſtodiamus: ſi enim aliquando deſiſtamus à cuſtodia, & interim hoſtis superveniat, faciliùs contra nos inſurget, pugnabit, vincet, & triumphabit. Deinde ille poteſt in aliquo loco deſiſtere à cuſtodia, qui in caſu irruptionis hoſtilis habet aliquod obſtaculum, in quo poſſit retardari hoſtis, ſic milites Principum poſſunt plerumq; in alio loco deſiſtere à cuſtodia, quia frequenter habent valla, muros, caſtella, propugnacula, turres, quibûs cinguntur, & quibûs hoſtis retardatur: nos autem qui bella ſpiritualia tractamus, non habemus in ullo loco ſimilia conſtructa propugnacula, conſequenter ubiq; nos cuſtodire tenemur. Scimus enim,

quòd

quòd multi etiam in Ecclesia ceciderunt, scimus quòd plurimi etiam ad altare peccaverunt, scimus, quòd innumeri etiam in choro, in oratorio, & in aliis sacris locis seducti sunt, & triumphati ab hoste. Quare in quocunq; loco fueris, nunquam esto securus de integritate conscientiæ tuæ, nunquam confide tuæ pietati, vel integritati, (si quam habes) ubiq; enim cadere potes, ubiq; pudicitiam amittere, vel violare facillimum est: locus te nullibi defendet, excubias pro te circa tuam integritatem non aget, locus pro te contra tentationes dæmonis & carnis non vigilabit, locus pro te etiamsi sanctissimus, munitissimus, & fortissimus sit, non pugnabit, proinde si vis esse aliquo modo securus, te ipsum custodias, & vicissim alios, ipse pro tua integritate & pudicitia mutua aliorum conservanda excubias peragas, ipse vigiles, ipse pugnes, ipse triumphes.

EXPOSITIO ET MEDITATIO XLIII.

Et si hanc, de qua loquor, oculi petulantiam, in aliquo vestrûm adverteritis, statim admonete, ne cœpta progrediatur, sed de proximo corrigatur.

COnsidera *1mo.* Postquàm S. Legislator dederit mandatum de servanda mutua pudicitiæ nostræ custodia, tandem hic subjungit alterum de admonitione fraterna, in ordine ad correctionem; finis enim principalis & adæquatus mutuæ custodiæ, est fraterna admonitio, & correctio.

rectio. Porro sunt pleriq; , qui proximum interruptim custodiunt, gressus ejus dinumerant, vestigia singula observant, omnes defectus notant, verba quæcunq; obvia colligunt, horas, momenta, diem, noctemq; proximi intuentur, sed frequenter eo fine & motivô hoc faciunt, ut eundem deprimant, honorem eripiant, apud superiores gratiam, æstimationem, activitatem, bonumq; nomen, & famam diminuant, sibi verò ipsis per ruinam proximi, gratias & favorem concilient. Talem custodiam proximi, non injunxit S. Legislator, sed nonnisi hanc, quæ pro fine & motivo habeat correctionem fraternam, prævia admonitione charitativa. Ratio est, quia prædicta custodia, est custodia Pharisaica, seu propria Pharisæis, qui custodiebant Christi actiones, notabant verba, & opera, sed de correctione sua, aut proximi non cogitabant, sed magis de hoc, quomodo possent de medio tollere Christum, & gloriam nominis ejus supprimere. Imo non tantùm Pharisaica, sed etiam diabolica vocari potest prædicta custodia, quia sicut diabolus eo fine circuit nos, ut nobis gratiam apud DEUM destruat, cælum eripiat, & infernum præparet, ita illi qui prædictô modô proximum custodiunt, simile quid faciunt, adeoq; diabolicè agunt, diabolum imitantur, consequenter eorum custodia diabolica est.

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, ita custodias fratrem & proximum tuum, ut finis & motivum custodiæ tuæ, sit correctio, prævia admonitione fraterna, quod dum exequeris, utriq; puncto Regulæ satisfacies. Vide ergo, qualiter hactenus custodiebas fratrem tuum? adverte, quis finis & occasio fuit notandi gressus & actiones fratris tui? si primus? Pharisæos & diabolum secutus

es, si

es, si secundus? Christi doctrinam, & S. Legislatoris regulam implevisti.

Considera *2do.* Quòd S. Legislator non solùm nudè, post factam oculi petulantis advertentiam admonere fratrem injunxerit, sed injunxit, ut statim admoneatur, dum inquit: *statim admonete:* nempe; ut discamus, non satis esse admonere fratrem peccantem, sed requiritur, ut statim admoneamus. Ipse enim Christus Dominus, quandocunq; & ubicunq; adverterit Apostolos, Discipulos, & alios quoscunq; delinquentes, vel delicturos, admonitionem non differebat, sed statim sine omni dilatione admonebat. Sic advertit Math; 18. Christus Dominus, quòd Apostoli primatum ambiant, interrogantes: *Quis major erit in regno cælorum?* statim eos admonuit: *Et advocans JESUS parvulum, statuit eum in medio eorum, & dixit: Amen dico vobis: Nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum, quicunq; humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in regno cælorum.*

Pariter cùm videret quòd filii Zebedæi ambirent sedere unus ad dextram, alter ad sinistram, nulla ratione distulit munus admonendi, sed statim eos redarguit, dicens: *Nescitis, quid petatis.* Deinde cùm adverteret, quòd Iscariotes machinaretur mortem contra ipsum, illicò tempore mensæ admonuit eum Dominus: Math: 26. *Amen dico vobis, quia unus vestrûm me traditurus est,* &c.

Non solùm itaq; admonere, sed statim admonere officium & munus nostrum est. Mente captus est, qui dum advertit scintillam in lecto, vel fæno, non admonet statim de periculo, sed postquàm jam incendium scintilla conceperit: necat ægrotum, qui ab initio morbi medici-

nam non applicat, ſed eam differt, poſtquàm morbus radicem bene fixerit: exponit mercatorem naufragio, qui per rimas navis paulatim ſtillantes aquas in inſtanti, dum ſtillant, non impedit, ſed tunc modoprimùm, quando copiosè affluxerint; ab initio, & in inſtanti malis occurrendum eſt: *Principiis obſta, ſerò medicina paratur, tolle moras, nocuit differre paratis.* Quidquid enim capax eſt intenſionis & augmenti, illud tamdiu creſcit, & augetur in ſuo genere, quàmdiu non impeditur: in genere *v.g.* boni, ſi bonum eſt, & in genere mali ſi malum eſt, ſic arbor, ignis, aqua, flores, venenum, & alia capacia augmenti, tam diu augentur, creſcunt, & ampliantur, quàm diu non impediuntur. Cùm ergo omne vitium ſit capax intenſionis, & augmenti in genere mali, tam diu creſcit, intenditur, & augetur in malitia, quàm diu non impeditur.

Ne ergo permittamus malum creſcere, ne concedamus delictum augeri, tunc ſtatim impediendum eſt. Modus autem impediendi mali, eſt admonitio fraterna, ſine ulla dilatione ſubſequens, & hoc innuit S. Legislator, dum inquit: *Statim admonete, ne cœpta progrediatur*, hoc eſt admonete, ne cæptum malum augeatur.

EXPOSITIO ET MEDITATIO XLIV.

Si autem & poſt admonitionem iterum, vel alio quocunq; die, id ipſum eum facere videritis, jam velut vulneratum, ſanandum prodat, quicunq; hoc potuerit invenire.

Con-

CONsidera *imo*. Quòd dum S. Legislator daret præceptum de exhibenda admonitione, usus sit illâ particulâ *statim*, significante celeritatem & carentiam dilationis, dicit enim ibidem: *statim admonete:* quando autem tradit hìc præceptum de manifestandis illis, qui post admonitionem ad pristinum defectum redierint, non utitur eadem particulâ, sed aliâ, dicens: *jam velut vulneratum sanandum prodat:* porro particula hìc adjecta, non significat ita energicè & formaliter carentiam dilationis, aut celeritatem agendi: per quod docere nos voluit S. Legislator, quòd non tam celeres debemus esse ad aperiendum proximi occultum defectum, sicut ad admonendum: item, quòd non tam promptè, non tam velociter teneamur manifestare secretam infirmitatem alterius, quàm corrigere; quando occurrit circumstantia admonendi proximi, non debemus eandem differre; sed quantùm fieri potest statim eandem adhibere, statim admonere: quando autem negligitur admonitio nostra, & ad idem peccatum fit regressus, jam velut vulneratum sanandum prodere possumus licitè, non tamen statim, non tamen in instanti, sed aliquantulùm expectare emendationem admoniti. Illi enim, quos admonemus, aut sunt inhabituati in malo, & asveti eidem, aut superbi, aut impatientes, aut cæci spiritualiter. Si inhabituati sunt, non est omnino mirùm, quòd ad primam admonitionem nostram non resipiscant, quia omnis habitus acquisitus, est qualitas difficiliter mobilis ex subjecto. Si superbi? iterum non est mirùm, quòd resistunt, cùm superborum natura sit, etiam rectè sentientibus resistere, proinde permittendum est illis aliquid temporis, ad cognoscendam suam superbiam,

Si impatientes? iterum toleranda ipsorum impatientia, quam de contempta admonitione concipiunt. Si tandem cæci sunt spiritualiter, hoc est non bene educati in vita regulari, aut carnaliter & spiritu sæculari omnia judicantes; iterum dissimulandum est, illorumq; cæcitas paulatim aperienda, & tandem ipsum vitium anteactum reprehendendum, modô aliquô ex supradictis. Deinde etiam jura tam Canonica, quàm civilia, semper sunt promptiora ad admonendum, quàm puniendum; sic nullum jus post primam monitionem punit, aut condemnat delictum, sed ad hoc requirit tria monitoria. Cùm ergo manifestatio occulti delicti coram Prælato, sit quædam pæna pro contempta admonitione, non instantaneè ad illam descendendum est, sed expectanda correctio, prospicienda emendatio, speranda conversio. Unde quando S. Legislator inquit: *Si autem & post admonitionem, iterum vel alio quocunq; die id ipsum eum facere videritis, jam velut vulneratum sanandum prodat* &c: non est intelligendus, quòd statim post primam admonitionem manifestandum sit occultum delictum proximi, sed post admonitionem ad summum trinam, spectatîs circumstantiîs, & qualitate illius, qui est admonendus. Et putarem quòd Christus Dominus, inter alias rationes, etiam ideo mulierem deprehensam in adulterio à Pharisæis, fecerit liberam, quòd Pharisæi erant nimis prompti, & anhelabant celeriter condemnationem illius mulieris. Discant ergo viri religiosi delicta advertentes, quòd promptiores debeant esse ad admonendum, quàm ad manifestandum proximi delictum;

Considera *2do.* Quantum periculum sit negligere, contemnere, non audire, vel odiô prosequi admonitiones, vel

ipsos

ipsos admonitores? Respondeo: patet in Pharaone, quem DEUS per suos ministros Moysen & Aaron admonuit primò, secundò, admonuit tertiò, admonuit & quartò, & ampliùs, Pharao tamen nullam ex his admonitionem humiliter suscepit, sed potiùs superbè contempsit, & respuit: in quo cùm finaliter perseveraret, ab aquis maris cum toto exercitu suo absorptus est. Admonuit Christus & Judam discipulum, cùm adverteret futuram proditionem sui ab illo, & dixit illi tempore ultimæ cænæ: *Qui intingit manum mecum in paropside, hic me tradet*: Math: 26. Admonuit eundem & secundò: *Amice ad quid venisti* &c. *Juda Filium hominis osculô tradis* &c: Non audivit has admonitiones Judas: quid evenit? ecce laqueô se suspendit, & in æternum damnatus est. Admonuit præterea DEUS illam civitatem antiquam Jerusalem dicens: *Quia si & tu cognovisses tempus visitationis tuæ* &c: misit ad eandem tot Prophetas arguentes, & comminantes nomine DEI, non audivit has omnes admonitiones prædicta civitas: quid evenit? *Ecce Domina gentium, Princeps Provinciarum, facta est sub tributo, omnes amici ejus spreverunt eam, & facti sunt ei inimici, omnes persecutores ejus apprehenderunt eam, inter angustias oppressa est amaritudine, viderunt eam hostes, & deriserunt Sabbatha ejus.* Jer: 11. Sed præterea constat hoc ipsum ex lumine naturali, & quotidiana experientia. Nonne periculosus est ille & proximus morti, qui gravi morbô pressus, & infectivô, respuit medicamenta à medico præscripta, vel corpori applicata detrudit? nonne ille exercitus est cladi proximus, qui admonetur à vicinis de hoste appropinquante, & insidiis ejus, interim tamen neglectâ admonitione, securè epulatur, insolescit, securè dor-

dormit? Eſtne aliquis corpori morbus gravior, quàm peccatum? item, eſtne medicina aptior, & prior ad illum ſanandum, quàm admonitio? defactò non eſt, proinde ſi hanc medicinam reſpuimus, exponimus nos periculo mortis æternæ: tandem, eſt ne gravior hoſtis contra aliquam gentem, regnum, aut provinciam, quàm ſit hoſtis noſter diabolus, defactò nullus gravior oſtendi poteſt. Proinde cùm nos de adventu & inſidiis iſtius hoſtis admonemur, cæterùm tamen admonitionem negligimus, corpori indulgemus, ſenſibus blandimur, epulamur, liberè peccamus, & quotidiana peccata continuamus, interim advenit hoſtis noſter, imparatos ad pugnam reperit, vincit, triumphat, & nos pro triumpho ad infernum deducit. Si ergo vis tanta pericula evitare, non contemnas admonitiones fraternas, ſive ſuperiorum, ſive ab aliquo alio tibi exhibitas.

EXPOSITIO ET MEDITATIO XLV.

Priùs tamen eſt alteri vel tertio demonſtrandum, ut duorum vel trium poſſit ore convinci, & competenti ſeveritate coërceri.

COnſidera 1*mo*. Quid agere debeas? quando alteri exhibita à te admonitio negligitur, ac minùs curatur? ecce docet S. Legislator, ut hic negligens, & minùs curans admonitionem religioſam privatam, aliis demonſtretur, convincatur, & tandem coërceatur: inquit enim:

Priùs

Prius tamen alteri vel tertio demonstrandum est, &c: Ex quo discant hìc illi, qui libenter quidem peccant, sed omnem admonitionem etiam secretam tanquam colubrum fugiunt, negligunt, & minùs curant, tandem cùm demonstrantur aliis, & propalantur, fiunt persecutores eorum, à quibus demonstrati vel propalati sunt, discant inquam, quòd injustè persequantur eos, à quibus demonstrati vel promulgati fuerunt, quia, qui lege aliqua obligatur ad aliquam actionem ponendam, injustè eum persequimur, si eam ponat, ut lumine naturæ notum est: porro qui admonet peccantem, & interim negligitur ejus admonitio, obligatur lege Regulæ suæ, ut demonstret, promulget, ac patefaciat peccatum, ut iterum patet ex hoc Regulæ textu, consequenter injustè eum propter hoc ipsum persequimur, quia ab eo delati, demonstrati, vel accusati existimus. Deinde peccans occulte, tamdiu habet jus, ut occultetur ejus delictum, quàmdiu non admonetur; postquàm autem admonetur, & non corrigitur, jam eô ipsô amittit jus, quod antea habuerat ad occultandum suum delictum, & conservandam suam famam, consequenter injustè facit, si alterum persequatur.

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, si tibi contingit peccare, suscipias gratè admonitionem, quodsi non suscipis, suscipias gratè demonstrationem delicti tui, coram aliis, nec persequere eos, qui tuum delictum demonstrant, quia tales sunt similes tyrannis, qui privatas admonitiones Sanctorum negligebant, & postponebant; quando autem peccata eorum demonstrabantur, vel publicè arguebantur à Sanctis, eosdem Sanctos persequebantur, & morte puniebant: sed quis finis eorum? ecce periit

riit memoria eorum cum ſonitu, & Dominus in æternum permanet cum gloria Sanctorum ſuorum.

Conſidera *2do.* Quòd ſeveritas in puniendis ſubditorum defectibus triplex poſſit cogitari: una excedens, alia deficiens ſeu diſcreta, alia competens. Severitas excedens eſt, quæ majorem pænam infligit peccanti, quàm præſcribat lex, aut conſtitutiones Ordinis, & hâc utuntur ſuperiores, quando ad terrorem aliorum, volunt punire aliquem. Severitas deficiens ſeu diſcreta eſt illa, quæ minorē infligit pænā peccanti, quàm lex præſcribat, & hâc utuntur ſuperiores ad imitandam clementiam Chriſti, aut quando ingenuus aliquis occurrit arguendus. Severitas competens, quæ tantam infligit peccanti pænam, quantam præſcribit lex, ſtatuta, & conſtitutiones alicujus Ordinis. Licèt ergo illi, qui neglecta admonitione ad priſtinum peccatum redeunt, mereantur puniri plerumq; ſeveritate excedente, ad terrorem & exemplum aliorum, tamen S. Legislator ſolâ competenti ſeveritate jubet eos corrigi, dicens: *Ut duorum vel trium poſſit ore convinci, & competenti ſeveritate coërceri.* Si ergo aliquando puniris ſeveritate competenti, habes juſtitiam, ſi deficienti ſeu diſcreta, habes & clementiam diſpenſativam legis, quodſi argueris ſeveritate excedente, impletur in te rigor & zelus odiô proſequendi malum. Nec tibi eſt injuria, ſi aliquando contingat te coërceri ſeveritate excedente, quia hæc ſeveritas vocatur excedens, tantùm reſpectivè ad legem, quòd ſcilicet plùs pænæ infligat, quàm lex præſcribat, reſpectivè autem ad peccatum, quâ DEUS ſummè bonus, & ſummè dignus offenditur, non eſt excedens, ſeu non eſt major, quàm ſit ipſum peccatum in genere & ratione offenſæ,

ſed

ſed eſt longè minor, inæqualis, & deficiens. Ratio hujus eſt, quia omne peccatum, præſertim mortale, eſt ſimpliciter infinitum, ut communiter docent cum Divo Thoma Theologi: pæna autem omnis, quæcunq; pro peccato noſtro hìc infligi poteſt, eſt ſimpliciter finita, ut certùm omnibus Theologis. Porrò finitum ſimpliciter, non eſt majus quàm infinitum ſimpliciter, item finitum non eſt quid excedens, quàm infinitum ſimpliciter. Proinde omnis pæna noſtra temporalis, etiamſi videatur excedens eſſe, non eſt major abſolutè, quàm ſit ipſum peccatum, imo longè eſt minor, quàm peccatum, conſequenter neq; eſt excedens reſpectivè ad peccatum. Deinde qualemcunq;, quantamcunq; etiam maximam pænam aſſignet tibi ſuperior pro peccato tuo, nunquam hâc pænâ tuâ poteris condignè ſatisfacere DEO, ad æqualitatem pro peccato mortali, ut docent omnes, quia nulla pura creatura poteſt condignè ſatisfacere pro offenſa mortali Theologica. Proinde apparet, quòd nulla pæna tua, & gravitas illius, ſit æqualis gravitati offenſæ, ſed eſt minor offensâ, adeoq; non eſt excedens gravitatem peccati. Itaq; quando te continget argui à ſuperiore majori pænâ, quàm lex præſcribat, non debes murmurare contra ſuperioeem, quòd te gravaverit, vel oppreſſerit, quia licèt pæna tibi aſſignata ſit major, quàm præſcribatur à lege, non eſt tamen major & gravior, quàm ſit gravitas peccati in ratione offenſæ: conſequenter debes tibi perſuadere, ut patienter ſuſtineas etiam hanc pænam, quæ tibi videtur eſſe excedens. Deinde quando ſuperiores ferunt majorem aliquando pænam, quàm lex præſcribat, faciunt id ex novis circumſtantiis aggravantibus, vel ſuperaggra-

vantibus' peccatum, proinde de hoc non sunt taxandi.

O! misericordissime JESU, quid est hoc, quod ego audio? nempe! audio: quòd malitia peccati mei tanta sit in ratione offensæ, ut ei nulla pæna æqualis à pura creatura impendi & assignari possit: quodsi ita est, quid ergo faciam? quô eluam, non tantùm unius peccati, sed plurimorum etiam divisim infinitas simpliciter malitias in ratione offensæ! quô compensabo injuriam DEO meo illatam per tot scelera mea? sed jam scio, quid faciam, recurram ad te ardentissime salutis humanæ Zelator misericordissime JESU, & DEUS meus! recurram ad vulnera tua, & infinitum valorem meritorum passionis tuæ! in horum unione satisfactionem meam pro excessibus meis tibi offero! respice igitur voluntatem meam, & satisfactionem meam tuæ infinitæ satisfactioni adunias.

EXPOSITIO
ET
MEDITATIO XLVI.

Nec vos judicetis esse malevolos, quando hoc indicatis: magis quippe innocentes non estis, si fratres vestros, quos indicando corrigere potestis, tacendo perire permittitis. Si enim frater tuus vulnus haberet in corpore, quod vellet occultari, cum timeret secari, nonne crudeliter abs te sileretur, & misericorditer indicaretur? tantò ergo potiùs debes manifestare, ne deteriùs putrescat in corde.

Con-

COnsidera *1mo*. Quòd licèt expressum sit Sancti Legislatoris mandatum de indicando alterius defectu, quando post neglectam admonitionem ad illud redit, tamen ad occultandum illud multi ducuntur multîs circumstantîs sibi bene visîs: & sic alii ducuntur respectu amicitiæ, familiaritatis, confidentiæ, putantes se violaturos jura prædicta amicitiæ, si crimen ignotum Prælato indicaverint. Alii ducuntur respectu alicujus commodi temporalis &c: scientes se illud commodum, utilitatem, & proventum amissuros, si peccatum nemini notum, alicui promulgaverint: alii ad id ipsum occultandum ducuntur conjunctione, unione, & propinquitate sanguinis, & sic autumant se esse liberos ab observatione præcepti.

Sed hi omnes non sunt *1mo* liberi prætextu amicitiæ, quia dum volunt amicitiam temporalem conservare, æternâ se ipsos privant, & illum, cujus crimen (in quo perseverat) non indicant. Deinde amicitia vera non est illa, quâ alicui parcimus, dum eum peccantem videmus, ut testatur S. Legislator dicens: *Non omnis, qui parcit, amicus est, nec omnis qui verberat, inimicus. Qui phreneticum ligat, & lethargicum excitat, ambobus molestus, ambos amat, ambos sanat, ambo, quàm diu ægri sunt, indignantur, sed ambo sanati gratulantur: sed potiùs vera amicitia est illa, cujus beneficiô animæ nostræ maculæ terguntur: & illum amicum meum existimo, cujus lingvæ beneficiô ante diem extremi judicii animæ meæ maculas tergo:* dicere solebat Augustinus. Sic & qui indicat crimen alterius, providet proximo, ut in æternũ non pereat: qui verò occultat crimen alterius, perseverantis in eodem, non providet illi hoc, ne in æternũ non pereat, sed tantũ sibi ipsi, ne illius amicitiã amittat, cõsequenter non est

vera illius amicitia. Hic ergo est verus amicus, hic addictus frater, qui non curat amicitiam nostram temporalem, ut nos habeamus æternam, qui potiùs eligit nostrâ benevolentiâ privari, dummodò nos non destituamur cælesti, & hoc facit ille, qui non habito respectu amicitiæ alterius, defert omnem illius defectum, quando perseverat in illo, etiam post repetitam aliquoties monitionem.

Non sunt *2do* liberi respectu alicujus commodi, quia non indicare crimen respectu commodi, avaritia est, & spolium pereuntis animæ: lucrari animam pereuntem, est pretium vitæ æternæ, orbe universô majus, & thesaurîs ejus: lucrum autem ex hoc, si aliquod non aperiamus vitium delinquentis, est pretium sangvinis, simile illi, quô quis videns latronem occidentem mercatores, non indicaret crimen latronis, ut ex præda capta particeps fiat, & ditior: sicut enim ille qui videt latronem occidentem, & tamen non impedit, cùm possit, moraliter cum latrone censetur occidere, licèt physicè non occidat, ita ille, qui videt alterum hærentem in peccato, & tamen non impedit illud, cùm possit, occidit eum moraliter in anima, & est moralis causa æternæ damnationis illius.

Non sunt *3tio* liberi ab indicando delicto proximi, conjunctione sanguinis: quia respectus sanguinis, familiæ, generis, & domûs nobilis, senatoriæ, imo etiam regiæ, aut principum, locum non habet in Religione, sed hæc omnia ante ostium portæ religiosæ relicta esse supponuntur.

Considera *2do*. Quòd præter allatas causas, ducuntur alii ad occultandum delictum, quòd judicent se futuros malevolos, malitiosos, & infensos alteri, si ejus deli-

ctum

ctum indicarent, sed hoc judicium & opinio ipsorum falsa est, judicio & sensui S. Legislatoris repugnans, qui inquit: *Nec vos judicetis esse malevolos, quando hoc indicatis.* Sicut enim non est ille malevolus, juxta testimonium Christi Domini: *qui odit animam suam in hoc mundo, ut in vitam æternam custodiat eam:* ita hic non est malevolus, qui odit proximum, ut in vitam æternam custodiat eum. Odium enim illud, est odium peccati, non personæ, adeoq; est amor personæ, non autem peccati. Ille sincerè amat, qui candidè indicat hoc, quod à nobis avertit amorem DEI, quod ponit impedimenta ad possidendum DEUM, ille verè diligit, qui manifestat omne illud, quod nos facit DEO & Sanctis ejus odibiles, qui verò peccantibus parcit, indulgentibus vitio indulget, sequentes delicta prosequitur, ille minimè amat. Audi hìc S. Augustinum serm: 7. de charitate dicentem: *Non putes te amare servum, quando eum non cædis, aut tunc amare filium, quando ei non das disciplinam, aut tunc amare filium tuum, quando eum non corripis: non est ista charitas, sed languor.* Sed præterea, quòd ille malevolus non sit, qui indicat crimen alterius, ratio intrinseca est hæc: universaliter ille est malevolus, qui malè vult alteri: hoc enim nomen *malevolus*, idem significat, quod *malevolens:* sicut *benevolus*, idem significat, quod *benevolens* alteri, derivaturq; à malevolendo, seu à verbo *malevolo*, sicut benevolus derivatur à benevolendo, seu à verbo *benevolo*. Porrò qui indicat crimen alterius post præmissam admonitionem in ordine, ut ab illo desistat, non vult malè alteri, quia ipsum removet ab habitu peccandi, à violatione legis divinæ, aut humanæ, aut constitutionum Ordinis læsione, proinde ille,

qui

qui indicat crimen alterius, non est malevolus, neq; malevolens. Potiùs ergo ille, qui non indicat crimen alterius, & non impedit, cùm possit; est malevolus: quia ille malevolus est, qui malè vult alteri, jam autem qui non indicat crimen alterius, malè vult alteri, qui non indicando crimen illius, exponit ipsum periculo peccandi finaliter, & periculo damnationis æternæ: item permittit illi læsionem legum divinarum & humanarum, adeoq; potiùs ille, qui non indicat crimen prædictum, est malevolus. Qui ergo ex Regula teneris manifestare defectus aliorum, non judices te esse malevolum, si præfatos defectus aperias, & deferas superiori.

Considera *3tio.* Quòd, quoties Christus Dominus voluit nos docere aliquid spectans ad mores & salutem animæ nostræ, ferè semper ad hoc faciliùs, clariùs, & efficaciùs persvadendum, & nos alliciendum, usus est aliqua eleganti similitudine: sic Math: 13. volens nobis persvadere amorem, & desiderium regni cælestis, usus est similitudine thesauri absconditi, item hominis negotiatoris, quærentis bonas margaritas, item sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti: sic in alio loco, volendo nos docere, quantam gloriam habebunt Doctores & Magistri fidei & veritatis, usus est similitudine solis: *Qui erudiunt multos, fulgebunt sicut sol in perpetuas æternitates.* Sic volendo nos docere, qualiter debeamus uti gratiîs, donîs, & talentîs nobis liberaliter collatîs, usus est similitudine cujusdam hominis peregrè proficiscentis, tradentis bona sua, & distribuentis talenta. Pariter S. Legislator volendo nobis persvadere observantiam præcepti, de indicandis alterius defectibus, utitur similitudine fratris,

haben-

habentis vulnus in corpore, & volentis illud occultare ideo, quòd timeat secari, utitur, inquam, prædicta similitudine hoc fine, ut nos magis convincat, moveat, & alliciat ad manifestandos aliorum defectus, præsertim graviores, & in consvetudinem, & habitum jam magis contractos. Et certè, si prædictam similitudinem diligenter expendamus, convincit omnino, & cogit intellectum ad eum finem prosequendum, ad quem adducta est: sicut enim vulnus corporis occultare, est valde periculosùm, quia hæc occultatio aliquando totum corpus inficit, & vitam eripit, ita propter eandem omnino rationem, periculosissimùm est, vulnus mentis etiam alienæ abscondere, quia per hoc tota mens, & tota anima inficitur, & tandem eidem ipsi animæ vita æterna pro neglecto vulnere subtrahitur: Proinde sicut nemo ita est imprudens, nemo ita ratione destitutus, qui videndo vulnus proximi in corpore, volentis illud occultare ideo, quòd timeat secari, nemo, inquami, ta imprudens est, qui ad occultandum prædictum vulnus corporis ducatur vel moveatur respectu amicitiæ, familiaritatis, confidentiæ, sanguinis propinqui, lucri temporalis, authoritate personæ, vel opinione, aut timore, quòd ab habente vulnus in corpore dicendus sit malevolus: ita pari omnino ratione nemo debet esse adeò imprudens, qui videndo alterius religiosi vulnus in anima volentis illud occultare, ideo, quòd timeat reprehendi, ducatur ad illud tacendum respectu alicujus amicitiæ, consangvinitatis, authoritatis personæ, vel aliâ quâcunq; ratione.

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, reflectaris supra te ipsum, utrum hâc similitudine à S. Legislato-

latore allatâ, convictum habeas intellectum ad amplectendum id, ad quod eadem similitudo allata est.

Considera *4to.* Quòd ex prædicta similitudine desumpta à vulnere corporis, non solùm hoc infert S. Legislator, quòd eô animô debeamus aperire vulnera mentis, quô solemus aperire vulnera corporis, sed infert hoc: quòd magìs obligemur ad aperienda mentis, quàm corporis vulnera: inquit enim: *Tantò ergo potiùs debes manifestare, ne deteriùs putrescat in corde:* nec immerito: vulnera enim mentis semper sunt graviora, quàm vulnera corporis: aliquando vulnera corporis se ipsîs produntur; vulnera mentis ordinariè hypocrisi, seu simulatione sanctitatis velantur: vulnera corporis ægrotum pungunt, membra sautiant, lædunt, molestant, & ingens tædium præ dolore pariunt; vulnera mentis (nimirùm peccata & voluptates hujus sæculi) suos infirmos delectant, blandiuntur illis, dulcescunt, svavia apparent, & prætextu commoditatis, quemlibet in sui amorem capiunt: vulnera corporis, plerumq; & ordinariè fætent, sensus offendunt, vulnera mentis etiam sensibus externis placent, & ministeriô eorundem sensuum infliguntur animæ; vulnera corporis si occultata manserint, & consequenter non sanata, nonnisi solum corpus enecant, vulnera autem mentis, si penitùs abscondita extiterint, adeòq; nullatenùs deleta, & corpus & animam in æternum occidunt. Tandem vulnera corporis à quocunq; medico creato, in sua arte perfecto curari possunt, vulnera autem mentis à nulla pura creatura sanari & deleri possunt, & tanta sunt, ut ab illis *neq; per ipsum liberaremur unum Mediatorem DEI & hominum, Hominem Christum JESUM, nisi esset & DEUS.* Si

ergo

ergo vulnera mentis graviora, majora, & ad sanandum difficiliora sunt, proinde infallibiliter sequitur, quòd magìs curare debeamus, ne proximus noster propter eadem vulnera occultata putrescat in corde.

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, expende, ad quid magìs inclinationem sentias? an ad corporis, an ad mentis sananda in proximo vulnera?

Considera *5to.* Quare magìs innocentes non sunt, seu potiùs, quare absolutè sunt nocentes, qui aliorum defectus post admonitionem præmissam, cæterùm neglectam, non indicant? hujus igitur ratio est *1mo* comparatè ad totam Religionem, quia tota Religio intendit hoc, ut omnes defectus, quicunq; contingere possint, corrigantur, aboleantur, & eradicentur, quando autem hi sunt occulti, nec aperiuntur ab illis, qui eos noverunt, & admonitionem præmiserunt, tunc illi defectus sensim crescunt, augentur, tandem in publicum prodeunt, & famæ totius Religionis nocent. *2da* ratio est, comparatè ad ipsos delinquentes, neq; se post præmissam admonitionem corrigentes, *2da*, inquam, ratio est hæc: quia illi sunt nocentes alteri, qui cùm possent ab interitu salvare, eum perire permittunt, quia verò omnes illi perire permittunt proximum, qui tacent defectum illius, cùm alias indicando defectum, eundem corrigere, & consequenter salvare possent, ideo omnes illi, qui non indicant defectum alterius, nocent gravissimè eidem alteri: & hoc ipsum sentit S. Legislator, quando inquit: *Magis quippe innocentes non estis, si fratres vestros, quos indicando corrigere potestis, tacendo perire permittitis.*

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, non exi-

ſtimes te eſſe innocentem, quando proximi tui admoniti & non correcti occultas defectum, & de die in diem parcis eidem, non, inquam, exiſtimes te innocentem, quia abſolutè nocens es, & magìs nocens tacendo, quàm indicando, parcendo, quàm accuſando. Quare diligenter diſcas, qualiter alicui parcere debeas; *nam plurimùm intereſt, quô animô quiſq; parcat: ſicuti enim eſt aliquando miſericordia puniens, ita & crudelitas parcens:* unde ne parcendo fias crudelis, non attendas ad hoc, quòd moleſtus eris delinquenti, ſi delictum illius manifeſtabis, dummodò illum diligas accuſando, quia ordinariè: *Moleſtus eſt medicus furenti & phrenetico, & pater indiſciplinato filio, ille ligando, iſte cædendo: ſed ambo diligendo. Si autem illos negligant, & perire permittant, iſta potiùs falſa manſvetudo, crudelitas eſt.* S. Auguſt: Epiſt: 25. ad Macedonium.

EXPOSITIO ET MEDITATIO XLVII.

Sed antequàm aliis demonſtretur, per quos convincendus eſt, ſi negaverit, priùs Præpoſito debet oſtendi, ſi admonitus neglexerit corrigi, ne fortè ſecretiùs correptus, poſſit non innoteſcere cæteris. Si autem negaverit, tunc neganti adhibendi ſunt teſtes alii, ut coram omnibus poſſit, non ab uno teſte argui, ſed à duobus vel tribus convinci.

COnſidera 1mo. Cui nam ſint manifeſtandi defectus aliorum, poſt præviam admonitionem non correcti, ſed con-

continuati? prædicti ergo defectus aliorum, post præviam admonitionem, manifestari debent non cuicunq; obvio religioso, non cuicunq; familiari, vel confidenti, non cuicunq; amico, vel nobis aliqua cognatione propinquo, sed manifestari debent illi, ad quem pertinet ex Regula: porro ex Regula hæc manifestatio ordinariè competit Præposito, seu Superiori pro tempore existenti, ut evidenter habetur in textu, ubi dicitur: *Si negaverit, priùs Præposito debet ostendi.* Quamvis itaq; peccatum delinquentis, & negligentis admonitionem, possit manifestari alicui alteri præter superiorem, tamen primariò & principaliter debet manifestari ipsi superiori: dicitur enim: *priùs Præposito debet ostendi.* Unde discant hic illi, qui dum vident, quòd admonitus ab aliis negligat, & postponat admonitionem, videant, inquam, quàm inordinatè faciant, quòd defectum seu peccatum etiam notabilius personis extraneis manifestare soleant, & quidem ita, ut priùs civitas, vel populus sciat peccatum delinquentis, quàm superior vel capitulum. Si ergo volumus ordinatè, prudenter, meritoriè indicare defectus fratrum, *imo* debemus eos secretè admonere, post neglectam admonitionem indicare, sed non cuicunq; ex fratribus, vel amicis, ast ipsi Prælato, vel Superiori subalterno. Ratio est, quia fama & bonum nomen proximi, quod habet apud homines, est maximum & primarium bonum, ex bonis temporalibus, juxta illud Proverb: cap: 22: *Melius est nomen bonum, quàm divitiæ multæ.* Et Eccl: 41. *Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille thesauri pretiosi, & magni. Bonæ vitæ numerus dierum: bonum autem nomen permanebit in ævum.* Cùm ergo hæc fama lædatur aliquomodò

per indicationem delicti, taliter istud delictum manifestare tenemur, ut omnes possibiles modos adhibeamus, conservandæ famæ proximi, modus autem optimus conservandæ famæ proximi, est indicare delictum priùs ipsi & soli Præposito, seu Superiori pro tempore existenti, quàm alicui alteri: sicut enim occulta vulnera corporis non cuicunq; alicui obvio amico, sed ipsi Prælato, tanquam medico aperienda, ita de vulneribus animæ censendum est. Unde Christus Dominus, cùm illos decem viros mundaret à lepra, injunxit illis, ut se ostenderent, non cuicunq;, sed Sacerdotibus: *Ite, ostendite vos Sacerdotibus.* Et cùm Saulum curare vellet, non ad aliquem ex populo, sed ad Ananiam virum sanctum, eundem curandum remisit. Præterea, tàntùm illi vulnera manifestanda sunt, qui eadem curare potest, & impedire, ne amplientur: cùm ergo prædicta vulnera animæ solus superior curare potest, & impedire, ne amplientur, & ne diutiùs fiant, ideo hæc imprimis soli superiori indicanda sunt. Tandem, quando aliquis premitur aliquô morbô corporis inhonestô, & erubescendo, tunc qui habet notitiam ejusdem morbi, non potest illum licitè manifestare cuiquam, nisi medico, quia alias ipsum diffamaret, quia autem occulta crimina præsertim graviora sunt erubescenda, & pudorem inferentia, proinde non possunt licitè manifestari, nisi primariò ipsi superiori. Qui ergo Regulam S. Augustini profiteris, ita te in defectibus aliorum deferendis geras, sicut Regula disponit.

Considera *2do.* Quòd in præsenti Regulæ puncto sapientissimè & aptissimè S. Legislator conjunxerit secum duas virtutes principales, nempe charitatem, & justitiam, à no-

à nobis exercendas: dum enim inquit: *Sed antequàm aliis demonſtretur, per quos convincendus eſt, ſi negaverit, priùs Præpoſito debet oſtendi:* hìc nobis charitatem exercendam innuit, quia eo fine priùs Præpoſito jubet oſtendi peccatum, ut delinquens ſecretè correctus, poſſit non innoteſcere cæteris, adeòq; eô ipsô mandat, ut quantùm puſſumus, tantùm còóperiamus defectum alterius, quod pertinet ad charitatem, juxta illud: *charitas còóperit multitudinem peccatorum.* Quando autem inquit: *Si autem negaverit, tunc neganti adhibendi ſunt teſtes alii, ut coram omnibus poſſit non ab uno teſte argui, ſed a duobus vel tribus convinci;* hîs ipsîs verbîs juſtitiam exercendam nobis injungit: quia contra negantem teſtes eſſe adhibendos mandat, per quos convincatur, & tandem puniatur, etiam non ſpectato nec habito famæ proximi, aut boni nominis reſpectu: porro adhibere teſtes, & convincere delinquentem, ſine ullo illius reſpectu, pertinet ad juſtitiam, quia juſtitia eſt virtus tribuens unicuiq; quod ſuum eſt, ſine ullo reſpectu perſonarum, aut famæ. Et ratio eſt, nam qui charitate còóperiente corrigi non vult, non meretur, & eſt abſolutè indignus eadem charitate, adeòq; juxta ipſum lumen naturæ curandus eſt juſtitiâ teſtes adhibente. Porrò quicunq; delatus ad ipſum ſuperiorem de occulto defectu hôc motivô, ut ejus defectus non innoteſcat omnibus, negat eundem defectum, licèt ipſius ſit conſcius, hic non vult corrigi charitate còóperiente, proinde quid aliud reſtat? niſi ut corrigatur juſtitiâ teſtes adhibente, & eum de defectibus convincente.

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, quando vides alterum neglectâ admonitione peccata ſua continu-

tinuantem, curam infirmitatis ejus & peccatorum incipias à charitate, cóóperiente peccata ejus, nimirùm manifestando peccata ejus primariò & principaliter soli superiori: quodsi hoc peccatum se commisisse negaverit, tunc descendendum est ad rigorem justitiæ, nempe adhibendi testes ad convincendam ejus pertinaciam, & falsam negationem explorandam.

EXPOSITIO ET MEDITATIO XLVIII.

Convictus verò secundùm Præpositi, aut Presbyteri (ad cujus dispensationem pertinet) arbitrium, debet emendatoriam subire vindictam.

CONsidera 1mo. Quòd sicut multi reperiuntur tales, qui de aliquo delati scelere, illud se commisisse audacter negant, ita plurimi contingunt, qui etiam convicti emendatoriam renuunt subire vindictam: unde superiores vocant oppressores, sibi malè affectos, invidiosos, & intestinô odiô laborantes, sed quisquis hujus obstinationis se conscium novit, videat, quòd emendatoria vindicta non ex odio superiorum, sed ex Regula sequitur, & assignatur, in qua dicitur: *Convictus verò &c: emendatoriam debet subire vindictam.* Sicut enim salutare meritum, coronatoria comitatur merces, ita contrarium legi divinæ demeritum, emendatoria comitari debet vindicta. Deinde, qui casu, vel deliberatè fit infirmus, aut vulneratus, nullô modô sanari potest, nisi proportionata adhibeat remedia:

dia: cùm ergo convictus de peccato, sit in anima infirmus, & vulneratus, nullô modô sanari poterit, si inservientia dictæ infirmitati non adhibeat medicamenta. Porrò emendatoria vindicta, est efficacissimùm contra omnia vulnera, & mentis debilitates amuletum, ut constat ex S. Ambrosio libr: 2do de pænitentia, ubi inquit: *Tanta est pænitentiæ medicina, ut mutare videatur suam DEUS sententiam: in te est igitur, ut evadas. Vult rogari DEUS, vult de se sperari, vult sibi supplicari. Homo es, & vis rogari, ut ignoscas, & putas Deum non roganti tibi ignoscere? Ipse Dominus Jerusalem flevit, ut, quia ipsa flere nolebat, Domini lachrymîs ad veniam pertingeret.* Si ergo vis sanari in anima, omnino necessarium est, ut emendatoriam vindictam subire debeas: quia in præsenti statu nullum peccatum remitti potest, sine omni actu retractativo peccatoris, ut docent Theologi.

Tandem, qui non vult emendatoriam subire vindictam, vel id facit ex motivo erubescentiæ? vel ex motivo, quòd pænitentia gravis sit? si ex motivo erubescentiæ? bene & optimè est: meliùs enim est, si erubescas, & erubescendo pænam subeas, taliq; modô DEO satisfacias, & misericotdiâ dignus fias, ut docet S. Augustinus lib: de pænitentia: *Laborat enim mens patiendo erubescentiam, & quoniam verecundia magna est pæna, qui erubescit pro Christo, fit dignus misericordiâ.*

Si autem ex motivo gravitatis pænæ renuis eandem? considerare debes, quòd nunquam ita gravis potest esse pæna, quàm grave est peccatum in ratione offensæ, ut demonstratum superiùs. Insuper, qui lædit jus alterius, & injuriam infert alteri, omnino tenetur illud reparare

& com-

& compenſare, porrò cùm peccâſti, læſiſti jus divinum, feciſti injuriam DEO, avertendo te ab illo, & convertendo te ad creaturam, reſiſtendo voluntati divinæ, & ſatisfaciendo humanæ, conſequenter teneris reparare jus DEI; reparare autem aliter non potes, niſi emendatoriam ſubeas vindictam, agaſq; pænitentiam.

Conſidera 2*dò*. Qualiter & quomodo ſubeunda ſit vindicta emendatoria, & omnis pæna aut pænitentia pro aliquo defectu aſſignata? ut ergo emendatoria vindicta, & quæcunq; alia pæna à ſuperiore impoſita, ſit cum profectu ſalutis noſtræ; ſubeunda eſt & facienda;

1*mò* Ex charitate, quia ſi pænam ſubeamus, vel aliquam moleſtiam pro peccatis noſtris, ſine charitate, ſimiles erimus hæreticis: *Nam & apud hæreticos, qui propter iniquitates & errores ſuos aliquid moleſtiarum perpeſſi fuerunt, nomine martyrii ſe jactant, ut hôc palliô dealbati, faciliùs furentur, quia lupi ſunt. Si autem vultis ſcire, in quo numero habendi ſunt? Paſtorem bonum Paulum Apoſtolum audite, quoniam non omnes, qui corpora ſua in paſſione etiam ignibus tradunt, æſtimandi ſunt ſanguinem fudiſſe, non pro ovibus, ſed potiùs contra oves: ſi diſtribuero, inquit, omnia mea pauperibus, & tradidero corpus meum, ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt. Ecce venitur ad paſſionem, ecce venitur, & ad ſanguinis effuſionem, & ad corporum incenſionem, & tamen nihil prodeſt, quia charitas deeſt. Adde charitatem, proſunt omnia, detrahe charitatem, nihil proſunt cætera.* S. Aug: de verbis Domini ſerm: 50. Ita pariter qui emendatoriam ſubit vindictam, cæterum non ex charitate, ſed ex neceſſitate, hoc illi parùm prodeſt: ut ergo proſit, & ſalutaris ſit, & differat à pænis hæreticorum, quas etiam illi

ſubire

subire solent propter errores suos confirmandos, subeunda est ex charitate.

2do. Subeunda est pæna ex obedientia prompta, & filiali, quia si fiat non libenter, vel cum murmure, erit similis obsequiis mancipiorum à tyrannis captivorum.

3tio. Debet esse ex intentione satisfaciendi obligationi Regulæ dicentis: *Convictus verò emendatoriam debet subire vindictam.*

4to. Ut fiat in humilitate, juxta doctrinam S. Joannis Chrysostomi: *In corde ejus contritio, in ore ejus confessio, in opere tota humilitas, hæc est fructifera pænitentia.*

5to. Debet fieri in sinceritate, & simplicitate, quia *nunquam DEUS spernit pænitentiam, si ei sincere & simpliciter offeratur, & si ad summum quis perveniat malorum, & inde tamen velit reverti ad virtutis viam, suscipit libenter & amplectitur. Non enim temporis longitudine, sed affectûs sinceritate pænitudo pensatur* S. Chrysostomus libr; de rep: lap:

6to. Debet fieri cum spe & fiducia veniæ à DEO consequendæ, quia *nemo potest hanc agere pænitentiam, nisi qui speraverit indulgentiam; sed negant his oportere communionem reddi, qui per prævaricationem lapsi sunt. DEUS autem nullum crimen excipit, qui peccata omnia donavit.* S. Ambr: de pænit.

7mo. Debet fieri cum rubore, pudore, & verecundia. *Erubescentia enim ipsa partem habet remissionis.* S. Aug: de pænit.

8vo. Debet fieri cum eleemosynis, si fieri potest, in jejuniis, & cum satisfactione: quia *non sufficit mores in melius commutare, & à præteritis malis recedere, nisi etiam de his, quæ facta sunt, satisfaciat Domino per pænitentiam, dolorem, per humilitatem, gemitum, per contriti cordis sacrificium, coöperantibûs eleemosynîs & jejuniîs.*

Hh *9no.*

9no. Debet fieri dum sumus in sanitate, ut persuadet S. Legislator, dicens: *Age pœnitentiam, dum sanus es: si sic agis, dico tibi: quòd securus es, quia pœnitentiam egisti eô tempore, quô peccare potuisti, si autem vis agere pœnitentiam quando jam peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa.*

10mo. Debet fieri in qualitate, & quantitate, hoc est: ut talis & tanta fiat, qualis & quanta assignata est, quia cùm pœnitentia sit quædam satisfactio pro peccato, tantùm de satisfactione, & consequenter de remissione peccati diminuimus, quantùm de qualitate & quantitate ejus detrahimus.

11mo. Ita fieri debet, ut pœnitens paratus sit omnia adversa subire, ut docet S. Ambrosius libr: de Joseph: C. 36. dicens: *Qui pœnitentiam agit, paratus esse debet ad opprobria, injuriasq; subeundas, nec commoveri, si quis ei peccati sui crimen objiciat.*

Qui ergo vis cum salute animæ tuæ emendatoriam subire vindictam, subeas illam in charitate, obedientia, humilitate, & intentione satisfaciendi Regulæ, sine voluntate peccandi, cum spe veniæ, cum jejunio, tunc cùm sanus es, in sinceritate & simplicitate, & resolutione adversa patiendi. O misericordissime DEUS! doce me modum, qualiter pro peccatis meis dolere, pœnitere, & lugere possim: pœnitentiam quippe agere dignè non possumus, nisi modum quoq; ejusdem pœnitentiæ discamus. Fac ergo clementissime Pater, ut cognoscam hunc modum, & defleam die ac nocte peccata mea!

Considera *3tio.* Quare S. Legislator jubeat convictum subire emendatoriam vindictam secundùm arbitrium Præpositi, cùm omnia tribunalia ordinariè puniant con-

victos,

victos non ſecundùm arbitrium ſuum, ſed ſecundùm obloquentiam juris, ac ſecundùm allegata, & probata, ſic tribunalia Eccleſiaſtica more ſolitò puniunt delinquentes, juxta Concilia, Canones, & ſtatuta Synodorum, tribunalia civilia ſolent recalcitrantes cohibere juxta leges, jura, & conſtitutiones regni, vel ducatûs, aut provinciæ; imo etiam ſacrarum Religionum ſuperiores, praxim còèrcendi ſubditos habent juxta tenorem conſtitutionum cujuslibet Ordinis, ut quotidianâ conſtat experientiâ. S. autem Legislator nihil innuit de hujuſmodi legibus, aut praxi, ſed nudè mandat, ut convictus juxta arbitrium ſuperioris, emendatoriam ſubeat vindictam: quod ideo fecit, ut demonſtraret & augeret authoritatem ſuperiorum, nempe illos eſſe tantæ authoritatis & jurisdictionis, ut licèt more ſolito debeant ſe gerere in còércendis delinquentibus ſecundùm leges & ſtatuta, tamen aliquando penſatis circumſtantiîs, poſſunt rem decernere ſecundùm arbitrium ſuum: aliquando enim occurrit talis, & tanta circumſtantia, ut ſuperiores ſpectatâ illâ, non poſſint ſe gerere juxta obloquentiam legum, ut contingit tunc, quando delinquens aut impotens eſt ferre illum rigorem pœnæ, quem præſcribit lex, aut quando talem pœnam minùs curat, quam præſcribat lex: in tali ergo caſu res decernenda eſt juxta arbitrium, & prudentiam ſuperioris. *2do.* Multi ſunt tales etiam religioſi inſtituti cultores, qui dum delinquunt, oſtendunt ſe eſſe paratos ſubire pœnam, ſed ſecundùm arbitrium ſuum, ſed juxta velle & placitum ſuum: unde proponunt ſuperioribus, has vel illas pœnas; has velle, has nolle ſe ſubire precantur. Sanctus itaq; Legislator, ut eliminaret hoc arbitrium delinquentium,

tium, mandavit, ut secundùm arbitrium superioris, coërceantur delinquentes, & optimè; qui enim delinquit, ordinariè delinquit secundùm arbitrium, secundùm velle, secundùm placitum suum; adeòq; conveniens est, ut etiam secundùm arbitrium superioris puniatur; juxta illud: *Per quæ quis peccat, per eadem & punitur.*

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, scias, quòd tanta sit authoritas tuorum superiorum, ut possint etiam secundùm suum arbitrium in certis circumstantiis, emendatoriam imponere vindictam: scias deinde, quòd dum peccas, & convinceris ad subeundam pænam, hanc non debeas subire secundùm arbitrium tuum, vel illam, quæ tibi ipsi placet, sed hanc, quæ videbitur & placebit arbitrio tui superioris.

EXPOSITIO ET MEDITATIO XLIX.

Quam si ferre recusaverit, etiamsi ipse non abscesserit, de vestra societate projiciatur. Non enim & hoc fit crudeliter, sed misericorditer, ne contagione pestifera plurimos perdat.

COnsidera 1mo. Quòd indecens est, contra obligationem Regulæ, contra statuta, leges, & constitutiones Ordinis delinquere, item grave est admonitionem de prædicto peccato negligere, contemnere, non acceptare, item grave delictum est, admissa peccata audacter negare; sed gravius, imo gravissimum crimen est, assignatam pro pec-

cato commisso emendatoriam vindictam recusare, eamq; nolle subire: quia illud peccatum gravissimum est, aut cæterîs gravius, pro quo perpetrato gravissima, aut cæterîs gravior pæna decernitur, ut communiter docent Theologi. Cùm itaq; pro recusatione subeundi emendatoriam vindictam, gravissima pæna, aut saltim cæterîs pænîs gravior, assignetur, scilicet ejectio de gremio & societate Religionis: *Quam si ferre recusaverit, de vestra societate projiciatur.* Proinde consequens est, quòd recusatio ferendi emendatoriam vindictam, sit gravissimum peccatum. Quòd autem ejectio sit pæna gravissima, constat ex eo: quia pæna exterminativa, & exclusiva, est pæna gravissima, & quia ejectio de societate Religionis est pæna exterminativa, & exclusiva, ideo est etiam pæna gravissima. *2do.* Illud peccatum religiosi est gravissimum, quod fit contra medium principale Religionis, seu quod evertit medium Religionis, per quod illa tendit ad finem suum ultimum, cùm autem recusatio pænitentiæ facit hoc utrumq;, proinde est peccatum gravissimum. Quòd autem prædicta recusatio pænitentiæ evertat medium principale, per quod omnis Religio & Ordo tendit ad finem ultimum, scilicet ad DEUM, & possessionem ejus, est praxis & quotidianum exercitium pænitentiæ: siquidem tota vita religiosi, continuata pænitentia est: quoniam autem recusatio pænitentiæ opponitur huic praxi, & exercitio, tollitq; hoc exercitium per efficacem nolitionem pænitendi, ideo recusatio pænitentiæ evertit medium principale, per quod Religio tendit ad finem suum ultimum.

Qui ergo peccare non erubescis, & emendatoriam vindi-

vindictam erubescis subire, eamq; pertinaciter recusas, vide quantum peccatum perpetras, nempe tantum, quod ejectione dignum est, & tantum, quod medium principale evertit, per quod Religio tendit ad finem suum ultimum. O! quàm multi essent de Religionibus ejiciendi, si præsens Regulæ punctum in suo esse conservaretur, & impleretur: continuò peccamus, continuò Regulam, statuta, constitutiones frangimus, & tantîs malîs perpetratîs, pænitere nolumus, subire pænas delictis proportionatas recusamus, & plerumq; ita resistimus, ut cogantur superiores etiam gravia, imo gravissima peccata nobis dissimulare, videntes nos efficaciter determinatos ad respuendum omnem regularem pænitentiam. Sed væ homini & religioso illi! qui peccare non erubescit, & vindictam emendatoriam subire recusat! & suâ constanti malitiâ cogit superiores, ut vel dissimulent, vel se non videre illius peccatum ostendant, meliùs, si religiosi nomen & statum non habuisset.

O! misericordissime Domine, numerari non possunt peccata & scelera mea! delicta quis intelligit? & tamen adeo stultus & insanus fui, ut emendatoriam pro peccatis vindictam ferre recusaverim, adeoq; de gremio Religionis, imo de gremio Ecclesiæ tuæ ejiciendus eram, sed modò cor contritum & humiliatum DEUS non despicias! paratum cor meum DEUS! paratum cor meum ad subeundam omnem pænam, etiam gravissimam, adauge DEUS pænas, adauge vindictas super peccata mea, sed simul adauge gratiam ad illas ferendas & sustinendas.

Considera *2do.* Postquàm S. Legislator dederit mandatum, ut convictus de aliquo crimine, & tamen recu-

sans

sans emendatoriam vindictam, ejiciatur: statim subjungit rationem dicens: *Non enim hoc fit crudeliter, sed misericorditer: ne contagione pestifera plurimos perdat.* Sunt enim plurimi, vel dissoluti, vel non penetrantes causam & seriem rei, qui, dum vident superiores juxta rigorem Regulæ procedentes, eosdem statim crudelitatis arguunt, & immisericordiæ, quod quàm sine fundamento afferant, videant, quòd illis aperte se opponat S. Legislator dicens: *quòd hoc non fiat crudeliter, sed misericorditer.* Non est itaq; crudelitas, quando convictus de crimine, & tamen recusans emendatoriam subire vindictam, de gremio Religionis ejicitur, sed potiùs est misericordia, tam respectu ipsius ejecti, quàm respectu illorum, de quorum societate excluditur: est misericordia respectu illius ejecti, quia ideo ejicitur, ut videat & cognoscat, quòd sit indignus in societate virorum piorum existere, & versari, hâc autem indignitate cognitâ, ut intra se contetatur, & corrigatur, & tandem ad Religionem redeat correctus: deinde ideo ejicitur, ne contagione pestiferâ, hoc est: scandalosâ suâ vitâ alios perdat, adeòq; ne committat majora & frequentiora peccata: porrò ejicere aliquem rebellem hôc utrôq; fine & motivô, est misericordia: quia ipsi providetur hoc, quod ei prodest, aut prodesse speratur, amovetur autem id, quod ei malè utenti nocet. Tandem est misericordia respectu illorum, è quorum societate ejicitur, quia ejicere aliquos homines de civitate peste infectos, est magnam præstare civitati misericordiam, si enim non ejicerentur, totam inficerent civitatem, & sensim tota civitas peste exhauriretur, & mortibûs. Porro vir religiosus convictus de crimine, & tamen re-

cusans emendatoriam subire vindictam, est homo peste spirituali infectus, inficiens totam Religionem suam scandalosâ vitâ: itaq; nonne magna est misericordia Religioni, quando talis contagione pestiferâ infectus ejicitur de civitate Religionis? nisi enim ejiceretur, plurimos peste suâ inficeret, & ad similem inobedientiam provocaret, superiorem faceret odiosum aliis, & persuaderet, quòd sit crudelis, & alia innumera mala in societate Religionis perpetraret. Tales enim, qui convincuntur de crimine, & tamen emendatoriam recusant subire vindictam, ordinariè, ut pallient suam contumaciam, & còóperiant suam inobedientiam, primariò contra superiores insurgunt, malè de ipsis loquendo, explicant coram omnibus suam innocentiam, exagerant, quàm sit indiscretus & crudelis superior, quòd se ad hanc pœnam sustinendam obligaret, omnibus deinde persuadere contendunt, ut superiorem agnoscant crudum, indiscretum, & nescientem tractare subjecta ingenua: postquàm hoc persuaserint, & jam pro suo sensu habuerint aliquos de gremio, jam faciliùs & apertè contra authoritatem superioris pugnant, conventicula clandestina convocant, seditionem moliuntur, hôc tantùm fine, ut se innocentes demonstrent, & superiorem condemnent.

Tantam ergo ejicere pestem, quis diceret crudelitatem? non crudelitas, sed potiùs misericordia est: quis Christum Dominum audebit dicere crudelem: quòd ementes & vendentes de templo ejecerit? quis Christum Dominum audebit dicere tyrannum, quòd arborem quæ fructum non faceret, exscindendam esse censuerit? quis Patremfamilias barbarum, aut indiscretum judicare præsumet,

sumet, quòd hominem veste nuptiali carentem, de gremio mensæ excludendum esse mandaverit, & mittendum in tenebras exteriores? Porrò convicti de crimine, & recusantes emendatoriam subire vindictam, sunt tanquam ementes & vendentes in templo Religionis; vendunt enim honestatem pro lucris temporalibus & voluptatibus, & emunt inhonestatem pro sua contumacia: sunt item arbores non facientes fructum, quia fructus specialis arborum religiosarum est pænitentia, quam illi facere recusant: sunt deniq; carentes veste nuptiali, quia hanc per inobedientiam amittunt. Quis ergo superiorem audebit dicere crudelem, si hos ementes & vendentes honestatem religiosam de templo Religionis ejecerit? quis eum præsumet vocare tyrannum, qui has arbores siccas, fructum non facientes, exscindendas esse mandaverit? quis eum indiscretum vel barbarum saltim nominare præsumet, si prædictos homines veste nuptiali carentes mitteret in tenebras exteriores, & penitùs de gremio Religionis eliminaret? sic existimo, quòd nemo imprudentem superiorem judicabit, vel condemnabit.

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, videas, quòd superior juxta rigorem Regulæ, constitutionum, & statutorum Ordinis procedat, circa convictos & recusantes emendatoriam subire vindictam, nunquam ex eo superiorem judica crudelem, indiscretum, vel barbarum: qui enim facit id, quod Regula, constitutiones, & statuta Ordinis jubent, non crudelis, sed misericors, non indiscretus, sed exactus, non barbarus, sed justus est.

EXPOSITIO ET MEDITATIO L.

Quicunq; autem in tantum progressus fuerit malum, ut occultè ab aliquo literas, vel quodlibet munus accipiat, si hoc ultro confitetur, parcatur illi, & oretur pro illo. Si autem deprehenditur, atq; convincitur, secundùm arbitrium Præpositi, vel Presbyteri, graviùs emendetur.

COnsidera *1mo.* Quòd dum volumus aliquid magnum exprimere (sive illud bonum, sive malum sit) plerumq; & ordinariè utimur particulâ istâ seu vocabulô: *tantus*: unde & ipse Christus Dominus, cùm vellet exprimere magnam fidem illius centurionis ad se Christum invitantis, usus est prædictô vocabulô dicens: Math: cap: 8. *Amen, dico vobis, non inveni tantam fidem in Israël.* Et Pòëta volens exprimere, quantus fuit labor in condenda Romana gente, inquit: *Tantæ molis erat Romanam condere gentem.* Pariter S. Legislator volens exprimere, & genuinè exaggerare, quantum, & quàm magnum sit scelus, occultè literas ab aliquo vel munus accipere, utitur eôdem vocabulô, dicens: *Qui autem in tantum progressus fuerit malum, ut occultè literas, vel quodlibet munus accipiat, &c:* nec sine fundamento usus est S. Legislator prædictâ particulâ, exprimente magnitudinem nominati sceleris: illa enim literarum & munusculorum acceptio, vel transmissio,

ſio, præſertim ad perſonas alterius ſexûs, multorum malorum eſt fomes & origo, & ſic *1mo.* Simplicem comparat notitiam. *2do.* Correſpondenti familiaritatem conciliat. *3tio.* Ex mutua correſpondendi frequentia, confidentiam inter tales perſonas auget. *4to.* Affectum internum ergà tales perſonas nutrit, & ſenſim eundem ampliat. *5to.* Poſtquàm hunc affectum ampliaverit, & bene radicaverit in cordibus virorum religioſorum, ita eos occupat, captivat, & ſubjicit, ut non poſſint pacificè in ſua cella, vel Monaſterio contineri, ſed continuò vellent, vel ab illis perſonis, cum quibus correſpondere ſolent, aliquid novi audire, vel ad ipſas de Monaſterio excurrere, ut cum illis diſcurrere, converſari, vel ſub prætextu religioſæ recreationis, diſtrahi poſſint. Unde tales petunt licentiam exeundi pro diſputatione, & interim eunt pro converſatione: fingunt ſe ire pro concione, & interim pro dictarum perſonarum deflectunt viſitatione: oſtendunt veſtigium, quaſi pro recreatione ire velint, & tandem ibi reperiri ſolent, ubi corde hæſerunt, per literarum correſpondentiam, & mutuam munuſculorum tranſmiſſionem. Præterea, eadem munuſculorum & literarum acceptio hoc efficit in viris religioſis, quòd quidquid habent, vel etiam à ſuis benefactoribus, amicis, vel familiaribus acquirunt, illuc ordinant, ubi correſpondere, vel converſari amant, quodſi à benefactoribus, vel amicis, vel familiaribus ſuis nihil acquirant, etiam de bonis Monaſterii multa ſe poſſe donare diſpenſant, prætextu boni communis, honoris publici, famæ &c: aſſerentes indignum eſſe nomine religioſô, non correſpondere punctualiter affectui, vel etiam intra ſe ipſos ſpe aluntur, quòd etiam hæc, quæ dantur

ex bonis Monasterii, poterunt prodesse bono communi, in hoc vel illo casu, & sic persuasi suîs formalitatibûs, & resolutionibûs sibi faventibûs, non habent pro scrupulo de bonis Conventûs clandestina munuscula transmittere. Quando verò aliquid mandat superior agendum, vel exequendum, respondent se ad id non habere sufficientiam, dum autem tempus sibi aptum & horam advertunt, habent, quod pro munusculo ad personas èxtraneas mittant, per quod ita exhauriuntur, ut plerumq; maneant indigentissimi. Cæterùm, si de prædicta correspondentia à superioribus notentur, convincantur, & arguantur, molestissimè eosdem ferunt, contra superiores aversionem concipiunt, & eligunt potiùs mutare locum, & ab obedientia arguentium superiorum aliò transire, quàm in eodem loco residendo, prædictâ correspondentiâ carere.

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, non mireris, quòd tam exaggerativè invehatur S. Legislator in eos, qui literas & munera occulta accipiunt, sed potiùs pensatîs bene inconvenientibûs, quæ oriuntur ex clandestina literarum & munerum acceptione, caveas furtivas literas, unde Exod: C. 23. dicitur: *Ne acceptes munera, quæ etiam excæcant prudentes, & subvertunt verba justorum.* S. Hieronymus inquit: *Non alliciaris, nec delecteris dulcibûs literarum verbîs, quia dulces literas & crebra munuscula sanctus amor non habet.* Si ergo dulcibûs extranearum personarum literîs delectaris, signum est, quòd sancto amore cares: proinde, ut sanctô plenus fias amore, esto vacuus à dulcium literarum, & suavium munusculorum acceptatione.

Ut autem credas, quantum sit malum transmissio, vel acce-

acceptatio munerum, adduco hic textum Bullæ Clementis VIII, prohibentis strictissimè largitionem munerum, de tenore sequenti: *Quare, ne ex muneribus, quæ à pluribus religiosæ vitæ professoribus, ex Christi patrimonio quibusvis hominibus, quavis ex causa sæpè tribuuntur, gravia incommoda, & mala, etiam boni specie existant, præcavere studentes, hac nostra perpetuò valitura Constitutione, universis & singulis cujuscunq; Ordinis, mendicantium, vel non mendicantium, bona immobilia, & reditus certos, ex indulto Apostolico possidentium, vel non possidentium, seu cujusvis Congregationis, Societatis, & instituti, (non tamen Militiæ) regularibus personis utriuslibet sexûs, omnem & quamcunq; largitionem & missionem munerum penitùs interdicimus. Sub qua prohibitione, comprehendi volumus omnia & singula Capitula, Conventus, & Congregationes, tam singulorum Conventuum, Monasteriorum, Prioratuum, Præposituraram, Præceptoriarum, domorum, & locorum, quàm Provincialia, aut Generalia cujuslibet Provinciæ, sive universi Ordinis, societatis, aut instituti: eorumq; vel earum Camerarios, Commissarios, & quoscunq; Officiales, & singulares personas: ipsos etiam Ordinum, Congregationum, & Societatum hujusmodi Superiores, quascunq; dignitates obtinentes, etiam Generales, & Provinciales, Magistros, Ministros, & quocunq; nomine Præfectos, nec non Conventuum, Monasteriorum, Prioratuum, Præpositurarum, Præceptoriarum, domorum & locorum quorumcunq; Abbates, Priores, Præpositos, Præceptores, etiam majores Guardianos, Ministros, Rectores, atq; Abbatissas, Priorissas, & aliô quôvis titulô Præsidentes, tam ipsis Regularibus, quàm locorum Ordinariis, seu quibusvis Superioribus subjectas, utriuslibet sexûs, ad vitam vel tempus deputatos: adeo, ut nemo unquam eorum, vel earum, directè, vel indirectè, palam, vel occultè, tam*

commu-

communi, quàm particulari, & proprio nomine, etiam ſub quovis ſtatuti, vel conſuetudinis, ſeu veriùs corruptelæ, aut alio prætextu, vel quâcunq; causâ, niſi in generali Capitulo, aut alia generali Congregat: re maturè diſcuſsa, unanimi conſenſu omnium Superiorumq; permiſſu, cauſa approbata fuerit, quidquam tale attentare valeat. &c: plura in contextu Bullæ reperies.

Quantùm autem ad literas occultè acceptas, vel transmiſſas, habetur Conſtitutio Ordinis noſtri ab Urbano VIII, Pontifice Maximo approbata, quæ eſt tenoris ſequentis: *Quorum quidem omnium malorum, cùm inter alia privata ac clandeſtina unius fratris ad alterum literarum tranſmiſſio, non exiguum (experientia teſte) ſit ſeminarium, ſeriò prohibemus, ne in poſterum fratres noſtri, tam extra, quàm intra Conventum degentes, literas ſine ſcitu ſuperiorum ſuorum, penes quos pro tempore manent, & nonniſi communi ſigillô obſignatas, ad quascunq; perſonas, (præterquam ad Reverendiſſimum Generalem & Cuſtodem Ordinis, ac ad ſuum Provincialem) mittere, ab aliisq; viciſſim eaſdem accipere præſumant. Cujus ſtatuti tranſgreſſio carceris pœnâ in poſterum coërceri debebit.*

Conſidera *2do.* Quòd licèt occulta literarum, aut munerum acceptio ſit tam graviter prohibita, tamen S. Legislator tranſgreſſionem iſtius prohibitionis parcere jubet, ſi quis agnoſcat culpam ſuam, dum inquit: *Si hoc ultro confitetur, parcatur illi:* ut diſcamus, quòd dum contingit nobis aliquando contra Regulam delinquere, illud delictum ultrò, liberè, & spontè coram ſuperiore confiteri debeamus: confeſſio enim culpæ facta liberè ſuperiori, etiam extra ſacramentum pænitentiæ, magnæ perfectionis indicium eſt. *1mo.* Ex eo, quia in confitente & agnoſcente infirmitatem ſuam, demonſtrat magnam humilitatem. *2do.*

Quia

Quia in eodem confitente arguit zelosam pænitentiam, & ardentem emendationem. *3tio.* Ex eo, quia superiorem non irritat, sed potiùs humili confessione placat, & ad remittendum facillimè inclinat, imo, non tantùm superiorem creatum, sed etiam ipsum DEUM: ut habetur Joannis C. 1. *Si confiteamur peccata nostra, DEUS fidelis est, & justus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.* Insuper, qui ultrò confitetur peccatum suum, exinde dat gloriam DEO, dicitur enim Josue C. 7. *Fili mi da gloriam DEO Isráël, & confitere, atq; indica mihi quid feceris? ne abscondas.* Et quando indigebit, misericordiam DEI consequetur, sic Proverb: 28. dicitur: *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur, qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur:* qui textus licèt communiter intelligantur à Sanctis Patribus & Theologis de confessione sacramentali, nihil obest, ut etiam intelligantur de confessione extra sacramentali, qualem faciunt boni & regulariter viventes religiosi, quando peccata sua ultrò deferunt superiori, & seipsos etiam in Capitulis accusant, petuntq; veniam. Non sola ergo confessio sacramentalis meretur veniam, sed etiam extrasacramentalis, quia non pro sola sacramentali, sed etiam extra sacramentali confessione, concessæ sunt gratiæ à S. Sede Apostolica. Sic Paulus V. Pontifex Maximus, in Bulla sua, quæ incipit: *Romanus Pontifex:* omnibus illis, qui peccata sua confiterentur in Capitulis culparum, concedit indulgentias, dum inquit: *Qui verè contrito corde & pænitentes, eorum culpas & peccata, ac imperfectiones in Capitulis culparum accusabunt, & spiritualiter communicabunt, & exercitium virtutum facient, tres annos, & totidem quadra-*

genas

genas indulgentiam consequuntur. De tali puto confessione inquit Seneca, libr: de moribus: *Ubi est confessio, ibi remissio.* Et alibi: *Initium est salutis, notitia peccati, nam qui peccare se nescit, corrigi non vult, ideo quantùm potes, te ipsum coàrguè. Inquire in te, accusatoris primùm partibus fungere, deinde judicis, novissimè deprecatoris.* Epist: 28. ad Lucilium.

Qui ergo ultrò peccas, ultrò culpam tuam confitere. Ultrò peccavit David, ultrò confessus est, & remissionem obtinuit: *Confitebor adversum me injustitiam meam, & tu remisisti impietatem peccati mei.* Ultrò peccavit Latro suspensus, ultrò confessus est: *Nos quidem digna factis recipimus*, & audire meruit: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Si hîs non convinceris, intuere S. Legislatorem tuum, hic libros confessionum scripsit, in quibus coram DEO, & toto orbe culpas suas confessus est: hunc imitare, hunc sequere, & quantùm es, vel fuisti proclivis ad peccandum, tantùm esto promptus ad confitendum.

Considera 3tio. Quòd hi, qui ultrò confitentur peccata sua, duplices contingere soleant: alii tales, qui ultrò confitentur peccata sua ex motivo pænitentiæ & humilitatis, agnoscuntq; sincerè peccatum suum, & dolent de illo. Alii sunt, qui ultrò quidem confitentur peccata sua, sed hoc faciunt ex malitia, stulta jactantia, & præsumptione, vel ideo, ut magìs affligant & mortificent superiores: unde plerumq; dicunt: feci id, quod mihi objicitur, sed quid inde? hoc factum vel non est peccatum, vel minus peccatum, aut nullum, feci hoc, & ampliùs faciam: quia in hoc nullum scrupulum habeo, & nullum exinde scandalum. Alii tandem ultrò confitentur peccatum suum, sed dicunt id esse impossibile, quòd à superiore

riore præceptum eſt: unde non tantùm ipſi peccant, ſed etiam alios ad peccandum inducunt, divulgando, quòd impoſſibilia præcipiantur. Hos omnes de peccato gloriantes arguit S. Propheta, Pſal: 51. *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate?* hoc eſt: qui abundas tot peccatis, & excedis omnes in iniquitate tua. Talis gloria, eſt ipſiſſima tui nominis infamia: talis abundantia, eſt ſumma gratiæ divinæ indigentia: talis exceſſus, eſt ſupremus defectus omnium bonorum ſupernaturalium. Idem S. Propheta Pſal; 93. contra eoſdem vehementiùs inſurgit, dicens: *Uſquequò peccatores Domine, uſquequò peccatores gloriabuntur?* hoc eſt: quàmdiu peccatores gloriabuntur? & quàmdiu peccatores perſeverabunt in ſua gloria de peccatis ſuis, & malitia eorum?

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, vide, de quorum numero ſis? an illorum, qui ultrò confitentur peccata ſua ex motivo pænitentiæ? an illorum, qui confitentur peccata ſua, gloriando de illis? ſi te talem agnoveris, loquor ad te cum Propheta, Pſal: 36. *Noli æmulari in malignantibus: neq; zelaveris facientes iniquitatem. Quoniam tanquam fænum velociter areſcent, & quemadmodùm olera herbarum, citò decident.* Porrò æmulari in malignantibus, eſt imitari peccata malignantium: malignantes autem poſſunt vocari illi, qui tanquam febri malignâ correpti, gloriantur in peccatis ſuis, eaq; ultrò confitentur, non ad pænitentiam, ſed ad gloriam ſuam, DEO deteſtabilem: quid enim poteſt eſſe deteſtabiliùs, quàm dum peccatores gloriantur in rebus peſſimis.

EXPOSITIO ET MEDITATIO LI.

Vestes vestras in unum habeatis sub uno custode, vel duobus, vel quot sufficere potuerint ad eas excutiendas, ne à tinea lædantur. Et sicut pascimini ex uno cellario, sic induamini ex uno vestiario.

COnsidera *1mo.* Quod fuit motivum S. Augustini, ut vestes religiosæ in unum componerentur, & sub uno, vel duobus custodibus servarentur. Respondeo, quòd hoc fecerit *1mo* ideo, ut in vestibus adhiberetur unitas, conformitas, & proportio, *2do*, ut vita communis etiam in vestibus adhibendis exerceretur, *3tio*, ut propria voluntas in applicandis, vel comparandis pro libitu vestibus amoveretur, *4to*, propter convenientiam vitæ externæ cum interna: sicut enim vestes spirituales, nempe virtutes, & quævis bona opera, debent viri religiosi componere in unum, ita vestes externas corpori servientes, congruum est, ut deponant in unum, ubi hæc praxis servatur: quia hâc praxî servatâ, correspondet habitus externus corporis, habitui interno cordis & animæ: & sicut pulchrùm est, quando viri religiosi habent unitatem virtutum, ita pariter pulchrùm est, quando gestant unitatẽ vestium. Quia verò præsenti ætate, in multis Religionibus non comparantur cuilibet divisim vestes ordinariæ, propter diminutionem fundationum ex variis casibus, ideo etiam in iisdem vestes non deponuntur in unum, sub uno vel duobus

bus custodibus. Si autem velit superior etiam modò vestes prædictas suâ cujuslibet industriâ comparatas, componere in unum, & locare sub uno custode, tunc quilibet religiosus debet esse ad hoc paratus, ut satisfaciat voluntati superioris, ne incurrat notam proprietatis. Quod autem dicitur de vestibus, idem intelligendum de aliis omnibus etiam minutissimis rebus ad usum concessis: quia quidquid religiosus acquirit, non sibi, sed Religioni acquirit. Hìc ergo vide, quali affectu feraris in res tuâ industriâ acquisitas? utrum scilicet omni tempore sis paratus eas tradere in manus superioris: quodsi non fueris ita promptus, sine dubio proprietatis notam incurres.

Considera *2do.* In hoc textu Regulæ mandat S. Augustinus, ut vestes custodiantur, & excutiantur, ne à tinea lædantur: modò verò custodiendæ sunt, ne à vanitate, sæcularismo, & nova artificii forma corrumpantur. Sic enim multi affecti sunt vestibus comparandis, adhibendis, & usitandis, ut illas corrumpant magìs, quàm tinea. Tinea enim corrumpit pannum, aut materiam: vanitas autem in vestibus comparandis corrumpit ordinarium & religiosum habitum, & aliquando etiam conscientiam lædit, & scandalum parit. Adhibere enim vestes insolitas, difformes præscripto habitui religioso, & notabiliter breves, ac nisi post genua extensas, non caret aliquo defectu, imperfectione, aut scandalô. Dum enim tales vestes conspiciuntur ab inferioribus, statim inferiores vel talibus vestibus afficiuntur, in illisq; sibi complacent, vel illas sibi comparant, vel ex illis scandalizantur, scientes, quòd talis vestitus sit difformis Regulæ, & ordinario vestitui aliorum virorum religiosorum. Quamvis ergo multis

videatur esse leve, uti habitu notabili, & sæcularibus usitato, tamen inducit difformitatem in Religione, & aliquando scandalum parit. Sophoniæ cap: 1. v. 8. dicit DEUS per Prophetam: *Et erit in die hostiæ Domini; visitabo super principes, & super filios regis, & super omnes qui induti sunt veste peregrina.* Vestis notabilis, exquisita, & novâ artificii formâ comparata, est vestis peregrina in Religione, quia non est Religioni domestica, sed adventitia, non est à Religione præscripta, sed prohibita per Regulam: *Non sit notabilis habitus vester.* Proinde quis scit? si DEUS non visitabit super omnes illos, qui induti sunt veste peregrina, inusitata aliis viris religiosis, & proprio prurìtu, ex motivo vanitatis, distortè comparata. Timete ergo novarum vestium in Religione inventores, ne vos visitet DEUS pro eo, quòd induamini peregrinîs, insolitîs, exquisitîs, superbîs, & vanitati accommodatîs vestibûs. Qui militiam in castris profitetur, non potest uti alia veste, quàm illâ, quâ utitur tota legio vel exercitus, & criminosum esset, si aliquis miles aliam vestem indueret, diversam à vestibus aliorum militum, imo talis miles statim à tota legione, aut vexillo ejiceretur. Pari modo, qui profitetur militiam religiosam, non potest, nec debet aliîs vestibûs uti, quàm hîs, quas tota Religio in professione concedit, administrat, vel providet, omissîs omnibûs novitatibûs in forma, artificio, vel nimio pretio ad pompam, vel inanem gloriam, fastum, & vanitatem accommodato. Religio enim non habet obligationem pro comparandis pretiosis vestibus, sed tantùm pro humilibus, ordinariis, modicis, modestis, (& quantùm fieri potest) vilioribus. Rex non induit vestem plebeiam, plebeius

non induit vestem regiam. Supremus dux exercituum non induit vestem gregarii, gregarius miles non induit vestem supremi exercituum ducis. Eques militaris ordinis non accipit vestem vulgarem, sed suo ordini conformem, suô distinctoriô, vel tesserâ *v.g.* Cruce signatam: & sic de aliis practicatum videmus. A fortiori, vir religiosus non debet induere vestem sæcularium novitati accommodatam. Hîs consideratîs, commemoro tibi illud Ecclesiastici cap: 11. v. 4. *In vestitu ne glorieris unquam; nec in die honoris tui extollaris: quoniam mirabilia opera altissimi solius, & gloriosa, & absconsa, & invisa opera illius.*

Considera *3tio.* Quare S. Augustinus agendo de vestibus in unum deponendis, usus est illâ similitudine: *Et sicut pascimini ex uno cellario, sic induamini ex uno vestiario?* Respondeo: ideo S. Augustinus usus est prædicta similitudine, quia pascendi ex uno cellario est tanta necessitas, ut planè aliter fieri non possit, nec debeat. Nam si viri religiosi non pascerentur ex uno cellario, seu promptuario, tunc tot essent in monasteriis mensæ, quot essent religiosi, & tot refectoria, quot alimenta: hoc autem magnum esset incommodum, & inconveniens. S. ergo Augustinus ex necessitate unius cellarii, promptuarii, seu refectorii, conatur persuadere necessitatem, & observantiam unius vestiarii: ut scilicet: sicut pascuntur religiosi ex uno cellario, sic induantur ex uno vestiario: quodsi non induentur ex uno vestiario, tunc erunt tot vestes difformes in monasterio, quot erunt ibidem viri religiosi. Cæterùm ætate præsenti licèt servetur ubiq; necessitas pascendi ex uno cellario & promptuario, tamen non servatur ubiq; necessitas induendi ex uno vestiario: unde etiam

etiam verificatur de talibus religiosis: *alius sic, alius sic ibat:* nempe, unus in veste nobiliori, alter in ignobiliori: unus in pretiosiori, alter sine pretio: unus cum pellibus, alter sine pellibus, unus splendidè, alter lugubriter, modestè, & compositè. O utinam modò redeant tempora S. Augustini! in quibus ejus discipuli, & alebantur ex uno cellario, seu promptuario, & induebantur ex uno vestiario! & tunc temporis floreret uniformitas tam in mensa, quàm in vestibus, & excluderetur omnis difformitas, ambitio, pompa, vanitas, & splendor in vestitu.

EXPOSITIO
ET
MEDITATIO LII.

Si fieri potest, ad vos non pertineat, quod vobis indumentum pro temporum congruentia non proferatur, utrum hoc recipiat unusquisq; vestrum, quod deposuerat? an aliud, quod alter habuerat, dum tamen unicuiq; prout cuiq; opus est, non negetur. Si autem hinc inter vos contentiones, & murmura oriuntur, cùm conqueritur aliquis se deterius accepisse, quàm priùs habuerat, & indignum se esse, quòd non ita vestiatur, sicut alius frater ejus vestitur: Hinc vos probate, quantùm desit vobis in illo interiori sancto habitu cordis, qui pro habitu corporis litigatis. Tamen, si sic vestra tolera-

leratur infirmitas, ut hoc recipiatis, quod depoſueratis: in uno tamen loco, ſub communibus cuſtodibus habete, quod ponitis.

COnſidera *1mo.* Quòd S. Legislator non obligat quidem, cæterùm tamen efficaciter vult perſuadere nobis, ut non curemus, quod & quale veſtimentum, juxta temporis circumſtantiam induamus, dum inquit: *Si fieri poteſt, ad vos non pertineat, quod vobis indumentum pro temporum congruentia non proferatur.* Hoc eſt: ſi poſſibile eſt, ita vos gerite, acſi ad vos abſolutè non pertineat, qualibûs veſtimentîs coöperiri debeatis. Ratio eſt, quia conductus ad pugnandum miles abſolutè non curat, qualia ipſi arma conferentur, & ita ſe omnino gerit, acſi ad illum nihil pertineat, quæ & qualis armatura ipſi tribuatur, ſed totam hanc ſolicitudinem in ducem ſuum reponit, unde qualiſcunq; ipſi armatura tribuatur, tali contentus eſt, in tali incedit, in tali ad aciem progreditur. Vir religioſus, miles eſt ſuæ Religionis, adeòq; non debet eſſe nimis ſolicitus, quale veſtimentum pro temporum congruentia induere debeat, ſed totam anxietatem ſuam debet reponere in DEUM, ſuæ militiæ Ducem, & talî debet eſſe contentus veſtimentô, quale habet, in tali debet pugnare contra hoſtes ſuos, quale ipſi contingit acquirere vel obtinere ex providentia DEI. *2da* ratio eſt, quia habere ſolicitudinem de eo, quale indumentum pro temporum congruentia induere debeamus, eſt proprium & uſitatum hominibus ſæcularibus, hi enim tempora non aliter diſtinguere ſolent, niſi veſtimentorum exquiſito apparatu. Unde quando *v.g.* imminent feſta Natalia Chriſti Domi-

Domini, non cogitant illi de hoc, quomodo sint gratiæ DEO agendæ pro beneficio incarnationis Verbi Divini, non cogitant,quomodo rectè communicare, vel vitam suam efficaciter emendare possint, sed potiùs totam solicitudinem suam, & mentem ad hoc convertunt, ut pro illo festo vestes pretiosas, splendidas, & novô geniô comparatas habeant, quæ si illis in tempore non comparantur, etiam in festo Natalis Domini easdem perfici jubent, & sic potiùs malunt festũ violare,quàm vestimenta, quæ intenderunt, non habere. Ut ergo vir religiosus differat ab hominibus sæcularibus, non debet adeo solicitus esse, quod, & quale indumentum habebit pro temporum congruentia, *v.g.* pro aliquo principali festo Ordinis sui, sed in hoc puncto ita se geret, acsi hoc ad illum non pertineat, vel si omnino pertinere debet, caveat affectatam anxietatem, qualis est illa, vi cujus potiùs eligitur festi violatio, quàm vestium non finita comparatio.

3tia ratio est, quia quando se præparat Sacerdos ad Sacrificium celebrandum, nunquam est anxius, qualis ipsi dabitur apparatus, non est solicitus quanti pretii calix, quanti valoris & coloris exhibebuntur requisita ad conficiendum Sacrificium, sed plenissimè ita se gerit, ut absolutè ostendat, quòd hoc ad ipsum non pertineat: totam hanc solicitudinem & cautionem reponendo vel in ritum & consuetudinem Ecclesiæ, vel in eum cui hoc incumbit officium. Tota vita religiosi, imo ipse religiosus, est vivum sacrificium, DEO semel pro semper per vota oblatum: quare sicut Sacerdos, ita & ille gerat se in offerendo, celebrando, & continuando sui ipsius, & vitæ suæ sacrificio, ut non curet, qualem pro tempore ve-

stem

stem & ornamentum habebit, & si fieri potest, ita faciat, ut hæc anxietas ad illum non pertineat.

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, quantùm fieri potest, ita te geras, ut ad te non pertineat, quod vestimentum vel ornamentum pro temporum congruentia habeas: non cures unquam hoc, ut festa solenniora anni, vel principaliora Ordinis, renoves, aut distinguas novarum vestium mutatione, varietate, pretiô, aut colore, sed potiùs eadem festa renoves piîs exercitiîs, & sanctîs propositîs, juxta doctrinam Thomæ à Kempis dicentis: lib: 1. de imit: Christi, cap: 9. *Circa principalia festa renovanda sunt bona exercitia, & sanctorum suffragia frequentiùs imploranda. De festo in festum proponere debemus, quasi tunc de hoc sæculo migraturi simus, & ad æternum festum perventuri. Ideoq; solicitè nos præparare debemus devotîs temporibûs, & devotiùs conversari, atq; omnem observantiam strictiùs custodire, tanquam in brevi præmium laboris nostri à DEO percepturi.* Renovent ergo amatores sæculi principalia annorum festa vestibûs exquisitîs, vos renovate ferendis propositis, renovent pro temporum congruentia pretiosa ornamenta, vos religiosa exercitia, splendeant illi de festo in festum vanîs mundi coloribûs, vos continua profectûs religiosi splendeatis luce: induant alii de festo in festum muricem aut purpuram: *Induite vos armaturam DEI, ut possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare. State ergo succincti lumbos vestros in veritate, & induti loricam justitiæ, in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere, & galeam salutis assumite: & gladium spiritûs, quod est verbum Dei.* S. Paulus ad Ephes: 6.

Considera *2do*. Quòd depositum duplex cogitari pos-

sit, aliud tale, quod locatur à persona habente dominium, aliud tale, quod locatur à persona non habente dominium. *1mum* est talis naturæ, ut omnino debeat ipsum recipi, quod deponitur, quæ receptio si impediatur, læditur jus proprietatis alterius, seu potestas disponendi de re, inimpedibilis ab aliis licitè, vel validè, ordinata in proprium commodum, adeòq; infertur gravis injuria proximo. *2dum* autem depositum, non est talis naturæ, ut omnino debeat hoc ipsum recipi, vel restitui, quod deponitur, & talis naturæ est omne depositum religiosum, in commune oblatum: quia omnis religiosus deponens aliquid in commune, defactò est, & supponitur esse persona carens dominiô, adeòq; si non id accipit, quod deposuit, vel si ipsi non id restituatur, quod in commune redegit, non læditur ullum jus ipsius, quia illius est incapax, adeòq; ulteriùs nulla ipsi fit injuria. E contra autem, si religiosus deponens aliquid in commune redigat, non læditur ullum jus ipsius, quia illius est incapax, & prætendat omnino recipere id, quod deposuit, vel defactò violentè recipiat, infert injuriam Religioni, & toti communitati. Siquidem omnis ille facit injuriam alteri, qui rem alieno juri debitam sibi appropriat, licèt ipse in particulari sumptus, nullum habeat jus in illam: cùm autem quælibet res religiosi in commune redacta, sit alieno juri, scilicet juri communitatis debita, & religiosus nullum jus proprietatis habeat in illam, ideò cùm illam prætendit, infallibiliter infert injuriam communitati.

Ne ergo hujusmodi eveniant inconvenientia, expresśè S. Legislator subjungit: *Si fieri potest, ad vos non pertineat, utrum hoc recipiat unusquisq; vestrum, quod deposuerat &c:* Non perti-

pertinet ergo ad ullum religioſum, ut hoc omnino recipiat, quod depoſuerat, ſed potiùs pertinet hoc, ut eô ſit contentus, quod ipſi offertur, & contingit, illa enim voluntas ſeu affectus recipiendi id omnino, quod deponitur, arguit quandam proprietatem, & amorem ad rem depoſitam, proprietas autem & amor rerum temporalium, tam timenda debet eſſe apud virum religioſum, ſicut eſt timendus infernus, & æternitas ejus.

Quicunq; ergo Regulam S. Legiſlatoris profiteris, vidè, quàm injuſtè & illegitimè facias, quando id omnino recipere prætendis, quod depoſuiſti: vide, quantùm lædis propriam conſcientiam, lædendo jus proprietatis, quod in res tuas tota habet communitas, & Religio: quare, ne lædas conſcientiam, conſerva in integro jus proprietatis, quod habet in conceſſas tibi res S. Religio: hoc ſi perfectè exequeris, pacem intus & foris habebis.

Conſidera *3tio.* Unde congnoſcere & devenire poſſimus, quid, & quantùm nobis deſit in interiore habitu cordis, ſeu in anima, conſcientia, & vita noſtra? Reſpondeo, multa ſunt talia:

1mum. Eſt examen diligens conſcientiæ noſtræ, hoc enim, cùm ſit quædam fidelis inquiſitio noſtrorum operum, manifeſtè ducit in cognitionem defectuum noſtrorum. Hinc poſtquàm S Bernardus commendaverit frequentiam examinis, hîs verbîs lib: medit: cap: 5. *Integritatis tuæ curioſus explorator, vitam tuam in quotidiana diſcuſſione examina*, tandem ſubjungit: *ſtude cognoſcere te*: per quod manifeſtè oſtendit, quòd continuo examine deveniamus in cognitionem noſtri.

2dum. Eſt obſervatio ſimplex, fidelis, & ſincera vi-

rorum bene moderatorum nobiscum degentium: observando enim quid, & quantùm alii nobiscum manentes faciunt, facilè devenimus quid, & quantùm nos omittimus, & consequenter quid nobis desit, sicut observando alios, quomodò, & quàm pulchrè sint ornati, facile cognoscimus, quid nobis desit in ornatu.

3tium. Sunt exempla antiquorum Patrum, & sanctorum virorum ante nos viventium, ut docet Thomas à Kempis: lib: 1. de imit: Christi, cap: 18. *Intuere sanctorum Patrum fervida exempla, in quibus vera perfectio refulsit & religio, & videbis, quàm modicum sit, penè nihil, quod nos agimus.*

4tum. Est lectio quotidiana libri spiritualis, sicut enim legendo libros Theologicos, Philosophicos, statim cognoscimus, quid, & quantùm nobis desit in scientia Theologica, vel Philosophica, ita legendo libros spirituales, facilè investigare poterimus, quid nobis desit ab intra, in via spirituali. Præter hæc quatuor:

5tum assignat S. Legislator, ex quo cognoscere possimus, quid, & quantùm nobis desit in interiore habitu cordis, & hoc nihil aliud est, nisi litigatio & contentio de habitu corporis, dum scilicet de vestitu externo litigamus, & contendimus, ut patet ex textu S. Legislatoris, dicentis: *Si autem hinc inter vos contentiones & murmura oriuntur, cùm conqueritur aliquis se deteriùs accepisse, quàm priùs habuerat, & indignum se esse, quòd non ita vestiatur, sicut alius frater ejus vestitur, hinc vos probate, quantum desit vobis in illo interiori sancto habitu cordis, qui pro habitu corporis litigatis.* Quod idem est, acsi diceret: hinc cognoscite, quantùm vobis deest intra cor vestrum, intra conscientiam, & intra interiora viscera mentis vestræ, quando de exteriore

vesti-

vestitu corporis contenditis, disceptatis, & disputatis. Unde super hunc textum scribens Rmus Gervasius Layncelz, Abbas S. Mariæ ad Nemus, S. Ordinis Præmonstratensis, in Optica Regularium inquit: *Imperfectorum religiosorum est contendere, vel murmurare de vestium distributione, quæ fit à Prælato, vel ab eo, qui in illa parte ejus vices gerit.* Et infrà addit: *Murmurare vel contendere de vestium qualitate, est indicium religiosi intrinsecùs imperfecti, & virtutibûs nudati, quippe: qui plùs curat habitum corporis, quam cordis.* Rmus autem Choriolanus hìc scribens, inquit: *Cum jurgia, lites, nonnisi ex animo oriuntur elato, nec duo simul possunt esse in eodem contraria, ex eo pellantur virtutes, oportet.* Quoties igitur de vestium distributione contendis vel murmuras, toties te imperfectum, vel carentem virtutibûs ostendis. Erubescas ergo de vestibus corporis contendere, qui vestes puras & integras animæ debes curare.

Expendas præterea, si contentio & murmuratio de vestium distributione, (ubi hæc distributio observatur) est signum imperfecti religiosi: à fortiori majus est signum imperfectionis, comparare sibi vestes ad suum placitum accommodatas, & sæcularium novitati conformes, religioso autem habitui difformes & repugnantes. Hæc dissolutio in vestibus, est dissolutio in moribus, quæ non attendit Regulam, constitutiones, & monita superiorum, sed omnia pro placito audet, & æmulatur.

Considera *4to.* Quòd sicut vestium exquisitarum ambitio, est signum imperfectionis, ita contemptus earundem vestium, est signum perfectionis: contemnere enim pompam, & splendorem rerum temporalium, consequenter & vestium, est magna perfectio. Hujus perfectionis in contemnen-

temnendis vestibus exemplum, *imo*, dedit nobis ipse Christus Dominus, qui nunquam vestes pretiosas & splendidas adhibuit, sed humiles, modestas, & pauperes, illasq; tantùm, quas ipsi paravit ipsa B. V. MARIA. Quando autem mortuus, & crucifixus est, tunc etiam illis humillimis vestibûs spoliatus fuit, juxta illud Psalmi: *Diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.*

2do. Exemplum contemnendarum vestium dederunt nobis SS. Apostoli, quibus à Christo Domino dictum est: Math: 10. v. 9. *Nolite possidere aurum, neq; argentum, neq; pecuniam in zonis vestris, non peram in via, neq; duas tunicas, neq; calceamenta, neq; virgam &c:* quod mandatum Christi Domini strictissimè observârunt Apostoli.

3tio. Vestium contemnendarum exemplum dederunt plurimi alii Sancti, de quibus S. Paulus cap: 11. ad Hæbreos, testatur: *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti: quibûs dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & in cavernis terræ.*

Et in particulari loquendo, Sancti Apostoli Petrus, Paulus, Jacobus minor primus Episcopus Hierosolymitanus, S. Bartholomæus &c: humilibûs vestibûs utebantur, nempe albîs & lineîs: ex qua ratione Apostoli appellabantur à gentibus: *Homines dealbati.* Patriarchæ etiam Hierosolymitani linearum vestium adhibebant usum. S. Norbertus candidissimi Ordinis Præmonstratensis Fundator *pellicea melote indutus, prædicationi verbi Dei se totum dedit, nudisq; pedibûs, & lacera veste sub brumali rigore incedebat.* S.Paulus primus Eremita,nullas vestes splendidas adhibuit,sed tantùm palmæ foliîs contextîs tegebatur. S. Franci-

ſcus Seraphicus, veſtes proprias ſuo Patri reſtituit, & poſtmodùm tam ſibi, quàm filiis veſtes humillimas, & pauperrimas elegit. S. Franciſcus Xaverius in humillimo veſtitu & nudis pedibûs, multas Indiarum Provincias peragravit. S. Hedvigis Regina Poloniæ, *grandem de ſe triumphum jejuniîs & vigiliîs, veſtiumq; aſperitate auſtera carnem macerans, reportavit.* S. Cunegundis pariter Regina Poloniæ, non tantùm regali ſolio, ſed etiam veſtibus renuntiavit, religioſaſq; veſtes induit. S. Salomea Regina Haliciæ, *in regali ſolio, Chriſto humiliter ſatagens famulari, ſæculi faſtum exoſa ſplendidiorem, quô pro ſtatûs ſui ratione utebatur, ornatum depoſuit, iîs deinceps contenta indumentîs, quæ viduis duntaxat geſtare moris erat.* S. Catharina Vaſtanenſis, *cum ſuo conjuge veſtium ſimplicitate, veram & voluntariam humilitatem profitebantur, nec ab aliis pietatis exercitiis, ullîs propinquorum ſermonibûs ſe retrahi paſſi ſunt. Imo verò exemplô S. Virginis, multæ nobiles fæminæ veſtium pompas, & ſuperfluum cultum depoſuerunt.*

Hæc omnia non ideo attuli, quaſi vellem, ut præſentis ævi viri religioſi, in melotis & pellibus, & nudîs pedibûs incedant, vel ut palmæ foliîs veſtiantur: ſed ideo, ut, ſi non poſſunt antiquorum Sanctorum rigorem in veſtibus deportandis obſervare, ſaltim ſplendorem, pompam, ambitum, & novitates in veſtibus non adhibeant, ſed humili, modeſto, & paupere veſtitu ſint contenti. Breviter loquendo, ſequantur exemplum S. Auguſtini, de quo in vita ejus leguntur ſequentia verba: *Veſtis ejus, & calceamenta, & lectualia, ex moderato & competenti habitu erant: nec nitida nimium: nec abjecta plurimum, quia hîs plerumq; vel jactare ſe inſolenter homines ſolent, vel abjicere: ex utroq; non*

quæ

quæ JESU Christi, sed quæ sua sunt, quærentes. At iste Beatus medium tenebat: neq; in dextram, neq; in sinistram declinans.

Exemplô igitur Sancti Augustini, vestes, calceamenta, & lectualia nostra, sint ex modesto & competenti habitu: indumenta nostra nec nitida nimium, nec abjecta fiant plurimùm. Teneamus ergo cum S. Augustino medium, neq; in dextram, neq; in sinistram declinantes. Vestes nostræ sint decentes, honestæ, humiles, & uniformes, sint talares, usq; ad talos extensæ, breviusculæ autem tantùm aliquantulùm post genua protensæ penitùs amoveantur: vestes prætiosæ ex serico, tela damascena, vel holoserico variis floribus intertextæ, splendidæ, & pompaticæ, non debent habere locum inter viros religiosos: pariter vestes pellibûs pretiosissimîs, vel transmarinîs subductæ non adhibendæ, quia pelles inferioris ordinis, majorem causant calorem, quàm illæ, quæ de ultimis finibus petuntur. Pilei acervis similes, magìs onerant caput, quàm ornant. Collaria fucatîs coloribûs depicta, fucatum candorem, & novitatem sæcularem probant. Lectisternia de serico comparata, votum paupertatis vitiant. Qui cingulîs uti abhorrent, commemoro illis verba Christi: *Sint lumbi vestri præcincti.* Indusia interiora ad pugillum manûs deferri, & ostentari solita, puerilem vanitatem exhibent. Corrigiæ calceamentorum suîs non vacant novitatibûs, quasi verò pedes indigeant superfluîs ornamentîs, sed has omnes in vestitu vanitates, difficilè est enumerare: quia pro illis exprimendis, etiam verba nova & latina desunt. Plures enim illi in vestitu novitates excogitant, quàm verba nova inveniri valeant.

EXPO-

EXPOSITIO ET MEDITATIO LIII.

Ita sanè, ut nullus sibi aliquid operetur, sed omnia opera vestra in unum fiant, majori studio, & frequentiori alacritate, quàm si vobis singuli faecretis propria. Charitas enim, de qua scriptum est, quòd, non quærit, quæ sua sunt, sic intelligitur: quia communia propriis, non autem propria communibus anteponit.

COnsidera 1mo. Quid sit sibi operari? Respondeo: operari sibi, nihil aliud est, nisi propter se vivere, propter se vitam impendere, laborare, propter se lucrum quærere, propter suum commodum scientiis incumbere, eruditionem investigare, propter se sanitatem curare, aurum, argentum, & opes congregare, propter se pericula, mortem, insidias subire, totum deniq; quod cogitari potest, in suam propriam utilitatem, commodum, felicitatem, & beatitudinem ordinare. Unde omnes illi sibi operantur, qui nullum negotium communitatis tractare, promovere, continuare volunt, ex quo non vident securam sibi aliquam utilitatem, proventum, aut præmium: item, omnes illi operantur sibi, qui dum prævident officium suum expirare, negligunt rem familiarem, & domesticam, & non curant præparare ad sustentandam communitatem necessaria: item, omnes illi operantur sibi, qui dum transferuntur de uno beneficio regulari, ad aliud beneficio-

neficium regulare, omnia alia, quæ secum ad aliud beneficium asportare nequeunt, personis extraneis donant, vendunt, & disperdunt, item, illi sibi operantur, qui beneficia regularia acceptant, sed illud officium Religionis deserunt, quod continuare debebant, & per quod plùs meruissent in Religione, quàm in beneficio: tandem, illi operantur sibi, qui habendo aliquod officium monasterii *v.g.* procurationem bonorum, dispensationem temporalium, administrationem culinæ, aut vestiariæ, ipsi sibi adinveniunt, & excogitant proventus, sine licentia superiorum, sub prætextu præmii, seu solutionis pro labore, circa eadem temporalia. E contra operari aliis, nihil aliud est, nisi vivere propter alios, quærere lucrum propter alios, scientiis incumbere propter alios, eruditionem investigare propter alios, & propter utilitatem, commodum, & honorem boni communis, fortunam, aut potiùs sufficientiam honestam colligere, propter communitatem, mortem, pericula, omneq; insidiarum & adversitatum genus, sustinere propter communitatem. *1mum* ergo operandi genus denegat S. Legislator vitæ regularis cultoribus, dum inquit: *Ita sanè, ut nullus sibi aliquid operetur: 2dum* genus operandi suadet, & præcipit, dum inquit: *sed omnia opera vestra in unum fiant.* Ad virum ergo religiosum spectat, semper agere, semper laborare, semper operari, cæterùm spectat operari non sibi, sed aliis, non sibi, sed communitati, Religioni, & bono communi augendo, ampliando, & conservando: quilibet enim vir religiosus, ita se habet respectu suæ Religionis, sicut se habent membra respectu sui corporis: porrò nullum membrum corporis operatur aliquid sibi soli, sed operatur aliis, & toti

corpo-

corpori, ut docet S. Auguſt: T. 9. in Evan: Joan: Tract: 32. *Si oculus ſolus videt in corpore, ſed nunquid ſolus ſibi oculus videt? & manui videt, & pedi videt, & cæteris membris videt: non enim, ſi aliquis ictus in pedem veniat, avertit ſe oculus inde, ut non præcaveat. Rurſus, ſola manus operatur in corpore, ſed nunquid ſibi ſoli operatur? & oculo operatur: nam, ſi ictus aliquis veniens non eat in manum, ſed tantùm in faciem, nunquid dicit manus, non me moveo, quia non tendit ad me? ſic pes ambulando omnibus membris militat: membra cætera tacent, & lingua omnibus loquitur.*

Parî modô ſol, luna, & ſtellæ, non ſibi lucem proferunt, ſed toti mundo, cælum non ſibi pluvias diſpenſat, ſed omnibus terris: terra non ſibi producit frumenta, flores, gramina, aurum, argentum, & omnia metalla, ſed cunctis hominibus in illa habitantibus: maria non ſibi proferunt piſces, & gemmas, ſed univerſo orbi: elementa non ſibi proſunt, ſèd vitæ hominum conſervandæ: deniq; quidquid in toto orbe operativum ſpectabis, illud totum & omne operationem ſuam ad alios extendit, & aliis prodeſt. DEUS ipſe Optimus Maximus licèt primariò omnia propter ſe operetur, & propter gloriam ſuam, tamen ſecundariò omnia operatur propter hominem, ut conſtat ex Pſal: 8. *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus: oves, & boves univerſas, inſuper & pecora campi. Volucres cæli, & piſces maris, qui perambulant ſemitas maris.* Tandem idem DEUS Optimus Maximus incarnationem Filii ſui, nativitatem, prædicationem, paſſionem, mortem, ſepulturam, reſurrectionem, & aſcenſionem, ac alia plurima myſteria & beneficia, ordinavit propter ſalutem generis humani. Operationem non propter nos, ſed propter alios, perſua-

det etiam S. Paulus, ad Rom: C. 14. v. 7. *Fratres, nemo nostrum sibi vivit, & nemo moritur, sive enim vivimus, Domino vivimus, sive morimur, Domino morimur.*

Ego autem quæro, utrum soli Domino debeamus vivere, & mori? Respondeo: DEUS Optimus Maximus, est ultimus finis noster, ad quem per media debemus tendere, eumq; aliquando possidere: vita nostra in Ecclesia, Religione, vel in quacunq; communitate, est medium ad ultimum finem possidendum, DEO ergo debemus vivere, tanquam ultimo fini nostro: Ecclesiæ autem, Religioni, & omni communitati, debemus vivere tanquam medio, per quod valeamus consequi ultimum finem: si enim Ecclesiæ, Religioni, vel communitati non vivemus, & omnia operabimur nobis ipsis, nihil autem Ecclesiæ, Religioni, vel communitati, tunc finem ultimum non consequemur.

Considera *2do.* Quòd non satis sit, operari aliquid bono communi, vel propter bonum commune, sed requiritur, ut majori solicitudine operemur bono communi, quàm nostro, & ut majori alacritate commune bonum curemus, quàm nostrum, ut apertum est ex S. Legislatore dicente: *Sed omnia opera vestra in unum fiant, majori studio & frequentiori alacritate, quàm si vobis singuli faceretis propria.* Dictante enim lumine naturæ, majori studio, & frequentiori alacritate promovet quisq; bonum matris suæ, amicorum, magistrorum, benefactorum, quàm proprium. Porrò Religio quam profitemur, mater nostra est, amica nostra, magistra nostra, & benefactrix nostra est, illa nos in Christo genuit, illa nutrivit, illa educavit, illa hactenus fovet, & quare non debemus majori affectu, & alacritate ejus commune promovere bonum? quare non

debe-

debemus intenſiori ſolicitudine, communem ejus utilitatem augere, ampliare, conſervare, & defendere. Deinde à quo majora beneficia accepimus, ejuſdem bonum majori ſtudio, & frequentiori alacritate curare tenemur, quàm noſtrum. Et à quo de amicis noſtris majora beneficia tam ſpiritualia, quàm temporalia habemus, quàm à ſacra Religione? quis nobis plùs contulit, confert, & adhuc conferet, quàm Religio? amici, parentes, & conſanguinei noſtri, libentiſſimè id habent, quia Religionem profeſſi ſumus, & vellent, ut jam nobis nihil conferrent, & jam nobis, & planè omnes parùm, aut nihil conferunt. Religio autem noſtra, quam ſemel profeſſi ſumus, uſq; ad finem omnia conferet, providebit, & ſubminiſtrabit, licèt ad eam multi nihil intulerimus, ſed cùm ad eam venerimus, fuimus indigentes, pauperes, & inopes, modò autem cùm in ea parumper morati ſumus, omnium rerum ſufficientiam acquiſivimus, honorem, æſtimationem aſſecuti ſumus, & proinde quid aliud reſtat? niſi, ut commune bonum Religionis majori ſtudio curemus, quàm noſtrum, valde enim durum eſt, beneficia accipere, & non reddere, non reddimus autem percepta à Religione beneficia, quando commune bonum Religionis majori ſtudio non curamus, nec promovemus. Sed quamvis nullum beneficium à Religione perciperemus, (quod eſt impoſſibile) tamen charitas ſufficiens eſt fundamentum, ut plùs curemus commune bonum, quàm privatum, quia charitas eſt talis naturæ, ut ubicunq;, & inter quos inveniatur, anteponat bonum commune bono privato, ut expreſsè loquitur S. Legislator: *Charitas enim, de qua ſcriptum eſt, quòd, non quærat quæ ſua ſunt, ſic intelligitur, quia communia propriis, non autem propria communibus anteponit.* In-

Intueamur ergo conſcientias noſtras, qualiter, & quantùm ſoleamus curare bonum publicum, & bonum privatum? bono privato ſingulos dies, totos annos, vitam univerſam impendimus, & boni communis nec ſemel in vita recordamur: Domos in quibus reſidemus, Eccleſias & beneficia ad quæ inſtituimur, reparamus, decoramus: illud verò quod ad omnes in communi ſpectat, nec promovemus, & quod majus eſt, non conſervamus.

EXPOSITIO ET MEDITATIO LIV.

Et ideò, quantò ampliùs rem communem, quàm propria veſtra curaveritis, tantò ampliùs vos profeciſſe noveritis: ut in omnibus, quibûs utitur tranſitoria neceſſitas, ſuperemineat, quæ permanet, charitas.

COnſidera 1mo. Quare plùs proficit ille, qui plùs rem communem curat, quàm proprium ſuum bonum? hujus igitur multæ ſunt rationes: 1ma eſt hæc: nam plùs proficit ille, qui non unum pauperem fovet, non unum nutrit, protegit, veſtit, conſervat, ſed multos aut plurimos: cum autem vir religioſus curat magis commune bonum Religionis, quàm ſuum, eô ipsô fovet, nutrit, protegit, veſtit, & conſervat plures, aut plurimos pauperes, votô paupertatis obſtrictos, conſequenter clarùm eſt, quòd eô ipsô plùs proficiat. 2da ratio eſt, quia qui tendit ad perfectionem, plùs proficit illô, qui deficit à perfectione:

& quia

& quia omnis ille, qui rem communem curat, tendit ad perfectionem, (facit enim id, quod Regula jubet) adeòq; curans rem communem, plùs proficit illô, qui nonnisi bonum proprium curat.

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, examina te ipsum, quid ampliùs curas, an rem communem, an propriam utilitatem? si plùs curas rem communem, eô ipsô plùs proficis: si autem plùs curas propriam utilitatem? eô ipsô deficis à via perfectionis, deficere autem à via perfectionis religiosæ, semper peccatum est.

Considera *2do.* Quòd profectus noster ex cura boni communis, possit esse major duobûs modîs. *1mô* modô potest esse major, quando quis plura negotia Religionis curat, quàm alter, ita planè, sicut quando quis plures pauperes alit, quàm alter; ita planè: & hic profectus vocari potest major extensivè, quia scilicet proficiens per illum homo, extendit curam suam ad plures. *2dô.* Profectus noster potest esse major, quando quis minora quidem negotia & pauciora suæ Religionis curat, sed majori affectu & charitate, quàm soleant illi, qui plura onera in se suscipiunt, sed hæc non ex affectu & charitate sustinent: & hic profectus potest vocari major intensivè, ratione majoris intensionis, seu affectûs, quem habet ille, qui taliter proficit.

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, esto certus, quòd multùm placet DEO majoritas, seu illud augmentum profectûs, quod acquirimus ex solicitudine circa plura negotia Religionis tractanda, sed magìs placet majoritas, seu augmentum illud profectûs nostri, quod acquirimus ex eo, quia majori charitate & affectu nego-

tia

tia Religionis, licèt pauciora tractamus, ut docet Thomas à Kemp: lib: 1. de imit: Christi, C. 15. *Nam, quidquid ex charitate agitur, quantùmcunq; etiam parvum sit, & despectum, totum efficitur fructuosum. Magìs siquidem DEUS pensat, ex quanto quis agit, quàm quantùm quis facit, multum diligit.* Et hoc ipsum vult S. Legislator: postquàm enim dixerit: *Et ideo, quantò ampliùs rem communem, quàm propria vestra curaveritis, tantò ampliùs vos profecisse noveritis:* tandem subjungit: *ut in omnibus, quibûs utitur transitoria necessitas, supereminеat, quæ permanet, charitas.* Dum enim commendat, ut omnibus his procurandis propter commune bonum transitoriis supereminеat charitas, eô ipsô vult, ut in illis non multitudinem, sed charitatem attendamus, & curemus, non tam multa facere propter bonum commune, quàm potiùs, ut illa faciamus ex charitate.

Proinde & tu magìs rem communem, quàm proprium bonum cura, & sic majorem profectum ex rei communis, quàm proprii boni solicitudine habebis: in curanda autem re communi non tam multitudinem attendas, quàm potiùs affectum & charitatem, hoc est: non tam cures, ut multùm facias propter bonum commune, sed potiùs, ut facias ex affectu & charitate, & sic profectus tuus magìs placebit DEO ex charitate, quàm ex multitudine exhibitorum operum propter bonum commune. Tunc autem ex charitate cognosces te aliquid facere, quando in curando bono communi nunquam te ipsum, hoc est tuam nullam utilitatem quæres, sed solam DEI gloriam: *Nam, qui veram & perfectam charitatem habet, in nulla re se ipsum quærit, sed DEI solummodò gloriam in omnibus fieri desiderat.* Thom: à Kemp: lib: 1. de imit: Chri: C. 15. Ita tu fac, & facies ex charitate. EX-

EXPOSITIO ET MEDITATIO LV.

Consequens ergo est, ut cùm quis filiis suis, aut aliqua necessitudine ad se pertinentibus, in monasterio constitutis, aliquam contulerit vestem, sive quodlibet aliud, inter necessaria deputandum: non occultè recipiatur, sed sit in potestate Præpositi, ut in rem communem redactum, cui necesse fuerit, præbeatur.

COnsidera 1mo. Quòd licèt in præcedenti puncto S. Legislator universalem & generalem dederit legem, ut nullus sibi aliquid operetur, sed potiùs, ut omnia fiant in unum, & in commune redigantur, tamen adhuc in præsenti puncto eandem in particulari proponit, & illam tanquam particularem infert ex generali, dum inquit: *Consequens ergo est, ut cùm quis filiis suis, aut aliqua necessitudine ad se pertinentibus, in monasterio constitutis, aliquam contulerit vestem, sive quodlibet aliud, inter necessaria deputandum, non occultè recipiatur, sed sit in potestate Præpositi, ut in rem communem redactum, cui necessè fuerit, præbeatur.*

Cujus ratio 1ma est, quia licèt de aliqua re observanda detur lex universalis & generalis, tamen plerumq; illi, qui ab ea vellent esse liberi, eam limitant, innixi illi communi axiomati juris: *Nulla Regula sine exceptione.* Ut ergo tales exceptiones non fiant, S. Legislator à generali lege circa omnes in communi, descendit ad legem

particularem, & ad particulares perſonas, ut ſcilicet, ſi quid illis ab extra conferatur, illud totum in commune redigant.

2da ratio eſt, quia plerumq; evenire ſolet, quòd magnorum aut divitum parentum filii, ingredientes monaſteria, eorum ſtatui ſe accommodare cupiunt, vitam communem amant, laudant, & obſervant, nihil ſibi operari præſumunt, ſed omnia in communi fieri volunt, ſed tantùm illa, quæ in monaſterio invenerunt, dum verò illis aliquid fortunæ conferunt parentes, aut juncti ſanguine amici, hoc vel occultè accipiunt, vel putant non pertinere ad Monaſterium, ad Conventum, vel ad Collegium: conſequenter nolunt id in commune bonum, vel uſum publicum redigere, ſed ſibi perſuadent, ſe ſolos illa ſorte paternâ pro libitu ſuo poſſe uti, vel de illa diſponere ad commoda vel uſus privatos. Ne ergo tales abuſus fierent in collegiis, juxta Regulam S. Legislatoris viventibus, expreſsè mandat, ut etiam illud, quod magni parentes ſuis filiis, vel divites contulerunt, omnino in commune redigatur, & tribui poſſit, non tantùm illis, quibus collatum eſt, ſed cui opus fuerit, præbeatur.

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, & ſortem aliquam à parentibus, vel ſanguine junctis accepiſti, vide, qualiter illâ utaris? quomodo illam diſponis? an propria, an ſuperioris authoritate?

Conſidera *2do.* Quænam ſint occaſiones, quòd viri religioſi accipiant aliquid occultè à parentibus, vel ſanguine junctis.

1ma ergo occaſio eſt, notitia, familiaritas, amicitia, ſeu confidentia contracta cum perſonis extraneis, & plerumq;

rumq; talibus, quarum converſatio eſt prohibita, vitæ regularis profeſſoribus; cùm enim ſciant harum perſonarum converſationem eſſe prohibitam, tunc dum ab ipſis accipiunt, occultant, ne ex hujuſmodi rebus, innoteſcat eorum prohibita converſatio.

2da occaſio eſt, nimius appetitus veſtiendi ſe, exquiſitè, ſplendidè, nimis comptè, & pretioſè, ac ultra & ſupra alios, eorumq; conſuetudinem, tales enim ut habeant unde ſe meliùs, & exquiſitiùs ornent, non manifeſtant ſuperioribus, quod retinent.

3tia occaſio eſt, guloſus vel exquiſitus appetitus comedendi, vel bibendi, ſeu talis, qui non eſt contentus portione religioſa, ſed ultra hanc ſapidiores cibos, nobiliores exambit potus, tales ergo ut gulam ſuam impleant, & habeant unde extinguant, ſemper aliquid in occulto conſervant. Ex hac occaſione provenit, quòd religioſi varia comeſtibilia avidè colligant, & in ſuis cellis contra ſtatuta Ordinis foveant.

4ta occaſio eſt vana gloria, ſicut enim homines ſæculi, plerumq; inanem venantur gloriam abundantiâ fortunæ, ita plerumq; etiam viri religioſi, oſtentatione pecuniæ.

5ta occaſio occultandi, eſt contractus amor temporalium in ſæculo, & nondum extinctus in Religione.

6ta occaſio eſt, inſufficientia, ſeu indigentia, quando, ſcilicet ſuperiores religionum non provident ſuis ſubditis neceſſaria in tempore.

Hîs bene perceptîs, & attentè conſideratîs, converte oculos ad te ipſum, & vide, utrum aliqua occaſio occultandi rem aliquam reperiatur in te.

EXPOSITIO
ET
MEDITATIO LVI.

Quodsi aliquis rem sibi collatam celaverit, furti judiciô condemnetur.

COnsidera 1mo. Quantum sit malum occultare aliquam rem, sibi à quocunq; oblatam, à parentibus, consanguineis, vel quocunq; alio: occultare ergo rem aliquam, à quocunq; ex præfatis oblatam, est tantum malum, quantum & ipsum furtum. Ratio hujus est: quia omne illud peccatum est tantæ malitiæ, quantæ est & ipsum furtum, quod furti judiciô condemnatur, vel condemnandum est, cùm ergo occultatio rei collatæ religioso, furti judiciô condemnanda censetur à Sancto Legislatore, dicente: *Qui autem rem sibi collatam celaverit, furti judiciô condemnetur.* Ideó dum occultat aliquid religiosus, illa ipsius occultatio est tantum peccatum, quantum est peccatum & ipsum furtum. Imo, prædicta occultatio à viro religioso perpetrata, non solùm id habet, quod possit comparari cum furto, vel dici tanta, quantum est & ipsum furtum, sed in re & proprie est ipsissimum furtum: nam furtum nihil aliud est, nisi acceptio rei alienæ invitô dominô: jam autem quando vir religiosus occultat aliquid, accipit rem alienam, nempe Religionis, sola enim Religio habet dominium proprietatis in omnes res religiosi: deinde accipit invitô dominô, scilicet invitâ religione, & superiore: consequenter prædicta occultatio, est propriè & strictè furtum.

furtum. Pofitô autem hôc, quòd prædicta occultatio fit propriè & ftrictè furtum, quid aliud fequitur? nifi hoc, quòd omnis occultans aliquid coram fuperiore, fit ftrictè & propriè fur.

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, examina te ipfum, utrum non habeas confuetudinem, vel faltem affectum occultandi res tibi à quocunq; oblatas? fi habes, fubjaces huic decreto, ut furti judiciô condemneris.

Confidera *2do*. Quænam fint motiva non occultandi res à quocunq; fibi oblatas? motiva igitur non occultandi res à quocunq; oblatas, funt multa.

1mum, eft ipfa turpitudo, inhoneftas, & ignonimia, quæ procedit ex dicta occultatione, nimirùm, quòd omnes tales furti judiciô condemnari jubeantur à Regula, & pro furibus habeantur: valde autem ignonimiofum eft, & honeftate religiosâ indignum, fubjacere judicio furti, & pro fure haberi.

2dum motivum eft, quòd prædicta occultatio fit delictum, fimile delicto Judæ proditoris loculos habentis, & abfcondentis; juxta teftimonium Hugonis dicentis: *Frater, qui rem fibi collatam celaverit, Judæ proditoris locum tenet in Ecclefia fancta, qui fur erat, & latro, & loculos habens, & ea quæ mittebantur Domino, afportabat, & abfcondebat. Qui tantô cupiditatis & avaritiæ vitiô exarfit, ut Dominum fuum, ficut diabolus in cor miferat, venderet, & traderet, fed appetendo lucrum, pervenit ad laqueum. Tales funt fructus avaritiæ.*

3tium motivum eft, quia prædicta occultatio alicujus rei à religiofo commiffa, eft peccatum fimile peccato illius fervi in Evangelio commemorati: Math: 25. qui poftquàm reciperet unum talentum à Domino fuo, illud abfcon-

ſcondit: *Qui autem unum acceperat, abiens fodit in terram & abſcondit pecuniam Domini ſui:* ſed quid poſtea factum cum illo, attende: Ecce redit Dominus illorum ſervorum, quibus talenta diſtribuerat, & ponit rationem cum illis, & qui non abſcondiderunt talenta Domini ſui, ſed illîs alterùm tantùm lucrati ſunt, admiſſi in gaudium Domini: *Euge ſerve bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam, intra in gaudium Domini:* Qui verò ſervus abſcondidit pecuniam Domini ſui, receptum eſt ab ipſo & illud, quod ipſi antea datum fuerat, & damnatus eſt ad tenebras exteriores: *Tollite itaq; ab eo talentum, & date ei qui habebat decem talenta &c: & ſervum inutilem ejicite in tenebras exteriores, ibi erit fletus & ſtridor dentium.* Et hic eſt finis omnium religioſorum, res ſibi ab aliquo collatas occultantium.

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, quoties occultas aliquid, toties exprimis in te ſervum nequam, à Domino ſuo condemnatum ad tenebras exteriores, quoties aliquid occultas, toties locum tenes Judæ traditoris, cùm tamen locum Chriſti tenere deberes, & promiſiſti.

EXPOSITIO
ET
MEDITATIO LVII.

Indumenta veſtra ſecundùm arbitrium Præpoſiti laventur, ſive à vobis, ſive à fullonibus, ne interiores animæ ſordes contrahat mundæ veſtis nimius appetitus.

CONſidera 1mo. Quòd licèt valde minuta res, abjecta, & inferioris ordinis videatur, ordinaria indumento-

rum

rum lotio, & à multis ita vilipendatur, ut planè nunquam hoc in puncto proficere studeant, vel illud implere, tamen S. Legislator expressè injungit, ut prædicta indumentorum lotio, vestimentorum purgatio, fiat non quomodocunq;, sed secundùm arbitrium Præpositi, ut nos doceat, quòd in rebus etiam minutis, non debeamus nostrum, sed superiorum nostrorum sequi placitum, comitari arbitrium, complecti judicium: qui enim in rebus minutis, paulatim assuescit suorum superiorum acquiescere arbitrio, ille in rebus etiam magnis, & difficilibus, facilè illi acquiescet. Qui autem in rebus minutis frangere voluntatem suam, & arbitrium nescit, aut negligit, vix est possibile, ut in magnis vel arduis negotiis, sequatur pacificè arbitrium superioris. Ut ergo in magnis facilè sequi possimus arbitrium superioris, etiam in parvis, jubet S. Legislator, ut illud sequamur. Deinde dici potest, quòd Sanctus Legislator indumenta religiosa ideo lavari jusserit, secundùm arbitrium Præpositi, ut ponat obicem his ad peccandũ, quorum anima etiam in Religione adhæsit pavimento, seu nimio amori vestium; multi enim sunt tales, qui licèt jam mundum reliquerint, licèt habitum sæculi deposuerint, tamen affectum ad vestes nimis exquisitas, splendidas, & valde exactas non amiserunt, & sic etiam in habitu religioso quærunt splendorem, amant inæqualitatem, & omnem cogitabilem affectatè curant munditiam. Ut ergo tam affectata solicitudo, circa munditiam vestimentorum, amoveatur, & peccata inde provenientia vitentur, S. Legislator ordinat, ut non secundùm placitum nostrum, sed secundùm placitum superioris mundemur exteriùs. Unde etiamsi in viris religiosis nullus inveniretur appetitus

nimiæ

nimiæ munditiæ, ſed moderatus, tamen & hic debet eſſe juxta arbitrium ſuperioris, quia major eſt munditia ſpiritualis interna, & majoris æſtimationis apud DEUM, quàm ſit munditia externa, ſi ergo munditia illa interna debet fieri ſecundùm arbitrium Præpoſiti, pariter debet fieri & externa. Si enim aliquid majus, & ſuperioris ordinis, ſubjacet voluntati & beneplacito ſuperioris, longè magìs debet ſubjacere illud, quod eſt in ſe minus & inferioris ordinis, ipſi quoq; religioſi non tantùm internam, ſed etiam externam voluntatem renuntiârunt, & ſubdiderunt Religioni, adeòq; non tantùm in internis, ſed etiam in externis, debent ſe conformare arbitrio, voluntati, & diſpoſitioni Religionis.

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, intuere te ipſum, utrum munditiam externam ſecundùm arbitrium ſuperioris curâſti? an verò ſecundùm tuum? imo, utrum omnia opera conformare ſtuduiſti? ſi enim hæc minuta mandavit S. Legislator, fieri juxta judicium ſuperioris, multò magìs principaliora negotia, juxta idem arbitrium tractanda eſſe, certum eſt.

Conſidera *2do.* Qualiter interiores animæ ſordes trahat mundæ veſtis nimius appetitus? Reſpondeo: mundæ veſtis nimius appetitus, contrahit interiores animæ ſordes duobûs modîs: *1mus* eſt vana gloria: qui enim nimiam munditiam in veſtimentis quærunt, illi hoc plerumq; faciunt propter oſtentationem, vanamq; gloriam, vana autem gloria interiùs maculat animam: *Tantò enim quiſq; polluitur intus, quantò ad inanem gloriam foris mundatur.* Hugo de S. Victore ſuper Regulam. *2dus* modus eſt minor ſolicitudo circa munditiam internam, qui enim

mundi-

munditiam externam nimis desiderant, eô ipsô formam hujus sæculi appetunt, jam autem idem Hugo inquit: *Qui formam hujus sæculi appetunt, formam interioris hominis non requirunt, & quantò exterior pulchritudo diligitur, tantò interior minùs curatur.* Quia autem vir religiosus magìs tenetur pulchritudinem internam, quàm externam curare, ideò quando internam minùs curat, quàm externam, sensim deficit à fervore spiritûs interioris, & sic contrahit interiores animæ sordes.

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, non cures nimiam munditiam externam, quia per hanc augetur immunditia interna animæ, & radicatur insensibiliter negligentia, seu tepor quærendi formam interioris hominis, hoc est: crescit in nobis tarditas mundandæ conscientiæ, ubi adest celeritas, & nimia cura in mundando externo habitu. Vide igitur, si te hic tepor quærendi interiorem hominem, & negligentia mundandæ conscientiæ non occupavit.

EXPOSITIO
ET
MEDITATIO LVIII.

Lavacrum etiam corporis, cùm infirmitatis necessitas cogit, minimè denegetur. Fiat sine murmure de consilio medici, ita ut etiamsi nolit, jubente Præpositô faciat, quod faciendum est pro salute. Si autem velit, & fortè non expedit, suæ cupiditati non obediatur: aliquando enim, etiamsi noceat, prodesse tamen creditur, quod delectat.

COnſidera 1mo. Quòd licèt quemlibet ipſe naturalis inſtinctus ducat ad reſtaurandam corporis integritatem, tamen reſtaurationem prædictæ ſanitatis expreſsè injungit S. Legislator: multi enim ſunt tales, qui licèt gravi infirmitate ſe oppreſſos ſentiant, tamen ad priſtinum vigorem ut redeant, nihil per ſe ipſos concurrunt, ſed omnia rejiciunt in Providentiam divinam: ut verò ſint ſani, nihil ſuæ applicationis impendunt: quia nimius fervor ſanctitatis, & nimia auſteritas in jejuniis illos retardat, quam, ut non intermittant, medicinas effugiunt, timentes, ne à medicis compellantur, ad intermittenda ſua jejunia, vel mortificationes. Alii tandem ſunt nimis ſoliciti de ſanitate, & valde affectatè eandem curant, conſervant, & fovere ſtudent, unde, quidquid in ſe alterationis percipiunt, vel apprehendunt, ſtatim medicos conſulunt, pharmaca applicant, etiamſi aliquando non conveniat, commoditates quærunt, & ſe infirmos eſſe divulgant, licèt in re ſaniores ſint cæterîs. Sed hi omnes inordinatè faciunt; & ſic inordinatè faciunt illi, qui in ſolam divinam Providentiam ſanitatem ſuam rejiciunt, quia contraveniunt voluntati divinæ ordinariæ, quâ DEUS ita ordinavit, ut homo ad omne bonum conſequendum adhibeat etiam applicationem ſuam, & concurſum; unde & ſalutem noſtram non aliter decrevit, niſi dependenter à coöperatione noſtra gratiæ ſuæ nos adjuvanti. Inordinatè faciunt illi, qui propter ſtudium pietatis, vel ſanitatis, vel jejuniorum obſervandorum, ſubterfugiunt medicinas, quia nimius fervor ſanctitatis, & nimia jejuniorum auſteritas, inordinata eſt, & reprehenditur à ſcriptura dicente: *Noli eſſe juſtus multùm, neq; plùs ſapias, quàm neceſsè eſt, ne obſtupeſcas.*

pescas. Et ad Romanos 12. *Nolite esse prudentes apud vosmetipsos.* Et ibidem: *Non plùs sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.* Deinde qui propter nimium fervorem sanctitatis medicinalia refugiunt, sequuntur propriam voluntatem, non autem dispositionem legis, & Regulæ: porrò quandocunq; religiosus propriam voluntatem sequitur, semper inordinatè agit. Præterea, qui immoderatis jejuniis adhærent, adeò postmodùm enervantur, ut penitùs inepti efficiantur, etiam ad hæc, ad quæ obligantur; unde, ne ad hoc deveniant, meliùs est cum aliis in medio consistere, quàm limites excedere. *Sed sciendum est,* (inquit hìc Hugo de S. Victore) *quòd virtus si modum non habeat, in vitium vertitur.* Tandem inordinatè faciunt illi, qui valde affectatè sanitatem curant, quia nimia solicitudo, arguit nimium amorem corporis, hic autem amor impedit nos ab amore spiritualium. Contra hos omnes ponit mandatum S. Legislator, dum inquit: *Fiat sine murmure de consilio medici, ut etiamsi nolit, jubente Præposito faciat, quod faciendum est pro salute: si autem velit, & fortè non expedit, suæ cupiditati non obediatur.* Alii tandem sunt, qui per supinam negligentiam, vel nimiam tenacitatem nolunt adhibere ullas medicinas: sed hæc negligentia & tenacitas multùm est perniciosa, tales enim plerumq; *propriæ personæ fiunt homicidæ,* ut docet Rm̃us Ambrosius Choriolanus. Quare in his omnibus modus est servandus, quia *medicinæ nomen, à modo temperamentoq; fuisse existimatur: ut non nimium & præcipitanter, sed paulatim, quantùmq; solùm sufficit, adhibeatur: namq; multò contristatur, mediocri autem natura gaudet,* inquit Rm̃us Choriolanus.

Considera 2do. Quoniam sæpissimè nobis hoc contingit,

tingit, quòd etiam hæc appetamus, & cupidè eligamus, quæ nobis valde nociva ſunt, ideò expendendum & penetrandum eſt, quiſnam ſit fons & origo talis electionis, & appetitus inordinati? Fons ergo & origo prædictæ electionis inordinatæ eſt hic: quòd illa, quæ defactò nobis nocent, prodeſſe credamus, eſt illud proprium judicium noſtrum, quô judicamus etiam illa nobis profutura, quæ innatam nocendi virtutem habent. Hujus autem ipſius judicii minùs recti, radix & origo prima eſt inde, quòd nos non cognoſcamus objecta, ut ſunt in ſeipſis, ſed tantùm per ſpecies alienas. 2da eſt hæc: quòd nos plerumq; ita de rebus judicamus, quales eſſe per ſenſus externos percipimus, & cùm ſenſus externi ſint fallibiles, & plerumq; fallantur, etiam nos cum illis frequenter fallimur, & nociva pro bonis eligimus. 3tia radix eſt, concupiſcentia & affectus ſeu paſſio prævalens judiciô rectô: *Sæpè enim noxia concupiſcimus, nec diſpicere quàm pernicioſa ſint licet: quia judicium interpellat affectus.* Seneca lib: 2. de benef: C. 14. Advertit S. Legislator hanc labem ſeu deſiderium appetendi nociva, & ideò expreſsè ordinat, ut nihil tribuatur infirmis ſecundùm cupiditatem eorum, ſed de conſilio & voluntate ſuperioris, ſtatimq; ſubjungit rationem: *aliquando enim etiamſi noceat, prodeſſe creditur, quod delectat:* ut continuâ probatur & probatum eſt experientiâ.

Qui ergo præs tuis ſubditis, dum rogaris ab illis indulgentiam eorum, quæ ipſis nociva vel nocitura vides, nunquam acquieſcas petitioni prædictæ, *quia ſunt quædam nocitura impetrantibus, quæ non dare, ſed negare beneficium eſt, exorari in perniciem rogantium, ſæva bonitas eſt, quemadmodùm pulcherrimum opus eſt, etiam invitos nolenteſq; ſervare, ita*

rogan-

rogantibus pestifera largiri, blandum & affabile odium est, sæpè nihil interest inter amicorum munera, & hostium vota. Quid autem turpius? quàm, ut nihil intersit inter odium & beneficium? Seneca lib: 2. de benef: C. 14. Quoties itaq; largiris proximo, hæc quæ ipsi nocitura vides, dum te putas præstare beneficium, præstas odium. Qui autem manes sub potestate superioris, & non obtines postulatorum effectum, non insurgas contra superiorem, quia ille plerumq; ideò negat, quòd prævideat illa tibi nocitura, quæ tu efflagitas: sæpè enim (ut jam dictum est) *noxia concupiscimus, sed cùm subsedit cupiditas, cùm impetus ille flagrantis animi, qui consilium fugat, cecidit; detestamur perniciosos malorum munerum auctores.* (Idem ibidem) ac ipsos etiam superiores, si nobis ea concesserint, quæ nobis nocitura viderunt. Quodsi tibi omnino bonum videatur, quod petis, adverte, ne fidas proprio judicio, quia per hoc non cognoscis ita res, sicut sunt in se, sed per species & imagines alienas, quæ sunt fallibiles, adeòq; & tuum judicium cum illis est fallibile, multò autem magis erit tale, si fiat per sensus externos, aut per affectum talem, qui prævalet judicio recto.

De lavacro, quod mandat non denegare Sanctus Augustinus, censeo, non esse denegandum uni & seorsivè viro religioso, quando id medicus consulit, & necessitas cogit, duobus autem vel pluribus simul, in eodem loco, non esse concedendum, propter multas rationabiles causas, quas hìc omitto studiô brevitatis.

EXPO-

tingit, quòd etiam hæc appetamus, & cupidè eligamus, quæ nobis valde nociva ſunt, ideò expendendum & penetrandum eſt, quiſnam ſit fons & origo talis electionis, & appetitus inordinati? Fons ergo & origo prædictæ electionis inordinatæ eſt hic: quòd illa, quæ defactò nobis nocent, prodeſſe credamus, eſt illud proprium judicium noſtrum, quô judicamus etiam illa nobis profutura, quæ innatam nocendi virtutem habent. Hujus autem ipſius judicii minùs recti, radix & origo prima eſt inde, quòd nos non cognoſcamus objecta, ut ſunt in ſeipſis, ſed tantùm per ſpecies alienas. 2da eſt hæc: quòd nos plerumq; ita de rebus judicamus, quales eſſe per ſenſus externos percipimus, & cùm ſenſus externi ſint fallibiles, & plerumq; fallantur, etiam nos cum illis frequenter fallimur, & nociva pro bonis eligimus. 3tia radix eſt, concupiſcentia & affectus ſeu paſſio prævalens judiciô rectô: *Sæpè enim noxia concupiſcimus, nec diſpicere quàm pernicioſa ſint licet: quia judicium interpellat affectus.* Seneca lib: 2. de benef: C. 14. Advertit S. Legislator hanc labem ſeu deſiderium appetendi nociva, & ideò expreſsè ordinat, ut nihil tribuatur infirmis ſecundùm cupiditatem eorum, ſed de conſilio & voluntate ſuperioris, ſtatimq; ſubjungit rationem: *aliquando enim etiamſi noceat, prodeſſe creditur, quod delectat:* ut continuâ probatur & probatum eſt experientiâ.

Qui ergo præs tuis ſubditis, dum rogaris ab illis indulgentiam eorum, quæ ipſis nociva vel nocitura vides, nunquam acquieſcas petitioni prædictæ, *quia ſunt quædam nocitura impetrantibus, quæ non dare, ſed negare beneficium eſt, exorari in perniciem rogantium, ſæva bonitas eſt, quemadmodùm pulcherrimum opus eſt, etiam invitos nolenteſq; ſervare, ita*

rogan-

rogantibus pestifera largiri, blandum & affabile odium est, sæpè nihil interest inter amicorum munera, & hostium vota. Quid autem turpius? quàm, ut nihil intersit inter odium & beneficium? Seneca lib: 2. de benef: C. 14. Quoties itaq; largiris proximo, hæc quæ ipsi nocitura vides, dum te putas præstare beneficium, præstas odium. Qui autem manes sub potestate superioris, & non obtines postulatorum effectum, non insurgas contra superiorem, quia ille plerumq; ideò negat, quòd prævideat illa tibi nocitura, quæ tu efflagitas: sæpè enim (ut jam dictum est) *noxia concupiscimus, sed cùm subsedit cupiditas, cùm impetus ille flagrantis animi, qui consilium fugat, cecidit; detestamur perniciosos malorum munerum auctores.* (Idem ibidem) ac ipsos etiam superiores, si nobis ea concesserint, quæ nobis nocitura viderunt. Quodsi tibi omnino bonum videatur, quod petis, adverte, ne fidas proprio judicio, quia per hoc non cognoscis ita res, sicut sunt in se, sed per species & imagines alienas, quæ sunt fallibiles, adeòq; & tuum judicium cum illis est fallibile, multò autem magis erit tale, si fiat per sensus externos, aut per affectum talem, qui prævalet judicio recto.

De lavacro, quod mandat non denegare Sanctus Augustinus, censeo, non esse denegandum uni & seorsivè viro religioso, quando id medicus consulit, & necessitas cogit, duobus autem vel pluribus simul, in eodem loco, non esse concedendum, propter multas rationabiles causas, quas hìc omitto studiô brevitatis.

EXPO-

EXPOSITIO ET MEDITATIO LIX.

Deniq; ſi latens eſt dolor in corpore, famulo Dei dicenti, quid ſibi doleat, ſine dubitatione credatur, ſed tamen utrum ſanando illi dolori, quod delectat, expediat, ſi non eſt certùm, medicus conſulatur.

COnſidera 1*mo*. Quòd dolor corporis multiplex contingere poſſit, alius manifeſtus, cujus ſigna externa apparent, alius latens, cujus ſigna externa comprehendi non poſſunt ab extra. De 1*mo* dolore ſeu infirmitate externa, poſuit antecedens immediatè præceptum S. Legislator, quomodò illi occurrere debeant ſuperiores, vel infirmorum miniſtri. De 2*do* præſens ponit mandatum dicens: *Deniq; ſi latens eſt dolor in corpore, famulo Dei dicenti, quid ſibi doleat, ſine dubitatione credatur.* Pleriq; enim ſuperiores, & infirmorum miniſtri, dum ipſi nullâ infirmitate premuntur, aut non ita ſunt proclives ad infirmandum, omnes alios tales eſſe putant, & ſic dum alii infirmantur, dum doloribûs internîs & latentibûs gravantur, non credunt illos gravari aliquô dolore. Hanc incredulitatem prohibet S. Legislator, & mandat, ut famulo Dei dicenti credatur. Et juſtiſſimè hoc injungit, qui enim proximo infirmo ſuum dolorem aperienti non credit, eidem dolorem majorem auget, ſcilicet afflictionem internam animi, quæ major eſt dolore corporis, quia afflictiones mentis, cauſant ſæpiſſimè inſanabiles corporis infirmitates,

tates, ac ipsam mortem. Deinde qui proximo infirmo non credit, eô ipsô non adhibet illi apta media impeditiva doloris, consequenter permittit dolorem in dies augeri, qui cùm auctus fuerit, opprimit dolentem, ita: ut posthac credatur quidem verum fuisse infirmi dolorem, sed tunc, quando jam non adest tempus, & aptitudo succurrendi.

Qui ergo ex officio obligati estis ad levandas subditorum & fratrum vestrorum infirmitates, videte, quanto periculo peccati vos exponitis, quando famulis Dei dicentibus, gementibus, & aperientibus infirmitates suas, non creditis: non sunt ergo necessarii testes, non sunt necessaria jurata documenta, quibûs probetur dolor infirmi fratris, ipse infirmus famulus Dei, testis est sufficiens doloris sui, & eô ipsô sufficiens, quia famulus Dei est: unde non sine causa dixit S. Legislator: *famulo Dei dicenti credatur:* eô enim ipsô quia famulus Dei est, meretur primò fidem de suo dolore, deinde charitatem, ut illi succurratur.

EXPOSITIO
ET
MEDITATIO LX.

Nec eant ad balnea, sive quocunq; ire necessè fuerit, minùs quàm duo, vel tres. Et ille qui habet aliquò eundi necessitatem, cum quibus Præpositus jusserit, ire debebit.

CONsidera 1mo. Quòd S. Legislator non tantùm ad balnea, sed ad omnem omnino locum prohibeat ire unum

num & solum religiosum, sed quocunq; illi necessè fuerit eundum, ut eat cum altero, vel duobus: neq; hoc est quid mirùm, aut novum: quia sicut se habuit Christus Dominus in hoc mundo vivens respectu suorum discipulorum, ita modò se habet quilibet superior legitimus, respectu suorum subditorum: è converso, sicut se habuerunt illi antiqui discipuli respectu Christi Domini, ita modò se habent subditi respectu suorum superiorum. Porrò quando Christus Dominus missurus erat aliquos suos discipulos, vel quando discipuli ejus habuerunt necessitatem aliquò eundi, nullibi planè reperitur Christus Dominus unum misisse discipulum, & nullibi notatur unus discipulus ivisse, sed, si non plures, saltem duo mittebantur, & duo ibant quando aliqua eundi urgebat necessitas: sic quando Christus Dominus prædicaturus Evangelium, peragraturus erat multas civitates, & loca plurima, notat scriptura, quòd ante se non unum, sed duos miserit discipulos, ut constat, Lucæ 10. cap: *Et misit eos binos ante faciem suam, in omnem civitatem, & locum, quò erat ipse venturus.* Pariter quando Christus Dominus ingressurus erat Jerusalem, pro adducenda asina & pullo ejus, non unum, sed duos misit discipulos: *Tunc misit duos discipulos, dicens eis: ite in castellum, quod contra vos est.* Math: cap: 22. Si ergo Christus Dominus ita dirigebat, & disponebat suos discipulos, ut eos ordinariè mitteret duos, ita & superiores locum ipsius tenentes, debent se gerere. Si ergo discipuli Christi Domini non recusabant associati pergere, quò jubebantur: multò magis hanc sanctam consuetudinem discipuli creatorum superiorum observare, & implere tenentur, quæ consuetudo ut observetur,

expres-

expreſsè S. Legislator hoc injungit dicens: *Nec eant ad balnea, ſive quocunq; ire neceſſe fuerit, minùs quàm duo vel tres.*

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, & tamen ſingularitatem in exeundo extra clauſtrum amas, & mavis ſolus vagari, quàm aſſociatus honeſtè incedere, vide, quòd praxim ab ipſo Chriſto Domino obſervatam evertas, & Regulæ S. Legislatoris apertè contravenias, quare exclude hunc amorem ſingularitatis de corde tuo, & amore JESU Chriſti accenſus, ſtude obnixè, ut nunquam ſolitarius (niſi gravis excuſet neceſſitas) ſed ſemper aſſociatus alteri incedas.

Conſidera *2do.* Unde hoc proveniat, quòd aliqui etiam vitam communem profeſſi, potiùs malunt ſolitarii de clauſtro egredi, quàm aſſociati? hoc ergo provenit *1mo* ex ſuperbia, multi enim ſunt tales etiam religioſi, (maximè illi, qui de aliqua nobili & magna familia, vitam regularem amplexi ſunt) qui erubeſcunt cum aliis fratribus humilioribus, aut veſtitum humiliorem habentibus, in publicum exire, eô, quòd vel erubeſcant humilem illorum ornatum, vel humilem ſimplicitatem, conſequenter illos ſolos pro ſociis prætendunt, quos ſciunt eſſe genere nobiles: *2do.* Provenit ex defectu charitatis, & (ùt ajunt) confidentiæ fraternæ ad alios: cùm enim charitatem & confidentiam ad alios non habent, etiam illos ægrè ad conſortium ſuſcipiunt, adeòq; malunt ſine illis, quàm cum illis agere agenda in quolibet loco. *3tio.* Provenit ex libertate peccandi, ſeu ex animo liberè vagandi per plateas; diſcurrendi licentioſiùs, bibendi, jocandi, ludendi, &c: quâ libertate cùm non poſſint uti,

dum adjunctum habent socium, ideò, ut illa potiantur, solitarii curant exire de claustro.

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, & amas exire de claustro solitarius sine socio, vide, unde hoc vitium in te proveniat, & tibi dominatur? si ex superbia, præsertim quòd magnorum sis parentum filius, perpende, quòd Christus erat magni Patris Filius, quia Filius DEI, & tamen non erubescebat cum rudibus piscatoribus, cum publicanis, & peccatoribus incedere, & manducare. Si deinde prædictum vitium provenit in te ex defectu charitatis erga tibi æquales vitæ regularis professores, investiga, unde est in te hic defectus charitatis? cujus principium postquàm inveneris, illud propter amorem DEI abscinde, & ama hos propter DEUM, qui te priùs amavit. Si tandem præfatum vitium provenit in te ex libertate peccandi, reminiscere vocationis tuæ, expende, utrum ad peccandum venisti? an ad proficiendum? considera, ad quid libertate tuâ uti debes? an ad delinquendum? an ad merendum. Deinde quid prodest intra claustrum habitum regularem portare, & extra claustrum sæculariter te gerere, sæculariter velle discurrere, jocari, & penitùs sæcularem vitam agere, defactò meliùs tibi esset, si nunquam religiosus fuisses.

Considera *3tio.* Quòd non satis sit ad perfectum vitæ regularis statum, associatus de claustro in publicum egredi, non satis sit comitem viæ, testem vitæ, socium morum assumere, sed insuper requiritur, ut hic comes viæ, testis vitæ, & socius morum assumatur, non ex proprio libitu, & complacentia sua, vel arbitrio, sed ex superioris dispositione, & libera voluntate, ùt expresè man-

dat

dat S. Legislator dicens: *Et ille, qui habet aliquò eundi necessitatem, cum quibus Præpositus jusserit, ire debebit.* Et ratio hujus est, quando libenter cum illo ibimus, cum quo Præpositus ire jubebit, exercebimus actum obedientiæ, & merebimur: si autem ex propria voluntate socium elegerimus, contrarium faciemus, adeòq; à profectu regulari deficiemus. Deinde solus superior scit, & scire debet, quæ, & quales personæ sunt omninò necessariæ in collegio, solus ille scit, & scire debet, quorum aliquis sit associandus alteri, item quorum aliquis est concors, & conformis alteri, quorum aliquis convenit, vel disconvenit alteri, adeòq; ille solus viros religiosos extra claustrum egredientes ita debet disponere, ut illi in publico existentes, bene sibi conveniant, ut sint conformes & concordes secum, ut ubiq; vitam religiosam in charitate præferant, & ita se gerant, ut nihil in ipsis appareat, quòd cujusquam offendat aspectum. Si autem quilibet juxta suum placitum eligat sibi socium, plerumq; deest horum omnium necessaria maximè diligentia, & inde fit, quòd egredientibus extra claustrum viris religiosis, scandala eveniant, quòd tales secum jungantur, qui sibi plerumq; sunt è diametro contrarii, & sic disparibus bobus non bene trahitur currus, consequenter scandalum evenit. Tandem ordinariè dissoluti amant dissolutorum societatem, ebriosis ebriosorum placet consortium, refractariis & inobedientibus refractariorum & inobedientium arridet familiaritas, consequenter si cuilibet pro placito suum liceret eligere socium, tunc dissoluti dissolutos, ebriosi ebriosos, refractarii refractarios eligerent, ut liberiùs dissolutioni, compotationi, & inobedientiæ indulgerent. Ne ergo hæc eve-

niat inconvenientia, ad superiorem pertinet, ut dissolutis modestos, ebriosis sobrios, refractariis obedientes, infirmis fortes, imprudentibus prudentes, rudioribus doctos, incautis providos jungat.

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, minùs justè agis, quando prætendis illum tibi assignare socium, qui tuo placet arbitrio, non debes hoc prætendere, sed potiùs debes conformari voluntati & dispositioni superioris, qui meliùs novit ingenium & conditionem subditorum, quàm tu; & meliùs quàm tu potest judicare, quid tibi, & tuæ saluti, vel honestati publicæ prodesse possit.

EXPOSITIO ET MEDITATIO LXI.

Ægrotantium cura, sive post ægritudinem reficiendorum, sive aliqua imbecillitate, sive etiam febribus laborantium, uni alicui debet injungi: ut ipse de cellario petat, quod cuiq; opus esse perspexerit.

COnsidera *1mo.* Quòd licèt S. Legislator multa & in gravibus virtutibus exercendis dederit præcepta, tamen si totam Regulam percurramus, de nulla alia re ita frequenter commemorat & loquitur, quàm de diligentia facienda circa infirmos: quia in nulla alia re magis, frequentiùs, & faciliùs peccari solet in Religionibus, quàm in subtractione diligentiæ circa infirmos. Prælati enim cùm sint ipsi sani, & cùm illis serviatur ab omnibus, plerumq;

rumq; hanc diligentiam omittunt, vel ex eo, quia sunt occupati circa publica Ordinis negotia, vel ex eo, quia contingunt indiscreti & nimis rigorosi in observantia regulari, vel etiam ex eo, quia ipsi omni sufficientiâ pleni, & omnem commoditatem habentes, nesciunt compati afflictis, & omni commoditate destitutis. Procuratores autem domûs, dispensatores, aliiq; rei domesticæ præfecti, tales plerumq; sunt, qualis ipsorum Prælatus, imo aliquando deteriores, partim sub eo prætextu, quia non habent hanc ordinationem à Prælato, partim etiam ex eo, quia plerumq; malunt ipsi occultè cum aliis extra horam tractari hîs, quibûs deberent reficere infirmos.

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, & simul ex vi officii teneris ordinare curam, & diligentiam circa infirmos, vide, si non frequentissimè ex tua causa, peccatur in negligentia circa charitatem infirmis præstandam. Si ita est, recordare, quòd nullam virtutem in sua tota Regula frequentiùs, quàm diligentiam circa infirmos recommendet, adeòq; ex hoc ipso inferre potes, quàm obnixè & punctualiter voluit eam observari: nec immeritò, DEUS enim misericordiam præfert ipsi sacrificio, ut colligi potest ex hoc Christi Domini oraculo: *Euntes discite, quid est, misericordiam volo, & non sacrificium.* Unde ipse Christus Dominus sicut omnes alios, ita & hos, qui ad id ex vi officii tenentur, provocat, allicit, & invitat, ad præstandam misericordiam, dicens: *Estote misericordes, quia & Pater vester misericors est.*

Considera *2do.* Quòd S. Legislator multorum ægrotantium reficiendorum, & quacunq; infirmitate oppressorum, curam, non multis ministris, non multis procuratori-

toribus, aut æconomis, aut officialibus, sed tantùm uni ex his injungendam esse mandat, dum inquit: *Uni alicui debet injungi:* nimirùm per hoc damnare voluit aliquorum ignaviam, & ægrotantium providere meliori bono: damnare voluit aliquorum è nobis ignaviam, quia nos quando plerumq; ex prudentissima superiorum dispositione, tanquam sufficientes ab illis judicati, aliquot diversis, vel iisdem, sed aliquô modô pluribus destinamur negotiis, aut unico multarum personarum negotio, statim hanc superiorum dispositionem pro importabili reputamus onere, & ibi judicamus superiores indiscretos, ubi nos sumus desides & ignavi. Ut ergo S. Legislator hanc desidiam nostram removeret à nobis, etiam plurium curam uni injungendam esse mandavit, & sic ostendit, quòd etiam unus, plurium commodo inservire valeat, consequenter, quòd non possit superiorem judicare indiscretum, casu quo multorum solicitudinem uni commendaret. Deinde S. Legislator providere voluit meliori infirmorum bono, quia ubi unus tenetur habere multorum curam, ibi meliori ordine res currunt, siquidem non habet alterum, qui pro ipso idem munus obeat, ubi autem multi ad idem regendum, vel famulandum obligantur, ibi unus alterum respicit, unus in alterum causam rejicit, & plerumq; nullus quidquam præstat, & interim ægrotantes sua privantur commoditate: Ne ergo hæ inter multos eveniant contentiones, S. Legislator etiam multorum curam, uni injungendam esse mandavit, ut ille unus solicitudinem agat, & non habeat, super quem causam imponat, si aliquando debita infirmis commoditas defuerit.

Si ergo aliquando etiam tibi uni multorum cura injungatur, non reputa id esse tibi impossibile, & supra vires tuas, quia si hoc foret impossibile, S. Legislator illud non injungeret, quare suscipias in meritum obedientiæ, ne tibi cedat in demeritum ignaviæ. Tandem S. Legislator per unius solicitudinem circa plures, voluit providere meliori bono ægrotantium, & tu cùm sis unus ex omnibus, eidem bono providere teneris, consequenter etiam unus multorum curam eô animô debes suscipere, quô animô vis tu ipse suscipi à DEO in extrema infirmitate.

EXPOSITIO ET MEDITATIO LXII.

Sive etiam qui cellario, sive qui vestibus, sive qui codicibus præponuntur, sine murmure serviant fratribus suis.

COnsidera *1mo.* Dum audis injunctam à S. Legislatore doctrinam, quâ juberis, ut servias fratribus tuis, ne ab hoc deterrearis obsequio, expende tria. *1mum* cuinam hoc obsequium impenditur, quando fit servitium fratri tuo. *2dum*, cujusnam personam ille gerit, aut quam imitatur, qui ex amore DEI inservit fratri suo. *3tium*, quodnam sit solarium, merces, præmium, & corona taliter inservienti? an transitoria & evanescens; an perpetua & æterna.

Quantùm ad *1mum*, cuinam hoc obsequium impendatur:

datur: quando ſit ſervitium fratri alteri ex charitate, certum eſt, quòd hoc obſequium impendatur ipſi Chriſto, & qui inſervit proximo ex charitate, & propter DEUM, ille eô ipsô inſervit DEO & Chriſto, juxta infallibile ipſius Chriſti Domini oraculum: Math: cap: 25. *Amen dico vobis, quàm diu feciſtis uni de his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* Sicut enim qui veneratur ſervum regis, propter regem, hic eô ipsô veneratur & ipſum regem, ita qui ſervit proximo propter DEUM, eô ipsô ſervit DEO.

Quantùm ad 2*dum*, cujuſnam perſonam aut munus gerat, & quem imitetur, qui ex amore DEI inſervit fratri ſuo, certum iterùm eſt, quòd gerat perſonam aut munus ipſius Chriſti Domini, qui inter alios fines, etiam hôc fine venit in mundum, ut miniſtraret, quemadmodum ipſe de ſeipſo teſtatur dicens: *Ego in medio veſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat.* Luc: 21. Et Math: 20. dicit: *Et Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare.*

Quantùm ad 3*tium*, quodnam ſit ſolarium, merces, & corona, pro dicto miniſterio, certum ſine dubio, quòd ſit æterna, perpetua, & immutabilis viſio DEI, & permanentia cum ipſo Chriſto: *Si quis mihi miniſtraverit, honorificabit eum Pater meus. Et ubi ego ſum, illic & miniſter meus erit.*

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, & conſequenter obligaris inſervire fratri tuo, interim tamen fugis hoc ſervitium, revoca tibi in memoriam, cuinam obſequium impendas, quando inſervis proximo: certè in perſona proximi inſervis ipſi Chriſto, ut jam oſtenſum eſt: perpende item, cujus perſonam geras & munus: perpende quod te ſolarium, quæ merces & corona expectet,

quæ omnia si bene & diligenter resolveris, sine dubio non opus erit brachiô superioris ad compellendũ te, in exhibendis proximo servitiis, sed ipse promptissimus ad præstanda hæc servitia excurres. Perpendas ergo hæc omnia diligentissimè, & nunquam esto tardus ad obsequia proximi: *Non pudeat te aliis servire amore JESU Christi: ne quoq; te ipso viribus destituto, pudeat alios tibi obsequi.* Thom: à Kemp: lib: 1. de imit: cap: 7.

Considera *2do.* Quòd sicut ille, qui ministrat alacriter fratri & proximo suo, eô ipsô ministrat ipsi DEO, ita ille, qui ministrat fratri suo cum murmure, hic eô ipsô ministrat ipsi diabolo, quoties enim id operamur, ad quod nos diabolus tentat, urget, allicit, & quod diabolus vult, toties ministramus diabolo & voluntati ejus, quando autem ministramus fratri cum murmure, facimus id, ad quod nos solet tentare, urgere, & allicere diabolus, hic enim vult, ut nihil libenter propter DEUM faciamus, adeòq; per hoc ipsum ministramus eidem diabolo. Pariter sicut ille, qui ministrat fratri suo libenter, eô ipsô gerit in se Personam Christi, ita ille, qui ministrat cum murmure fratri suo, hic eô ipsô gerit in se personam diaboli: diaboli enim proprium est ministrare, obedire, & inservire, sed cum murmure: nam hic ministrat, obedit, inservit DEO mandanti, sed cum murmure, imo cum blasphemia adversus DEUM, cui ministrat. Igitur qui eodem modô inservit fratri suo, eô ipsô imitatur diabolum murmurantem, & blasphemantem, consequenter gerit in sui ministerio personam diaboli, vel est similis illi: *Unde omnes murmurantes* (dicit Humbertus) *similes dæmonibus exeuntibus ad mandatum Domini, sed cum clamore.* Sicut enim dæ-

mon obedit quidem DEO, aut ministro DEI eum de corpore expellenti, facit quod jubetur, vadit quò dirigitur, evolat quò disponitur, sed in actuali suo egressu magnum clamorem, ingentem strepitum, aut ventum concitat, ita religiosi murmurationi assueti, obediunt quidem superiori, faciunt quod jubetur, vadunt quò disponuntur, & apparenter, quasi evolant ad mandatum superioris: cæterùm in actuali sua obedientia, si non apertè, saltim occultè insurgunt contra authoritatem superiorum, detrahunt dispositioni eorum, quamdiu non satisfit illorum effrænatæ passioni.

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, expende quàm incautè facias tunc, quando ministras quidem fratri tuo, sed cum murmuratione, hôc enim ipsô capitali hosti tuo nimirùm dæmoni ministras, ille ex hoc tuo ministerio consolationem, ille fructum, ille utilitatem colligit, DEO autem & tibi nihil inde relinquitur: expende item, quàm turpem & detestandam personam assumas, quando cum murmure ministras vel obedis, ecce assumis personam ipsius dæmonis, illius est munus, & officium murmurare, tu illam repræsentas, quando murmurando obedis, vel obediendo murmuras.

Considera *3tio.* Quòd murmuratio in ministrando duplex soleat contingere, una contra superiorem, altera contra æqualem nobis Murmuratio contra superiorem gravior est, quàm contra quemcunq; alium, sicut & omne aliud peccatum commissum contra superiorem est gravius quàm contra quemcunq; inferiorem alium. Hujus ergo murmurationis contra superiorem causa, est ordinariè proprium judicium, dum enim superior injungit subditis ali-

quid

quid exequendum, secundùm suum judicium & arbitrium, subditi etiam exponunt suum judicium & arbitrium, quòd superior dum prudenter non audit, & potest prudenter non audire, propter rationes suas occultas: subditi irritantur per hoc, quòd eorum judicium & sensus non fuerit auditus, & sic faciunt quod jubet superior, sed murmurant, asserentes, quòd superior nesciat judicare de rebus, quòd ignoret qualiter se negotium habeat, quòd non penetret quæ ex hoc vel illo negotio evenire possint inconvenientia, contingere detrimenta Religioni, aut incommoda. Jam autem 2dæ murmurationis, nempe contra æqualem nobis, plerumq; solet esse hoc: quòd viri religiosi destinati ad ministrandum cæteris fratribus, non exequantur hoc officium suum, eâ intentione & fine, quô exequendum est, sed vel ex consuetudine, vel ex necessitate, vel ex aliquo lucro temporali, quod dum non assequuntur, sibi ipsis irascuntur, & contra eos, quibus inservire & ministrare tenentur, murmurant. Porrò intentio & finis, ex quo viri religiosi, officia etiam abjecta suscipere debent, est perfecta charitas, obedientia, amor proximi, ac ipse DEUS: consequenter quodcunq; officium etiam servile & abjectum suscipiunt, debent illud suscipere ex charitate DEI & proximi, & merito obedientiæ, ac propter ipsum DEUM.

O si moderni viri religiosi, tali intentione officia Religionis susciperent! nunquam erubescerent abjecta exhibere obsequia, nunquam abhorrerent infima obire munia! sed ad hæc obeunda ipsi se superioribus offerrent, ipsi eos peterent, ut humilibus & contemptibilibus destinentur ministeriis. Unde quæso antiqui viri religiosi,

cum magno fervore abjectissima obibant ministeria? nisi ex eo, quia illa ex charitate ergà DEUM suscipiebant. Unde quæso tot viri sancti tam exactè vilissimis etiam personis inserviebant? nisi ex eo, quia in suis ministeriis nullum lucrum temporale, nullam utilitatem, nullum clandestinum proventum, sed solum DEUM, & animæ suæ salutem quærebant? continuò vigilabant, quotidie inserviebant, quotidie ministrabant, & tamen nunquam murmurabant, & quid eos prohibuit à dura, in duris etiam laboribus murmuratione? defactò nihil aliud, nisi perfecta charitas, perfecta obedientia, perfectus amor proximi propter DEUM. Atterebantur laboribus, & erigebantur charitate, humiliabantur ad pedes eorum, quibus ministrabant, & sublimabantur meritò obedientiæ, deprimebantur corpore ad infima & abjecta obsequia, sed attollebantur spiritu in DEUM: murmurationi autem non tantùm locum, sed nec umbram inter se unquam concesserunt.

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, expende, quali murmuratione tentaris? an contra superiorem? an contra alios tibi coæquales, quibus ministrare teneris? si contra superiorem murmurare soles, adverte, unde illa proveniat, quodsi bene investigabis, causam illius invenies proprium tuum judicium, quô putas te meliùs judicare de rebus, quàm superiorem.

EXPOSITIO
ET
MEDITATIO LXIII.

Codices certâ horâ singulis diebus petantur: extra horam qui petierit, non accipiat.

Con-

COnſidera *1mo.* Quòd licèt S. Auguſtinus demandet codices, ſeu libros certâ horâ & diebûs ſingulîs petere, tamen præſenti ætate hæc praxis petendi non ſervatur, quia ſinguli religioſi habent ſufficientiam librorum, illis pro anno, vel ampliùs conceſſorum. Quamvis autem non petantur ſingulîs diebûs libri, tamen librorum præſertim ſpiritualium lectio, non debet eſſe ſemel in anno, vel in menſe, tanquam aliquod quartuale, nec debet eſſe ſemel in hebdomada, tanquam dies dominicalis, ſed debet eſſe quotidiana, & ſingulîs diebûs. Sicut enim ad vitam corporis ſuſtentandam, non ſufficit illud ſemel in anno, vel menſe, vel hebdomada reficere, & ſi illud tantùm ſemel in hebdomada reficeremus, citò vitam ejus materialem extingueremus: ita ad vitam animæ continuandam, non ſufficit ſi eam cibô lectionis ſemel in anno, vel hebdomada reficiamus.

2da ratio eſt: continuâ hoc videmus experientiâ, quòd quicunq; ex hominibus etiam ſæcularibus, aliquod negotium tractandum arripit, vel ſtatum eligit: quotidie ad illud exequendum tendit. Sic argonauta ſolvens à littore puppim ſingulîs diebûs ad intentum ſibi feſtinat promontorium, mercator quotidie negotiatur, & deſiderat lucrari, miles excultus quotidie pugnare, vincere, triumphare; architectus ſingulîs diebûs ædificare, muſicus ludere, &c: res etiam inanimatæ, & uſu rationis deſtitutæ, raro aut nunquam ſuam à natura inditam obligationem, ſeu inclinationem intermittunt: Sic aſtrorum princeps ſol, quotidie *volvit inexhauſto redeuntia ſæcula motu:* ſedes ſolis cælum, continuò hinc & inde revocat ſuos curſus: aquæ fluviales ſingulîs diebûs fluunt, & refluunt:

ignis

ignis continuò tendit sursum &c: Vir religiosus dum sibi statum religiosum arripuit, quid aliud debet facere? nisi continuò & singulis diebûs ad suum officium exequendum tendere? officium autem statûs religiosi, non est aliud nobilius, quàm continua librorum lectio. Quod semel in anno, mense, vel hebdomada facimus, rarò ex illo facto habitum, aut facilitatem contrahimus, quod autem continuò & singulis diebûs tractamus, illud etiamsi arduum, difficile, & planè non assequibile sit, tandem facilè assequimur, quia *nihil est quod non expugnet pertinax opera, & intenta, ac diligens cura*, inquit Seneca Epist: 5. *& gutta cavat lapidem, non vi, sed sæpè cadendo.* His consideratis, expende, utrum quotidie lectioni spirituali incubueris.

Considera *2do.* Quales libri sunt legendi? Respondeo certùm esse, quòd non sint legendi libri, vanitatem, curiositatem, vel subtilitatem spirantes, sed potiùs legendi sunt libri spirituales, casti, & ad integritatem morum, vitamq; regularem informandam conducentes, quales sunt libri primò S. scripturæ, sacra enim scriptura non est aliquod inventum humanum, sed divinum à S. Spiritu dictatum, & traditum, ut habetur 2. Petri cap: 1. v. 21. *Non voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu S. inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.* Et 1. ad Timoth: 3. v. 17. *Omnis scriptura divinitùs inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, & corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.*

Scriptura S. est plenissima igne Dei, totum orbem accendente ad omne bonum, ut habetur Proverb: 30. v. 3.

Omnis

Omnis sermo Dei ignitus clypeus est sperantibus in se: ne addas quidquam verbis illius, & arguaris, inveniarisq; mendax. Scriptura sacra *vivus est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens usq; ad divisionem animæ & spiritûs, compagum quoq; ac medullarum.* Scriptura S. est tale donum Dei, in quo omnia dona cælestia toti generi humano concessa, sunt revelata, manifestata, descripta, & connotata: ita, ut qui respicit S. scripturam, eamq; humiliter, devotè, & attentè revolvit, omnia in eadem, tanquam in speculo amplissimo videre potest: ut constat ex S. Augustino, qui lib: 22. contra Faustum cap: 65. inquit: *Scriptura ut fidelis speculi nitor nullius accipit adulandam personam, sed ad laudanda & vituperanda hominum facta, illis ipsa indicat, vel legentibus judicanda proponit.* Hoc ipsum docet S. Hieronymus in Epist: ad Damasum: *Utere S. scripturæ lectione vice speculi, fæda corrigendo, pulchra conservando, & pulchriora faciendo: scriptura enim speculum est fæda ostendens, & corrigi docens.*

S. Ambrosius volens ostendere vastitatem, profunditatem, & altitudinem S. Scripturæ, appellat illam nomine maris, dum inquit: *Mare est sacra scriptura habens in se sensus profundos, altitudinem propheticorum ænigmatum, in quod mare plurima introeunt flumina: ex hujus fluminis plenitudine quicunq; acceperit, elevat vocem suam: ex hoc flumine aqua saliens in vitam æternam, quæ lætificat civitatem Dei.* Libr: 7 Epist: 44. Juxta eundem S. Ambrosium libr: 19. moral: cap: 28. *Arcus est scriptura, de qua ad corda hominum sicut ferientes sagittæ, sic terrentes sententiæ veniunt. Hunc autem DEUS tetendit, quia per scripturas peccatoribus minùs exhibet, in eo paravit vasa mortis, quia secundùm eloquii sui*

senten-

ſententiam eos, qui nunc corrigi negligunt, reprobos damnat. Tandem juxta S. Ambroſium libr: 6. Epiſt: 41. *Paradiſus eſt S. Scriptura, in quo arbor vitæ bonos fructus facit, & æternæ ſpei mandata diffundit per univerſos populos.*

In S. Scriptura eſt tanta vis & virtus, ut etiamſi homo maximè à DEO avertatur, & tenebris mundi involvatur, tamen per lectionem S. ſcripturæ poteſt illuminari & converti ad DEUM. Sic S. Legislator Auguſtinus totaliter averſus erat à DEO, & tenebris Manichæorum obumbratus, & tamen vix cœpit S. ſcripturæ relegere volumina, ſtatim converſus eſt ad DEUM, & integrè illuſtratus, ut de ipſo teſtatur Hiſtoria dicens: *Aperuit Auguſtinus codicem Apoſtolicum, & conjectis oculis ad primum Capitulum, legit: Induimini Dominum JESUM Chriſtum: & ſtatim quaſi infuſa luce ſecuritatis, ab eo omnes dubietatis tenebræ diffugerunt.* Quod factum eſt cum Auguſtino, id cum Eunucho baptizato à S. Philippo, ut conſtat Actor: C. 8. *Aperiens autem Philippus os ſuum, & incipiens à ſcriptura iſta evangelizavit illi JEſum. Et dum irent per viam, venerunt ad quandam aquam, & ait Eunuchus: Ecce aqua quid prohibet me baptizari? Dixit autem Philippus: Si credis ex toto corde, licet. Et reſpondens ait: Credo Filium DEI eſſe JEſum Chriſtum. Et juſſit ſtare currum: & deſcenderunt uterq; in aquam Philippus & Eunuchus, & baptizavit eum.*

Similem vìrtutem S. ſcripturæ, expertus eſt S. Antonius Ægyptius, qui cùm ingreſſus Eccleſiam, ex Evangelio audiviſſet: *Si vis perfectus eſſe: vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus:* tanquam ea ſibi dicta eſſent, ſic Chriſto Domino obtemperandum exiſtimavit. Hoc ipſum factum eſt cum S. Franciſco Seraphico: Cùm enim illud ex

Evan-

Evangelio audivisset: *Nolite possidere aurum, neq; argentum, neq; pecuniam in zonis vestris, non peram in via, neq; duas tunicas, neq; calceamenta:* sibi eam regulam servandam proposuit, ut patet ex vita ipsius. Pares effectus S. scripturæ auditæ & susceptæ apparuerunt in aliis multis sanctis.

S. Scriptura inducit etiam delicatissimos homines ad duram, & asperam vitam: & hoc implevit regius Propheta, dum exclamavit: *Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras.* Eadem S. Scriptura conciliat in nobis lætitiam ineffabilem, & consolationem internam superabundantem, talem, qualem se habere sperabat, & defactò habuit Propheta dicens: *Lætabor ego super eloquia tua: sicut qui invenit spolia multa.* Et inferiùs: *Eructabunt labia mea hymnum: cùm docueris me justificationes tuas.* Sacra Scriptura, eum, qui ipsam legit, & diligenter perspicit, ab omni confusione præservat, & defendit, juxta illud Prophetæ: *Tunc non confundar: cùm perspexero in omnibus mandatis tuis.*

In Sacra Scriptura reperies mirabilia DEI, quæ fecit in cælo, mari, & in terra; invenies ibi initium & finem mundi, invenies cor obduratum Pharaonis, & aquis maris rubri submersum, invenies populum Israëliticum murmurantem, & statim pænas suæ murmurationis lugentem. Advertes ibi mansuetudinem Moysis, obedientiam Abrahæ, innocentiam Loth, pietatem Tobiæ sepelientem mortuos, lachrymas Annæ, pænitentiam David & Magdalenæ, sapientiam Salomonis & vanitatem, superbiam Antiochi & avaritiam miserè sese consumentem; leges fortitudinem Machabæorum, fidem intaminatam trium Puerorum, patientiam Job, devotionem, jejunium, & dexteritatem Judith. Quodsi ulteriùs progredieris, videbis

mysteria Dei revelata, ut Incarnationis, Nativitatis, Passionis, & Mortis Domini nostri JESU Christi, ut supr i dixi, agendo de Psalmis.

Tandem S. Augustinus Epist: 2. ad Volusianum, profunditatem & dignitatem gloriosissimè descripsit, dum inquit: *Tanta est Christianarum profunditas literarum, ut in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia usq; ad decrepitam senectutem maximo otio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere, in quibus latet altitudo sapientiæ, ut animosissimis, acutissimis, flagrantissimisq; cupiditate discendi hoc contingat quod eadem scriptura quodam loco habet: cùm consummaverit homo, tunc incipiet.*

Habitîs ergo tot documentîs pro dignitate, efficacia, & virtutibus S. Scripturæ expositîs; exemplô S. Augustini quotidie in legenda & implenda S. Scriptura proficias, & proficere desideres: postquam autem S. Scripturæ lectionem consummaveris, judica de te ipso, quòd modo primùm incœperis.

Considera *3tio.* Utrum persistendum sit in sola lectione sacrarum scripturarum, an verò adhibenda sit etiam alia lectio? *v.g.* librorum spiritualium Sanctorum Patrum & Ascetarum? defactò cuilibet viro religioso non est persistendum in sola prædicta lectione sacrarum scripturarum, sed etiam omnino legendi sunt libri spirituales, Sancti Patres, & Ascetæ. Sacra enim Scriptura, licèt in se contineat mysteria, licèt altissima in se habeat eloquiorum Divinorum Sacramenta, licèt mirabilia Dei verissimê, & infallibiliter proferat, tamen etiam multa in se ænigmatica, & nullo captu hominis perceptibilia profert oracula; proinde ne ab illarum abscondita suavitate, & mirabili

bili

bili dulcedine, protunc inſenſibili, deterreamur, convertere etiam nos debemus ad revolvenda Sanctorum Patrum, Aſcetarum, & doctrinarum ſpiritualium volumina, ut ex illis hæc, quæ penitùs non intelligimus, pro modulo gratiæ, & virium noſtrarum aliquid percipiamus. Scriptura ſacra alibi ſecundùm literam, alibi ſecundùm ſenſum multiplicem intelligenda eſt, itaq; ut ſciamus, ubi taliter vel aliô modô ſit capienda? alio recurrendum erit: certum enim eſt, quòd aliquando litera occidit, ſpiritus vivificat.

Sed ſpecialiter vir religioſus, præſertim incipiens, vel etiam à profectu regulari deficiens, legere debet libros ſpirituales, & Aſceticos: in his enim docetur, quomodò vitæ regularis exordia incipere debeat, in his eruditur, quomodò, quantùm, & quando ſit obligatus proficere, in his admonetur de correctione vitæ, quando ab illa defecit, vel deficere incipit. Per lectionem librorum ſpiritualium & Aſceticorum accenditur ſpiritus ad profectum regularem, aſſurgit fervor devotionis, accreſcit zelus charitatis, augetur amor eorum bonorum, ad quæ ex vi ſuæ profeſſionis obligatur tendere vir religioſus.

Ubi viget lectionis ſpiritualis frequentia, ibi deeſt peccatorum numerus: ubi continuatur piorum Aſcetarum interrupta revolutio, ibi deficit, ſi quæ ſeminata fuerit, reſidentium imperfectio: ubi religioſa pectora immorantur piorum exercitiorum occupationi, ibi faciliùs adhærent cæleſti converſationi. Cæleſtis enim converſatio conſiſtit in cognitione & amore DEI; qui autem incumbit lectioni aſceticæ, venit primò in cognitionem DEI, ex illis, quæ ſimpliciter, candidè, & ſincerè legit, deinde

ex hac cognitione vera & vivida, procedit ad amorem DEI, & ſic ad imitationem quandam cæleſtis beatitudinis, acquirit in terra talem (qualis fieri poteſt) beatitudinem, conſiſtentem in cognitione ſeu viſione DEI, & amore gaudioſo illi proportionato, conſequenter dum prædictæ lectioni immoratur, cæleſti converſationi præſens eſt.

Jam autem ubi deeſt prædictæ lectionis frequentia, ibi viri religioſi hac cæleſti converſatione privantur, & planè omnibus bonis deſtituuntur, ignorant quantùm, quomodo, & quando proficere debeant, officia divina, & alia exercitia quotidiana tepidè abſolvunt, nullum guſtum, voluptatem nullam, internam conſolationem nullam percipiunt, in obeundis ſuis muniis, quando aliquo caſu vel occaſione perturbantur, vel ab aliquo impetuntur, ſtatim aut dejiciuntur animô, aut deſperant, aut ſuperioribus reſiſtunt, aut intra ſe ipſos afflictione conſumuntur; ſe ipſos autem nullatenus conſolari ſciunt, quia illud unde conſolari poſſent, nunquam adhibent. Hoc enim quô ſe conſolari poſſent, eſt viva & continua lectio libri ſpiritualis, hanc autem ſiquidem non exercent, unde ergo ſe ipſos conſolari poſſunt? Ex hoc defectu lectionis ſpiritualis evenit illud, quòd viri religioſi nunquam habeant cogitationem iſtam, aut mentionem, aut faciant aliquod bonum opus ideo, quia hoc Regula jubet, conſtitutiones præſcribunt, & ſtatuta Ordinis obligant, ſed potiùs omnia agunt vel ex conſuetudine, vel ex habitu, vel ex neceſſitate, vel ex caſu.

Noverunt hæc detrimenta provenire ex defectu lectionis ſpiritualis, illi antiquiſſimi & doctiſſimi Patres ſacrarum Religionum Fundatores, & Reſtauratores, & ideo con-

continuam & quotidianam lectionis spiritualis frequentiam diligentissimè injunxerunt. Sic S. Benedictus Patriarcha & Fundator, in sua Regula expressè demandat eandem singulis instituti sui cultoribus, hîs verbîs: *Omni tempore, sive jejunii, sive prandii, mox ut surrexerint à cœna, sedeant omnes in unum, & legat unus collationes, vel vitas Patrum, aut certè aliquid, quod ædificet audientes.* Et infra: *Mox accedant ad lectionem collationum, & lectîs quatuor aut quinq; foliîs, vel quantùm hora permittit, omnibus in unum occurrentibus, per hanc moram lectionis: si quis fortè in assignato sibi commisso fuerit occupatus, occurrat.* Pariter Eminentissimus sanctitate, scientiâ, & purpurâ, Divus Bonaventura, idem propositum & studium obnixè commendat suis fratribus, dum in sæculo disciplinæ par: 2. c. 7. inquit: *De quotidiana lectione aliquid quotidie in ventre memoriæ dimittendum est, quod fideliùs digeratur, & rursum revocatum, crebriùs ruminetur, quod proposito conveniat, quod intentioni proficiat, quod detineat animum, vel aliena cogitare non libeat.*

S. quoq; Legislator noster, non erat contentus hoc, quod lectionem spiritualem in sua Regula tempore mensæ faciendam injunxerit, sed etiam hìc repetitis vicibus, eandem commendat, injungit, & præcipit, dum inquit: *Codices certâ horâ singulîs diebûs petantur*, quô ipsô repetitô, innuere voluit, quòd sui instituti professores, ultra communem lectionem spiritualem, tempore mensæ haberi solitam, debeant frequentare aliam, & quidem singulîs diebûs, hoc est quotidie.

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, totas vires, totum conatum, & totam activitatem potentiarum tuarum, adhibe lectioni spirituali, si vis toto conatu salvus

vus fieri: nam D. Chryſoſtomus hom: 2. de verb: Iſaiæ inquit: *Neq; enim nunc fieri poteſt, ut quiſquam ſalutem aſſequatur, niſi perpetuò verſetur in lectione ſpirituali*: quare & tu ſalutem aſſequi non poteris, ſi continuò in lectione ſpirituali non verſaberis. Ut ergo illam aſſequaris, *lege ſanctorum vitam & doctrinam, ut comparatione eorum ſemper humilieris, & inſtruaris, & accendaris ad devotionem, & provoceris ad ſtudium, & informeris in intellectu ſcripturarum, & illumineris ad fidem, & ſcias diſcernere verum à falſo, bonum à malo, vitium à virtute, & remedia vitiorum ac tentationum.* S. Bonaventura Tract: infor: novit: c. 14.

Conſidera *4to.* Quinam debeant incumbere lectioni ſpirituali? S. enim Legislator licèt injungat ſingulîs diebûs libros eſſe petendos, & conſequenter legendos, tamen non exprimit, quinam debeant eoſdem petere, & legere. Lectioni itaq; librorum ſpiritualium debent incumbere *1mò* Incipientes ſeu novitii, & profeſſi recentiores, quod enim præſtat infantibus lac maternum, hoc incipientibus & tendentibus ad vitam regularem amplectendam, præſtat lectio ſpiritualis. Unde ſicut infantes lacte maternô nutriti, ordinariè (niſi aliquid obſtet) citò fiunt vividi, pingues, corpulenti, hilares, & fortes; ita incipientes viam ſtatûs religioſi, dum lacte ſpiritualis lectionis quotidie aluntur, brevi tempore pingueſcunt in ſpiritu, vivificantur in anima, fortes evadunt contra tentationes carnis & dæmonis, & tantâ lætitiâ internâ replentur, ut vilipendant omnia anteacta mundana gaudia. Hinc ſequitur ulteriùs, quòd ſicut impoſſibile eſt infantem recenter natum ſine lacte nutrire, educare, & vividum reddere; ita impoſſibile eſt infantem religioſum, vel modoprimùm tenden-

tem

tem ad statum vitæ regularis, impossibile inquam est taliter educare, ut ille sit perfectus religiosus, pinguis in spiritu, fortis in tentatione, dexter in adversitatibus, victor in tribulationibus.

Deinde nemo legere didicit sine syllabis literarum, & nemo syllabisare potuit sine ipsis literis: pariter sine Etymologia Grammaticus, sine arte fingendi Pòëta, sine ornatu verborum Orator, sine Dialectica Philosophus, tandem sine principiis ex fide revelatis Theologus, aut sine docendo Doctor. Lectio spiritualis est quoddam syllabum seu alphabetum virorum incipientium, volentium discere literas perfectionis: est quædam Etymologia vel Syntaxis tendentium ad acquirendam illam Grammaticam, quæ docet declinare malum, & facere bonum: est item ornamentum verborum à Spiritu Sancto dictatorum, per quæ acquiritur Rhetorica cælestis: est item lectio spiritualis Dialectica compendiosa, per quam comparatur illa Philosophia, de qua dicebat Vir quidam sanctus: *JESUS & MARIA, mea Philosophia.* Tandem eadem lectio spiritualis habet se per modum principiorum revelatorum, per quæ incipientes assequuntur Theologiam beatorum, ac ipsum DEUM: consequenter sine adminiculo ejusdem lectionis spiritualis, nullus incipiens potest esse perfectus religiosus, ita, sicut nemo potest esse sine Dialectica Philosophus, sine docendo Doctor verus. Quantùm ergo crudelis esset, qui lac maternum subtraheret infanti, ne illô nutriatur: tantùm crudelis est ille, qui lac lectionis spiritualis subtrahit incipientibus, ne illô reficiantur; quantùm item imprudens esset, qui vellet legere sine notitia literarum, philosophari sine scientia Dialecticæ, vel

agere

agere Theologum ſine principiis revelatis, tantùm imprudens eſt, qui tendit vitam regularem acquirere, ſine adjutorio lectionis ſpiritualis.

Accedit, quòd qualem quis eligit ſibi vitam, aut ſtatum, tales ad illum aſſequendum præmittit lectiones, & operationes; & ſic qui ſibi eligit ſtatum militarem, militaribus incumbit ſtudiis, qui heroicum, heroicis, qui ſenatorium, ſenatoriis, qui regium, regiis ſe interponit curis: parî modô qui ſcholaſticum vivendi modum intendit, ſcholaſticis ſe accingit laboribus, qui autem ſæculariter vult vivere, ſæcularibus negotiis immergitur, ſæcularia veſtimenta, ſæculares libros, & ſæcularia omnia tractat. Quilibet vir incipiens ſeu tendens ad augem perfectionis religioſæ, dum ſibi eligit vitam religioſam, eo ipso eligit vitam ſpiritualem: vita enim religioſa ſpiritualis eſt, proinde lectio ipſius non alia debet eſſe, niſi ſpiritualis: ſtudium ipſius non aliud debet eſſe, niſi ſpirituale: occupatio non alia, niſi ſpiritualis. Si enim aliam occupationem arripiant, ſi ſe ad externa negotia divertant, ſi curas ſæculares tractent, negotia relicta in ſæculo iterùm reaſſumant, ita, ut à lectione ſpirituali penitùs vacent, tantùm proficiunt, quantùm pueri nondum adulti, gymnaſium aliquod tantùm pro forma frequentantes, vel volentes quidem aliquid formaliter & expreſsè addiſcere, ſed nolentes alphabeto & ſyllabo literarum juxta modum præſcriptum attendere.

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, vel in vita juxta Regulam S. Legislatoris amplectendam incipiens es, aut infans? ſi vis in eadem fieri veteranus, & conſummatus, primariò & principaliter reficiaris quotidie lacte ſpiritualis lectionis. Con-

Considera 5to. Quòd sicut incipientes, ita & proficientes, ac multorum annorum religiosi, non debent deserere frequentiam lectionum spiritualium: nam subsidia perfectionis acquirendæ à proficientibus, non sunt distincta à subsidiis incipientium, cùm autem lectio spiritualis sit speciale subsidium ad prædictam perfectionem obtinendam, ideò proficientes non possunt licitè ab illa recedere. Sicut enim remorum adjutoria, aliaq; instrumenta navigandi, non solùm tunc sunt necessaria argonautis, quando incipiunt mittere à littore navim, & mare ingrediuntur, sed etiam tunc, quando erunt in medio mari, vel in quacunq; parte ipsius: ita viris religiosis, non solùm tunc adhibenda præsidia lectionis spiritualis, quando relicto littore mundi, mittunt se in mare vitæ regularis, sed etiam tunc, quando sunt in medio ejusdem. Mergitur in profundum, qui in medio mari remos ad navigandum non adhibet, incidit in scyllas & mille pericula, qui in mediis fluctibus sine anchora dimittit navim: eodem modô cadit in abyssum peccatorum, qui in tractu ulteriori vitæ regularis, sine adminiculo lectionis spiritualis vult se gerere; deficit penitùs à fine suæ professionis, qui solis initiis divina eloquia præmittit, reliquis autem progressibus eadem subtrahit.

Qui vult perfectè proficere in aliquo genere artis vel scientiæ, non satis est ab initio discere, non satis est in principio lectioni incumbere, sed tam diu in illa perseverandum, quàm diu perfectum aliquid non acquiritur. Aspiciamus quid faciunt doctissimi, versatissimi, & subtilissimi scientiarum magistri, & non desistunt esse librorum discipuli, jam plurimi ex illis sunt doctores, aliosq;

actualiter docent, & tamen ipsi non erubescunt doceri à libris: continuò aliorum doctorum revolvunt tomos, scrutantur volumina, percurrunt capita & indices, & nunquam hujus sunt sensus & opinionis, quòd solis initiis docendi, vel discendi præmittenda sit prædicta diligentia, sed quotidie continuant, nullumq; planè tempus sibi concedunt, quô à lectione scholastica vacare possent. Vita regularis magna scientia est, notitia quærendi perfectionem religiosam, altissima sapientia est, hanc igitur qui conatur assequi, non sufficit tantùm prima initia lectioni consecrare, sed etiam in medio cursu illius ad idem studium incumbendum est. Viri enim proficientes, fiunt plerumq; & creantur scientiæ religiosæ magistri, & professores, adeòq; ut perfectè docere, utiliter instruere, salutariter informare alios possint, debent non tantùm pro sua, verùm etiam pro aliorum informatione legere. Si autem scientiarum speculativarum cultoribus, etiam magistris, professoribus, & doctoribus, non sufficit tantùm ab initio sui magisterii incumbere lectioni scholasticæ, quantò magìs non debet sufficere regularis scientiæ præceptoribus, sola nonnisi primordia docendi consecrare studio spirituali: cùm ab hac dependeat salus animæ, non autem ab illa.

Qui ergo in vita regulari jam proficiens es, habeas id certum, quòd non tantùm illis initiis præmittenda sit lectio spiritualis, quibûs exordimur vitam regularem, sed etiam ulteriori tractui vitæ nostræ adhibenda est: expende igitur, utrum eam hactenus non neglexisti?

Considera *6to.* Quòd ultra genus incipientium, & proficientium religiosorum, datur adhuc tertium genus, nempe per-

pe perfectorum. Porrò per genus religiosorum perfectorum, intelliguntur illi, qui jam passiones animi & corporis perfectè domârunt, & in vita regulari consummati sunt, ita, ut in illis reluceat vera imago religionis, exemplar sanctitatis, & totius perfectionis compendium. Cæterùm, etiam hi quamvis ita perfecti, non debent esse liberi à frequentatione quotidianæ lectionis spiritualis: quia nemo, quantumcunq; perfectus sit, potest de se ipso judicare, quòd ita perfectus sit, vel perfectior aliîs, sed cujuslibet judicium de se ipso debet esse tale, ut putet se esse imperfectissimum, debet quantùm potest tendere ad perfectionem, per subsidium lectionis spiritualis.

Quamvis aliquis sit omnibûs numerîs absolutus, seu in omni possibili genere perfectus, tamen non est ita perfectus & stabilis, ut cadere non possit, siquidem *etiam justus septies in diem cadit:* unde Thomas à Kempis libr: de imit: C. 3. inquit: *Omnis perfectio in hac vita quandam imperfectionem sibi habet annexam, & omnis speculatio nostra quadam caligine non caret.* Nullus ergo homo potest confidere suæ pietati, compositioni morum, & mortificationi passionum, potest enim supervenire tentatio super hominem, potest illum infestare, vincere, & hæc omnia diruere. Proinde, ut faciliùs, etiam vir perfectus, casum peccati vitare possit, ut fortiùs tentationi supervenienti resistere valeat, debet se continuò præmunire frequentatione lectionis spiritualis. In hac enim, dum alienos casus legimus, à nostris præcavemur, dum alios tentatos, & postea victos revolvimus, contra hanc pugnam, & cladem, aliena clade cautiores evadimus.

Multi fuerunt tales, qui per totam vitam suam piè,

sanctè, & rigorosè vixerunt, & ita perfecti evaserunt, ut illis nihil deesse videretur, & tamen cùm sibi præsumerent & confiderent, supervenit urgens & vehementissima tentatio, & mox per illam planè in instanti prostrati extiterunt. Perfectus fuit David, perfectus Salomon, perfecti in statu innocentiæ fuerunt primi Parentes nostri, & tamen superveniente tentatione victi sunt, & triumphati. Parî modô, licèt aliqui viri religiosi videantur sibi perfecti, nunquam debent sibi confidere, sed continuò timere, & sperare, sperando lectioni spirituali incumbere, ut contra tentationes vincendas fortiores efficiantur.

Sicut ergo in exercitu non solùm tyrones, vel proficientes, sed etiam veterani milites, nunquam debent in castris, vel in acie consistere sine armis, specialiter, si præsentem sibi à fronte, vel à tergo sentiant hostem; ita viri religiosi, non solùm incipientes, aut proficientes, sed etiam veterani & sufficienter exercitati in spiritu, nunquam debent existere in campo hujus mundi, absq; armis lectionis spiritualis, maximè, quòd nobis præsentissimi insidientur hostes, mundus, caro, & diabolus. Quamvis fuerint perfectissimi veterani milites, & probatissimi in arte militari, tamen, si eos hostis exarmatos inveniet, facillimè eos vincit, triumphat, & exterminat: pariter licet versatissimi fuerint in via regulari antiqui dierum & virtutum senes, tamen sine difficultate superantur, si armaturâ lectionis spiritualis muniti non fuerint.

Tandem omnis perfectio creata ad quemcunq; gradum perfectionis ascenderit, nunquam potest esse ita perfecta, ut ampliùs non possit augeri, (solus enim DEUS est ita perfectus, ut ejus perfectio nec augeri, nec minui pos-

ſit) adeòq; & vir religioſus nunquam poteſt ad illum perfectionis devenire apicem, ut non habeat, quò ulteriùs progrediatur, quodſi non poteſt ita ſublimiter aſcendere, manifeſtum eſt, quòd habeat in quo perficiatur, per ſtudium lectionis ſpiritualis.

Qui ergo in vita regulari perfectus es, vel tibi perfectus eſſe videris, nunquam te ita perfectum putes, ut tibi nihil deſit, adeòq; quod tibi deeſſe invenies, in illo per lectionem ſpiritualem fias perfectior: nunquam confide pietati, & conſcientiæ tuæ, quia & tu, quantumcunq; perfectus fueris, cadere poteris, & fieri ſimilis hominibus: conſequenter ne cadas, quotidie ad exercitium ſpirituale aſſurge: nunquam id aſpicias, quod aliquando feciſti in Religione, ſed quod facturus es, & facere debes, & hôc modô facilè caſum vitabis, & gradum in profectu aſcendes. *Una eſt autem cautio & ſecuritas, quando, non quantùm aſcendimus, reſpexerimus, & ita ſuperbam, & elatam mentem evaſerimus: ſed quantùm reſtat aſcendendum, conſpicati fuerimus.* S. Chryſ: in Pſal: 119.

Licèt autem incipientes, proficientes, & perfecti teneantur ad exercitium lectionis ſpiritualis, tamen ſcrupuloſi licitè ab illa vacare poſſunt, imo per ſuperiores obedientiâ adſtringuntur, ut à lectione ſpirituali amoveantur, ne majoribûs ſcrupulîs obruantur.

Conſidera 7mo. Quomodo ſint legendi libri, ſive ſacræ ſcripturæ, ſive quicunq; ſpirituales, & aſcetici? Libri ergo prædicti, ut utiliter legantur, debent legi cum aliquo duce, ſeu directore, ac præceptore, qui nos in illis, quæ intelligere non valemus, erudiat, informet, & inſtruat: unde S. Legiſlator quemlibet talem reprehendit,

qui

qui ſacros libros ſine duce legere præſumit: inquit enim Tom: 6. lib: de utilit: creden: cap: 7. *Itane eſt? nulla imbutus Poëticâ diſciplinâ, Terentium, Maurum ſine magiſtro attingere non audebis, Aſper, Cornutus, Donatus, & alii innumerabiles requiruntur, ut quilibet Poëta poſſit intelligi, tu in eos libros, qui quoquô modô ſe habeant ſancti, tamen divinarum rerum pleni, prope totius generis humani confeſſione diffamatur, ſine duce irruis? & de his ſine præceptore audes ferre ſententiam.*

2dus modus legendi utiliter ſacros libros, eſt, ut lectioni adjungamus operationem, ſeu ut hoc, quod legimus, exequamur in opere: unde S. Legislator ſacrarum ſcripturarum lectionem appellat divinæ beatitudinis præcognitionem, illum verò, qui id exequitur, quod legit, vocat beatiſſimum, dum inquit Tom: 10. ſerm: 112. *Sed ille beatiſſimus eſt, qui divinas ſcripturas vertit in opere.*

3tius modus legendi ſacros libros eſt, ut eos legamus in humilitate, ſimplicitate, & fidelitate: unde Thomas à Kempis libr: de imit: c. 5. inquit: *Si vis profectum haurire, lege humiliter, ſimpliciter, & fideliter: nec unquam velis habere nomen ſcientiæ.*

4tus modus legendi libros ſacros eſt, ut illos legamus ex charitate, nam (ut inquit Thom: à Kempis libr: de imit: c. 15.) *ſine charitate opus externum nihil prodeſt: quidquid autem ex charitate agitur, quantumcunq; etiam parvum ſit, & deſpectum, totum efficitur fructuoſum.*

5tus modus legendi ſacros libros eſt, ut illos legamus ex fine, motivo, & intentione mortificandi vitia noſtra, & paſſiones, non autem, ut doctiores, & ſapientiores videamur ab hominibus: unde inquit idem Thomas à Kem: *Nunquam ad hoc legas verbum, ut doctior, aut ſapientior poſſis vide-*

videri, ſed ſtude mortificationi vitiorum, quia hoc ampliùs tibi proderit, quàm notitia multarum difficilium quæſtionum.

6tus modus legendi ſacros libros, eſt moderatio, hoc eſt, ut prædictos libros moderatè, & paulatim legamus, non autem ita, ut omnia velimus ſimul comprehendere, & ſcire, *quia, nec paſſim carpenda ſunt, nec avidè invadenda univerſa, per partes pervenitur ad totum. Aptari onus ſufficere poſſumus. Non quantùm vis, ſed quantùm capis, hauriendum eſt, bonum tantùm habe animum, capies, quantùm voles.* Seneca Epiſt: 108.

7mus modus eſt, ut non legamus ex ſola curioſitate, quia *væ illis, qui multa curioſa inquirunt, & de via DEO ſerviendi parùm curant,* inquit Thomas à Kempis. Præterea idem cap: 5. de imit: inquit: *Curioſitas noſtra ſæpè nos impedit in lectione ſcripturarum, cùm volumus intelligere, & diſcutere, ubi ſimpliciter eſſet tranſeundum.*

8vus modus legendi ſacros libros eſt, ut in illis veritatem quæramus, & non eloquentiam. Et ita docet idem Thomas à Kempis cap. 5. *Veritas eſt in ſcripturis ſanctis quærenda, non eloquentia. Omnis ſcriptura ſacra eô ſpiritu debet legi, quô facta eſt. Quærere potiùs debemus utilitatem in ſcripturis, quàm ſubtilitatem ſermonis. Ita libenter devotos, & ſimplices libros legere debemus, ſicut altos, & profundos.*

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, nunquam ſacros libros legas ſine duce, aut directore tali, qui te poſſit in omnibus dubiis reſolvere, in obſcuritatibus illuminare, in perplexitatibus viam rectam oſtendere: quodſi erubeſcis ab altero doceri, vel informari, loquor ad te verbîs S. Auguſtini: (Tom: 3. lib: 1. de doctr: Chriſtiana in Prologo.) *Caveas tales tentationes ſuperbiſſimas, & peri-*

periculosissimas, magisq; cogites & ipsum Apostolum Paulum, licèt divinâ & cælesti voce prostratum, & instructum, ad hominem tamen missum esse, ut sacramenta perciperet, atq; copularetur Ecclesiæ; & Centurionem Cornelium, quamvis exauditas orationes, ejusq; eleemosynas respectas Angelus nuntiaverit, Petro tamen traditum imbuendum, per quem, non solùm sacramenta perciperet, sed, & quid credendum, quid sperandum, quid diligendum esset, audiret. Sicut autem prævio duce vel instructore, ita & in charitate, humilitate, compunctione cordis, & moderatione, cures insistere prædictæ lectioni sacrorum librorum, curiositas autem discendi, vel ambitio vanæ gloriæ penitùs absit: quodsi aliter insistes prædictæ lectioni, scias: *quòd veniet tempus, quô apparebit Magister magistrorum Christus, Dominus Angelorum, cunctorum auditurus lectiones, hoc est singulorum examinaturus conscientias, & tunc scrutabitur Hierusalem in lucernis, & manifesta erunt abscondita tenebrarum, tacebuntq; argumenta linguarum.* Thom: à Kem:

Considera *8vo.* Postquàm S. Augustinus mandaverit codices, seu libros esse petendos, & consequenter legendos, adjunxit alterum mandatum: *Extra horam, qui petierit, non accipiat:* ut discamus, quòd petitiones nostræ debeant fieri certîs & præscriptîs horîs: si enim fierent quacunq; horâ, pro placito nostro, tunc ordo rerum inverteretur, superiores perturbarentur, & nunquam haberent quietem, ab importunis requisitionibus, neq; securè, vel breviusculô somnô se reficere possent, & sic omnia confunderentur. Quod autem S. Augustinus dixit de petendis codicibus, id potest extendi ad omnes alias petitiones, in quacunq; materia, ut scilicet debitîs, certîs, & captatîs horîs omnia proponantur, petantur, vel requirantur. Hæc doctri-

doctrina fundamentum habet Ecclesiast: cap: 3. ubi dicitur: *Omnia tempus habent, & suis spatiis transeunt universa in cælo. Tempus nascendi, & tempus moriendi. Tempus plantandi, & tempus evellendi, quod plantatum est. Tempus occidendi, & tempus sanandi. Tempus destruendi, & tempus ædificandi. Tempus flendi, & tempus ridendi. Tempus plangendi, & tempus saltandi &c. Tempus tacendi, & tempus loquendi &c. Tempus belli, & tempus pacis &c: &c.*

Unde S. Augustinus etiam orare certis temporibus mandavit, dum dixit: *Orationibus instate horis & temporibus constitutis:* si enim in Monasterio liceret cuilibet orare, quando ipsi placet, tunc unus, & alter, vel plures, possent non comparere ad chorum, quando pulsatur pro matutino, vel aliis horis Canonicis, sed comparerent tempore sibi bene viso, per quid chorus vacillaret, vel diminueretur, & sensim tolleretur.

Ratio præterea est: Qui venit ad superiorem extra horam, potest illum invenire orantem, vel meditantem, & sic illum impediet: potest apud eum invenire hospites, vel benefactores monasterio proficuos, & sic illos perturbabit: potest invenire superiorem ardua negotia Religionis tractantem, & sic coget eum omnia deserere. Qui ergo vis aliquid ordinatè petere, vel tractare apud superiorem, extra horam debitam non venias, & cures, ut pacatus, humilis, modestus, & sobrius venias: hoc enim à te ipsa civilitas, humanitas, polities, & boni mores exigunt.

EXPOSITIO
ET
MEDITATIO LXIV.

Vestimenta verò, & calceamenta, quando indigentibus fuerint necessaria, dare non differant, sub quorum custodia sunt, quæ poscuntur.

COnsidera 1mo. Quænam vestimenta, & alia requisita temporalia, jubeat S. Legislator dari sine dilatione? ecce non alia, nisi illa, quæ poscuntur à subditis, dum inquit: *Vestimenta, & calceamenta dare non differant, sub quorum custodia sunt, quæ poscuntur:* illa verò, quæ jubentur imperativè, & quasi ex debito à subditis, non injungit esse danda, aut tribuenda, quia ad viros religiosos, quando ipsis aliquid est necessarium, non pertinet imperare, non pertinet jubere, vel extorsivè exigere, sed humiliter poscere, submissè rogare, profundè efflagitare. Quia ille tantùm potest imperare, penes quem est authoritas, & potestas jurisdictionis, (uti est superior in omni religione) subditi autem religiosi, sub suo superiore existentes, non habent potestatem, & authoritatem jurisdictionis, adeòq; nec possunt imperare, vel jubere, ut ipsis aliquid ex temporalibus tribuatur. Sed datô, non concessô, quòd etiam imperent, quæ est hujus imperii utilitas? nisi afflictio spiritûs: dum enim imperant, non audiuntur, dum jubent, contemnuntur, dum præcipiunt aliquid, aut disponunt, non apprehenduntur. Quare meliùs, & religiosæ vocationi conformiùs est, humiliter poscere, & impetrare, quàm impe-

imperiosè jubere, & non audiri: prudentiùs est, submissè petere, & effectum petitionis obtinere, quàm superbè imperare, & manifestè repudiari.

Considera *2do.* Cui S. Legislator dare injunxerit necessaria sine dilatione, an omnibus indiscriminatè? an aliquibus, cum aliqua limitatione, & differentia? Certum ergo est, quòd prædicta necessaria injunxerit danda solis indigentibus verè & propriè, sic enim inquit: *Vestimenta verò, & calceamenta, quando indigentibus fuerint necessaria, dare non differant.* Porrò indigentes duplices solent contingere, alii indigentes verè & propriè, sine propria culpa, alii indigentes ex propria culpa. Indigentes sine propria culpa sunt illi, qui suæ indigentiæ, quam habent, causam non dederunt per aliquod peccatum, *v.g.* non custodiendo res suas, aut eas negligendo. Indigentes cum propria culpa, sunt illi, qui suæ indigentiæ causam dederunt, dando vestimenta sua, vel donando aliis sine scientia superioris, vel inutiliter dissipando. Dum ergo S. Legislator injungit dari necessaria sine dilatione indigentibus, injungit illa dari indigentibus sine culpa: indigentes enim ex propria culpa, non merentur, ut illis statim, ac sine dilatione totum illud tribuatur, quidquid per prodigalitatem, vel negligentiam amiserunt. Nam, si illis repentè tribueretur totum, non curarent correctionem suæ prodigalitatis, aut negligentiæ. Quibus ergo inest officium tribuendi necessaria, debent diligenter advertere, cui illa tribuenda sunt? debent investigare, utrum hi, & illi sunt indigentes? & quomodò? & ex qua causa sunt indigentes? iterùm, utrum per suam negligentiam, an per aliud peccatum sunt indigentes? quare, si ipsis aliquid

dabitur in instanti, non debent murmurare, sed sibi potiùs imputare, quòd per suam negligentiam, vel aliud peccatum, facti sunt indigentes.

Considera *3tio.* Quòd S. Legislator non tantùm determinaverit, cui distribuenda sint temporalia, sed etiam quô tempore sint ministranda? hoc autem tempus non reliquit in voluntate ministrorum, aut dispensatorum, sed in necessitate indigentium, inquit enim: *Vestimenta verò, & calceamenta, quando indigentibus fuerint necessaria:* hoc est, ut illis tunc conferantur, & concedantur, quando, seu quô tempore illi necessitatem eorum habuerint. Et hoc S. Legislator fecit propter tollendos abusus ministrorum, & dispensatorum, hi enim in distribuendis temporalibus solent plerumq; sequi placitum suum, & proprium arbitrium, aliquando solent intueri merita personarum erga sese facta, scilicet, quòd illis in aliquo inservierint, aliquando solent intueri privatas aversiones, & odia erga illos, & sic quando temporalia petuntur ab illis, aliquando denegant, quia ipsis sic placet, aliquando concedunt, quia ipsis sic videtur, aliquibus dant, quia respiciunt aliquod eorum meritum, vel obsequium sibi præstitum, aliquibus verò subtrahunt, quia erga illos tale meritum non posuerunt, vel obsequium, item aliis non subministrant, quia se ab illis offensos recordantur, cæteris verò subministrant, quia ab illis similiter non sunt offensi: sed has particularitates, hæc privata motiva, hos singulares respectus, non jubet esse spectandos in administrandis necessariis, sed tunc illa jubet esse danda, subministranda, concedenda, quando, hoc est: quô tempore fuerint indigentibus necessaria. Et ratio est, quia illi, qui præponun-

tur

tur temporalibus distribuendis, non domini (ut ait Rmus Choriolanus commento 49.) *Sed ministri, non rerum retentores, sed dispensatores, non peculiares, sed œconomici sunt exhibitores, ad quos spectat hilariter, libenter, ac opportunè distribuere, ut de ministerio eis concesso, non æternum supplicium, sed sempiternum reportent præmium. Non igitur clament, non dare differant* (inquit idem) *non deniq; postulantes, tediô afficiant.* Solent se hic quidem excusare præfati dispensatores, quòd vestiarias, & alia promptuaria vacua habeant (& hoc majori ex parte hîs temporibûs verum est) sed etiam sæpissimè, & hîs minutîs, quæ defactò habent, & habere convincuntur, ostendunt se duros, tenaces, & indiscretos, conservando illa, tum privatæ suæ utilitati, tum indulgendo plerumq; suæ propriæ voluntati.

EXPOSITIO
ET
MEDITATIO LXV.

Lites vestras, aut nullas habeatis, aut quàm celerrimè finiatis, ne ira crescat in odium, & trabem faciat de festuca, & animam faciat homicidam. Sic enim legitis: Qui odit fratrem suum, homicida est.

COnsidera *1mo.* Quòd post præmissum de temporalibus subministrandis mandatum, statim immediatè subjungit alterum S. Legislator de litibus non habendis, dicens: *Lites vestras, aut nullas habeatis:* quod non est sine arcano, quì enim vult efficaciter aliquod malum tollere, debet

bet priùs principium mali tollere, ſic dum medicus intendit ſanare morbum, priùs debet curare morbi radicem, qui vult fluminis curſum obſtruere, priùs fontem illius penitùs extinguat. Porrò dilatio temporalium, aut denegata eorum ſubminiſtratio, præcipuum, & ſingulare eſt principium litium, & contentionum: Sanctus ergo Legislator volens efficaciter obſtruere, & extinguere lites, priùs in puncto præcedenti obſtruxit litium, & contentionum fomitem, ac originem, tum deniq; ipſas lites, ſubjungens mandatum ſuum: *Lites veſtras, aut nullas habeatis:* Cùm enim quilibet vir religioſus ſit ſervus DEI, eidem per vota dicatus, eo ipſo curare debet, ut non ſit litigioſus, ſed quietus, & modeſtus, juxta illam Pauli Apoſtoli doctrinam: *Non oportet ſervum DEI litigare, ſed quietum eſſe:* quomodò ergo erit ſervus DEI, ſi erit litigioſus? quomodò erit quietus, ſi contentioſus?

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, omnem à te ex omni parte *aufer litem, & revoca pacem, ne tibi pereat homo amicus, & de vobis gaudeat diabolus inimicus, vincat perſuaſionem diaboli charitas Chriſti.* S. Auguſtinus Tom: 2. Epiſt: 75. Diaboli perſuaſio eſt, lites texere, Chriſti charitas eſt, pacem fovere: potiùs ergo exuberanti charitati Chriſti, quàm ſubdolæ, & fraudulentæ perſuaſioni diaboli, ſatisfaciendum.

Conſidera *2do.* Quare S. Auguſtinus mandaverit finire lites quàm celerrimè? Reſpondeo: ideò S. Auguſtinus mandavit finire lites quàm celerrimè, *1mo,* ne ira creſcat in odium. Quod ut intelligatur, ſciendum eſt, quòd non omnis ira ſit peccatum, unde Pſal: 4. dicitur: *Iraſcimini, & nolite peccare.* Ira enim, alia eſt ex primo

mipe-

impetu, & fervore, alia ex deliberatione, permanentia, & continuatione. Quando ergo aliquis irafcitur ex impetu, & ex jufta caufa, tamen non perfeverat in eadem ira, fed eam ftatim deferit, ille non peccat. Quando autem irafcitur, & perfeverat in illa, tunc temporis peccat, & talis ira crefcit in odium. Ne ergo in nobis ira crefcat in odium, S. Auguftinus mandavit, ut lites exortæ quàm citiffimè finiantur.

2do. Ideò S. Auguftinus mandavit celerrimè finire lites, ne ira trabem faciat de feftuca: hoc eft, ne ira, ita parva ficut feftuca, evadat in grandem trabem, nempe: ne ira parva ex impetu primo facta, quæ aliquando eft peccatum veniale, vel nullum, evadat grandis trabs, nempe peccatum mortale.

3tio. Ideò S. Auguftinus mandavit celerrimè finire lites, ne ira diu permanens, & continuata, animam faciat homicidam. Quando enim aliquis diu & permanenter iram fuam continuat contra proximum, eumq; perfequitur, tunc eô ipsô incidit in peccatum mortale: porrò per peccatum mortale, anima noftra occiditur, quia privatur gratia fanctificante, quæ eft vita animæ: confequenter homo in fua ira, & odio perfeverans efficitur homicida animæ fuæ. Neq; fufficit quòd animam fuam occidat, contingit enim frequenter, quòd, qui irafcitur diu proximo, tandem pervenit ad occidendum proximum, & talî modô, non tantùm fuam, fed etiam proximi occidit animam, & fit homicida alienæ animæ. Quoties ergo in iram prorumpis, & excandefcis, eam celerrimè deferas, ne hæc tua iracundia continuata crefcat in odium, & ne tuam animam faciat homicidam.

Con-

Confidera *4to.* Quæ detrimenta proveniant ex ira? Refpondeo: detrimenta provenientia ex ira, funt plerumq; magis nocentia ipfi irafcenti, quàm alteri, cui irafcimur. Primum ergo detrimentum eft, quando aliquis irafcitur alteri, tunc ftatim intra fe alteratur, perturbatur, affligitur, & pallefcit, ipfaq; ira eft formaliffima alteratio: omnis autem alteratio, perturbatio, & commotio, nocet homini contra alterum exardefcenti. Ille autem alter, contra quem ira ebullit, poteft ftare quietiffimus, lætiffimus, pacatiffimus, & immobilis, adeòq; ipfi ira noftra minimè nocet.

2dum detrimentum ex ira proveniens, eft infirmitas frequenter eveniens: multi enim quamprimum irafcuntur, tam primùm infirmantur, debilitantur, languent, ita, ut ad lectum redire, & jacere hiantes cogantur. Et ego de me confiteor, quòd quoties mihi ira contigerit, toties infirmor, morfum, & dolorem in pectore fentio, & ad lectum defcendere cogor, mihiq; ipfi irafcor, quòd alteri iratus fuerim.

3tium detrimentum iræ, eft plerumq; mors fubitanea: multi enim in actuali, & intenfiffima ira extincti, & mortui funt, vel in graviffimos morbos inciderunt.

Plura fimul detrimenta compendiosè defcripfit S. Gregorius lib: 5. moral: dum inquit: *Per iram fapientia perditur, ut quid, quove ordine agendum fit, nefciatur. Per iram juftitia relinquitur, quia, dum perturbata mens judicium fine ratione exafperat, omne, quod furor fuggerit, rectum putat. Per iram gratia vitæ focialis amittitur, quia, qui fe ex humana ratione non temperat, necefsè eft, ut beftialiter vivat. Per iram manfuetudo amittitur, per iram concordia rumpitur, per iram*

lux

lux veritatis amittitur, quia cum menti iracundia confusionis tenebras incutit, huic DEUS radium suæ cognitionis abscondit.

EXPOSITIO ET MEDITATIO LXVI.

Quicunq; ergo convitiô, vel maledictô, vel etiam criminis objectu, aliquem læserit, meminerit satisfactione quàm citiùs curare, quod fecit, & ille, qui læsus est, sine disceptatione dimittere.

COnsidera *1mo.* Quantùm, & quomodò turbaris, quando sentis te esse debitorem alteri, nocte dieq; cogitas, qualiter possis debitum extinguere, labores innumeros, & incommoda sustines, ut habeas unde creditori satisfacias, erubescis cum illo convenire, non audes etiam obiter vultum ejus intueri. Quodsi in communi hominum existens æstimatione, de aliquo infami scelere, *v.g.* furto, à testibus, quamvis etiam falsis convictus esses, o! bone DEUS! quantùm confunderetis, quantùm intra mærore consumereris! malediceres (credo) diei in qua natus es, malles potiùs mori, quàm vivere, eligeres potiùs redimendo vexam, etiam id satisfacere, quod ab altero injustè prætenderetur, quàm à falsis testibus infamari. Quantùm ergo, & quomodò turbaris, quando manes debitor creditori, tantùm, imo magis turbari debes, quando aliquem convitiô, maledictô, vel criminis objectione maculas. Convitium enim, maledictum, & criminis ob-

jectio, est debitum majus omnibûs aliîs debitîs, ita, ut nec aurô, nec argentô compensari possit, est præterea furtum honoris, famæ, longe graviùs, quàm sit quodcunq; cogitabile furtum rerum temporalium, quia honor, fama, & bonum nomen, semper est majoris, & longè majoris æstimationis, quàm sit quæcunq; res temporalis, etiam maximô pretiô digna.

Proinde, si cogitas intensissimè de satisfactione, quando aliquod debitum creditori teneris exsolvere, quantò magis debes cogitare de satisfactione, quando conscius es de debito honoris, & famæ, tuo proximo ablatæ, quia major honoris, & famæ evadis debitor, quàm cujuscunq; rei temporalis. Tandem, si convictus, etiam falsò, de furto alicujus rei temporalis, eligeres, etiam innocens, potiùs solvere, & satisfacere, quàm diffamari. Quantò magis verè convictus de furto honoris, & famæ debes esse solicitus, ut pro ablatione illius, quàm citissimè satisfacias, quoties enim alterum convitiô, maledictô, vel criminis objectione lædis, toties fur es alieni honoris, famæ, & boni nominis.

Quod furtum, cùm sit gravissimum, S. Legislator injungit, ut, si aliquando contingat, citissimè pro illo fiat satisfactio. Porrò, quòd ablatio honoris, famæ, & boni nominis alieni, sit furtum simpliciter tale, & sic possit nominari, ratio est: quia furtum simpliciter tale, nihil aliud est, nisi acceptio rei alienæ invitô dominô, cùm autem ablatio honoris, famæ, & boni nominis, sit acceptio rei alienæ invitô dominô, proinde prædicta ablatio est furtum simpliciter tale, adeòq; sicut pro furto primo, ita & pro secundo, exhibenda est satisfactio.

Qui ergo proximum tuum convitiô, maledictô, vel criminis objectione afficis, vide, quantum scelus committis, nempe furtum simpliciter tale, & fur es simpliciter talis, major, & gravior, quàm, si rem quamcunq; quocunq; majori & majori pretiô æstimabilem abstuleris, quare, si tibi in hoc peccatum aliquando cadere contingat, quàm citissimè id, quod abstulisti restituas, & quantùm potes, satisfacias, turpè enim est, virum religiosum esse furem alieni boni, omni alia re temporali æstimabilioris.

Considera *2do.* Quòd, sicut lædens proximum, tenetur ex justitia ad hoc, ut, quàm citissimè pro læsione *v.g.* per convitium, maledictum, vel per alicujus criminis objectionem satisfaciat, pariter ille, qui est læsus, tenetur ex charitate dimittere, & quidem tenetur non solùm tunc, quando lædens satisfactionem exhibet, sed etiam tunc, quando nec de ea cogitat, sed in suis odiis, & malitia perseverat. Tenetur imo tunc dimittere, quando lædens præmittit satisfactionem, quia tunc restituitur læso totum, quod antea ablatum erat, restituitur, inquam, vel per revocationem objecti criminis, vel per deprecationem, vel aliô modô: cui autem restituitur id totum, quod aufertur, ille tenetur dimittere debitum, nec habet titulum aliquem non dimittendi. Tenetur deinde læsus dimittere, quando lædens nullam præmittit satisfactionem, quia & ipse Christus Dominus taliter dimisit: captus est à synagoga Judæorum, accusatus, judicatus, tandem morte condemnatus, cùm jam cruci affixus esset, clamabat: *Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt:* & sicut pro illis oravit, ita & dimisit: certum autem est, quòd ante istam dimissionem, nullus ex Judæis fecit ipsi aliquam satisfa-

ctionem pro objectis ei criminibus, pro inflictis flagellis, pro impressis convitiis, nemo tunc Christo in cruce pendenti restituit contemptus, nemo alapas, nemo ignonimiosam mortem compensavit, vel compensare cogitavit, sed potiùs, cùm pro eis actualiter oravit, cùm eis actualiter dimitteret, ipsi eum irridebant, contemnebant, & illudebant, dicentes: *Si est Filius DEI, descendat de cruce.* Hîs tamen omnibûs non attentîs, Christus ipsis nulla prævia satisfactione dimisit. Post Christum similia charismata æmulati sunt multi viri sancti, ut Stephanus Protomartyr, Jacobus Apostolus primus Episcopus Hierosolymitanus, dum enim lapidibûs obrueretur, flexîs genibûs orabat, dicens: *Obsecro Domine DEUS Pater, da illis veniam, quia nesciunt, quid faciunt:* certè tunc, dum lapidibûs actu obruebatur, non ei simul ulla satisfactio à Judæis exhibebatur, & tamen illis omnibus ex corde dimisit, idem totum perfecit & S. Stephanus, aliiq; multi.

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris: *Attende Magistrum, & Dominum tuum, non in Cathedra sedentem, sed in ligno pendentem, circumspectîs undiq; turbîs inimicorum, & dicentem: Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt. Vide Magistrum! audi imitatorem, vide pendentem Dominum tuum, vide pendentem, & tibi de ligno, tanquam de tribunali præcipientem. Vide pendentem, & tibi languenti de suo sanguine medicamentum facientem. Vide pendentem, si vindicari vis, vide pendentem, audi precantem: Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt. Sed potuit hoc Christus, dicis mihi, ego non possum: ego enim homo sum, ille DEUS: homo ego, Homo ille, DEUS Homo. DEUS ergo, ut quid Homo? si non corrigitur homo? sed ecce tibi loquor o! homo, multùm est tibi*

imita-

imitari Dominum tuum, attende Stephanum conservum tuum. S. Aug: Domin: in Rogat: serm: 2. & infra.

Considera *3tio.* Quoniam remissio injuriarum una est talis, quam præcedit sufficiens satisfactio, altera talis, quam nulla similis præcedit satisfactio: ideò expende hìc, in qua remissione debeant se magis exercere viri religiosi, an in *1ma*, an in *2da*? Spectatô itaq; fine Religionis, imo spectatô etiam ipsô lumine rationis, magis se debent exercere viri religiosi in remissione injuriarum, quam nulla præcedit satisfactio à lædentibus, seu injuriantibus exhibenda, quàm in alia, cui præmittitur aliqua satisfactio. Ratio patet, quia conformiùs est, ut viri religiosi in illa remissione injuriarum se exerceant, quæ est perfectior, eosq; magis reddit perfectos; jam autem perfectior est prædicta remissio injuriarum sine prævia satisfactione, quàm cum illa: qui enim remittit injurias, læsionesq; suas prævia satisfactione pro illis, dat rem pro re, hoc est remissionem injuriæ, pro satisfactione, & accipit tantum pro tanto, quantùm ipsi ablatum est: hoc est, accipit tantam satisfactionem, quantam injuriam sustinuit: qui autem remittit injurias, læsionesq; suas nulla prævia satisfactione, dat rem, hoc est remissionem gratis, ceditq; jure suo gratis, quod habet ad vindicandam injuriam.

Porrò perfectiùs, & gloriosiùs est etiam inter Ethnicos, gratis aliquid dare, quàm tantùm pro tanto, quia hoc etiam mercatores faciunt, qui sine ullo discrimine personarum, tantum pro tanto cuilibet tribuunt. Deinde, qui remittit injurias propter præviam satisfactionem, non facit hoc unicè propter DEUM, qui autem remittit injurias absq; omni satisfactione, potest hoc facere unicè

propter ſolum DEUM, & ex ſola charitate DEI, & quia opera ex charitate facta perfectiora ſunt aliîs, ideò & ille, qui ex charitate aliquid facit, perfectior eſt eô, qui hoc ipſum ex alio titulo operatur. Non eſt ergo magnum, non eſt ſublime, non eſt heroicum, remittere injurias prævia nobis ſatisfactione pro eiſdem injuriis: ſicut non eſt heroicum dare venditori mille aureos pro tali villa, quæ taxatur mille aureîs: ſed hìc virtus, hìc ſublimitas perfectionis eſt, ubi unicè propter DEUM, nulla prævia ſatisfactione, tam reali, quàm perſonali, remittuntur injuriæ.

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, non ita multùm proficis, quando remittis injurias, & læſiones tuas prævia ſatisfactione ab injuriantibus exhibita: ſi enim læſerunt tibi honorem, eundem reſtituunt tibi per ſatisfactionem, ſi crimen objecerunt, illud refutant per revocationem, ſi convitiô affecerunt, illud damnant per exhibitam tibi venerationem, ſi maledixerunt, hoc refundunt per ſubmiſſam deprecationem, adeòq; dant tantùm pro tanto, rem pro re, honorem pro honore, conſequenter licèt nolis, teneris eis dimittere, quando tibi ſatisfaciunt ad æqualitatem: potiùs ergo in hac te perfectione exerceas, ut remittas injurias, & omnes læſiones tuas, unicè propter DEUM, & charitatem ejus, abſq; omni prævia ſatisfactione, aut futura ſpe illius, & tunc perfectiſſimè operaberis. Quodſi te affectus, & paſſio vindictæ movet, cogita, quòd: *nondum eſt Chriſtus vindicatus, nondum ſancti Martyres vindicati, adhuc expectat patientia DEI, ut convertantur inimici Chriſti, convertantur Martyrum inimici. Nos, qui ſumus, ut vindictam quæramus? ſi quæreret illam DEUS de nobis, & nos ubi remaneremus? Ille, qui nihil nos læſit, non*

vult

vult se vindicare de nobis, & nos quærimus vindicari, qui penè quotidie DEUM offendimus. Noli ergo & tu vindicare, sed dimitte inimicis tuis, & convertentur ad te. S. Augustinus Tom: 10. Homil. 40.

EXPOSITIO ET MEDITATIO LXVII.

Si autem se invicem læserint, invicem sibi debita relaxare debebunt, propter orationes vestras, quas utiq; quantò crebriores habetis, tantò sanctiores habere debetis.

COnsidera *1mo.* Quòd læsio duplex soleat evenire, alia est mutua, in qua uterq; lædit, & uterq; læditur vicissim ab altero. Læsio non mutua est, quando unus lædit, & alter læditur. In puncto ergo præcedenti egit S. Legislator de sola læsione non mutua, ut evidens est ex ipsius textu, ubi dicitur: *Et ille, qui læsus est, sine disceptatione dimittere meminerit:* hìc autem loquitur de læsione mutua, & injungit, ut omnes illi, qui se mutuò læserint, mutuò sibi remittant, dum inquit: *Si autem invicem se læserint, invicem sibi debita relaxare debebunt.* Sicut itaq; ille, qui læsus est ab altero, & ipse neminem læsit, sine disceptatione debet injuriam dimittere, ita ille, qui læsus est ab altero, & ipse simul læsit alterum, obligatus est, absq; omni contentione, & litibus, omne debitum læsionis relaxare. Qui enim læsus est ab altero, & ipse læsit mutuò eundem alterum: injuriatus quidem est, sed & ipse

ipſe etiam injuriavit, adeòq; reddidit injuriam pro injuria, conſequenter ipſe ſibi ſatisfecit pro omni illa injuria, quæcunq; ipſi illata eſt. Poſitô autem hôc ſemel, quòd jam ipſe ſibi ſatisfecit, lædendo viciſſim alterum, defactò nullum habet titulum, ratione cujus exigat aliquam ſatisfactionem à lædente: proinde, quid ipſi, imo quid illis omnibus reſtat? niſi, ut ſibi debita relaxent, ſeu remittant mutuò læſiones, ad charitatem redeant, & ſe mutuò propter DEUM in charitate non ficta diligant? Nam dum hi, qui ſe mutuò lædunt, debita, ſeu læſiones ſibi non dimittunt, ſed perſiſtunt in mutuis odiis, nocent per hoc & Religioni, & ſibi ipſis.

Nocent Religioni, quia propter ſua mutua interna odia, quæ contra ſe fovent, raro, aut nunquam poſſunt bene, unanimiter, & efficaciter conſulere bono communi, ſiquidem odia illa, averſiones, inimicitiæ, trahunt eos in diverſos ſenſus, & ſic licèt aliquando de maximo bono communi, & maximè neceſſario agatur, tamen non poſſunt in unum convenire, per quod ipſa Religio jacturam patitur. Nocent etiam ſibi ipſis, quia non ſunt omnino diſtincti ab ipſa Religione, adeòq; dum nocent Religioni, nocent & ſibi ipſis. Deinde, nocent ſibi ipſis ex eo, quia, ſi velint propter ſuam aliquam utilitatem licitam aliquid facere, ad hoc intentum non deveniunt, ſiquidem mutuîs odiîs impediuntur, non audent ſibi ſuas intentiones credere, ſua vota, & deſideria ſibi non confidunt, & ſic nihil efficiunt. Præterea, quòd ſoli plerumq; non poſſumus aſſequi, hoc facilè aſſequimur cum aliis, ſeu cum adjutorio aliorum, & ſic: licèt unus particularis religioſus indigentem communitatem fulcire ſufficienter non

possit, vel defendere ab imminenti malo, tamen hoc facilè potest præstare cum adminiculo aliorum: qui autem mutuîs inter se certant odiîs, nunquam à se petunt adjumutorium, vel consilium, adeòq; multîs bonîs, quæ per mutua adjutoria, & consilia facere possent, destituuntur, & privantur in corpore & anima.

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, si habes aliqua mutua odia cum altero, his omnibus eo instanti ultimum impone finem: *Quia nullô modô nocere tibi potest inimicus sæviens, quantùm tibi noces, si non diligis inimicum. Ille enim nocere potest, aut villæ tuæ, aut pecori tuo, aut domui tuæ, aut servo tuo, &c: aut multùm, si illa data fuerit potestas, carni tuæ: nunquid quomodo tu, animæ tuæ? Extendite vos ad istam perfectionem charissimi, exhortor vos.* (inquit ipse S. Legislator: & inferiùs subjungit:) *Non vobis videatur impossibile: ego scio, ego novi, ego probavi esse homines Christianos, qui diligunt inimicos suos.* Quantò magis debent esse tales homines religiosi: cæterùm frequentissimè hoc forsan evenit, quòd homines religiosi magis se mutuîs consumant odiîs, quàm sæculares Christiani.

O! dulcissime Domine JESU Christe, qui dilexisti nos cùm adhuc inimici essemus, & non solùm dilexisti, sed & tunc pro nobis mori morte turpissima voluisti, & pro crucifixoribus rogâsti, nobis quoq; præcepisti, ut inimicos diligeremus, mollifica ferreum cor meum, ut omnes inimicos meos diligam, & non tantùm diligam, sed etiam patiar pro illis, & pro peccatis eorum.

Considera *2do.* Quænam sint causæ, quòd multi conceptas semel inimicitias & odia, diu continuent, & debita mutuò contracta, sibi relaxare detrectent. Prædictæ ergo causæ sunt tres.

1ma causa diuturnarum imicitiarum, & odiorum internorum, est negligentia, quòd scilicet illi, qui se mutuò læserunt, negligant sibi reconciliari, vel ex eo, quòd sint laxæ conscientiæ, vel ex eo, quòd unus alterius gratiam non curet, vel deniq; ex alio quocunq; capite.

2da causa est pertinacia, dum aliquis agnoscit quidem esse peccatum, continuare odia mutua, item agnoscit quidem, quòd ipsi sit necessaria gratia alterius, tamen ut hoc eveniat, quod ipse vult, non vult reconciliari alteri.

3tia causa est, superba verecundia, quando quis lædit alterum, & tamen erubescit humiliari, erubescit deprecari, & agnoscere peccatum. Has causas prædictorum odiorum, assignat ipse S. Legislator, dum inquit: *Negligens, inimicitias finire obliviscitur: pertinax, veniam non vult concedere, cùm rogatur: superbè verecundus, veniam petere dedignatur. Hîs tribûs vitiîs inimicitiæ vivunt: sed animas, in quibus non moriuntur, occidunt.*

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, si habes cum aliquo odia & læsiones mutuas, expende, quænam sit causa hujus diuturnæ contentionis, seu perseverantiæ in odiis? si hæ omnes, quas hìc enumeravimus, proinde (loquor cum S. Legislatore) *Vigilet contra negligentiam memoria, contra pertinaciam misericordia, contra superbam verecundiam submissa prudentia*: & sic facillimè omnes inimicitias celerrimè finies, & consummabis. Admiratur S. Legislator, & proponit nobis ad considerandum, illum, qui inimicitias finire non vult, quomodò possit dici Christianus. *Considerate charissimi, utrum Christianus dicendus sit, qui saltim hîs diebûs inimicitias non vult finire, quas nunquam debuit exercere:* Et ego propono tibi ad considerandum,

quo-

quomodò ille poſſit dici religioſus? qui concepta odia illo tempore non vult conſummare, quô debuit & tenebatur in charitate proficere. Et tamen, quàm multi ſunt, qui ſciunt ſe peccâſſe in fratres ſuos, & nolunt dicere: dimitte mihi: *Non erubuerunt peccare, & erubeſcunt rogare, non erubuerunt de iniquitate, & erubeſcunt de humilitate.* Non erubeſcamus itaq; mutuò humiliari, & non erubeſcemus mutuò deprecari, non erubuimus invicem peccare, invicem nos lædere, invicèm nos calumniari &c: non erubeſcamus etiam invicem nos rogare, ut nobis invicem debita relaxemus.

EXPOSITIO ET MEDITATIO LXVIII.

Melior autem eſt, qui, quamvis irâ ſæpè tentatur, tamen impetrare feſtinat, ut ſibi dimittat, cui ſe feciſſe agnoſcit injuriam, quàm, qui tardiùs iraſcitur, & ad veniam petendam tardiùs inclinatur.

COnſidera *1mo.* Quare S. Legislator meliorem judicat illum, qui ſæpè quidem iraſcitur, ſed eſt feſtìnus ad deprecandum, quàm illum, qui tardiùs iraſcitur, ſed etiam tardiùs ad petendam veniam inclinatur, cùm tamen ille, qui ſæpè iraſcitur, plura numerô committat peccata, quàm ille, qui tardiùs ad petendam veniam humiliatur. Cæterùm licèt frequenter iraſcens, plura committit peccata, præ illo, qui rariùs iraſcitur, & difficiliùs ſedatur, tamen pri-

mus melior eſt, quàm ſecundus, quia, qui ſæpè iraſcitur, & tamen impetrare feſtinat, videtur ira illius provenire ex fragilitate, & paſſione, qui autem tardè iraſcitur, ſed etiam tardè ad petendam veniam inclinatur, videtur ira illius provenire, & defactò provenit, ex deliberata malitia. Porrò peccatum ex fragilitate, eſt minus illô, quod ex deliberata malitia perpetratur, adeòq; & ipſe homo ex fragilitate delinquens, minor eſt peccator illô, qui ex malitia delinquit, conſequenter eſt & melior, quia melioritatem habet, tum ex minoritate peccati, tum ex feſtina impetratione veniæ, & agnitione injuriæ alteri illatæ. Præterea, majorem aut ſceleratiorem peccatorem, non tam facit pluralitas peccatorum, quàm intenſio peccandi, ſicut majorem, & ſanctiorem juſtum, non tam faciunt plura bona opera, quàm intenſio bonorum operum, ſeu affectus, diligentia, & fervida applicatio ad bona opera, & hic major eſt ſanctus, & magis ſanctè agit, qui ſemel dat in die pauperi eleemoſynam, ſed ex motivo ferventiſſimæ charitatis erga DEUM, quàm ille, qui centies dat eleemoſynam in die, ſed ex motivo aliquo naturali, *v.g.* ex eo, quia moleſtiam pauperum clamantium audire non poteſt, quam moleſtiam ut evitet, dat cuivis pauperi ad ſe venienti. Proportionatè, major ille eſt peccator, qui peccatum committit, ſed ex deliberata, ſupina malitia, & in eodem peccato malitiosè perſeverat, quàm ille, qui plura quidem peccata committit, ſed ex fragilitate, ex paſſione, & ſimul feſtinus eſt ad petendam remiſſionem. Cùm ergo ille, qui tardiùs iraſcitur, ſed etiam tardiùs ad petendam veniam inclinatur, majorem habeat intenſionem & amorem peccati, quàm ille, qui ſæpiùs iraſcitur, ideò

ſæpiùs

ſæpiùs iraſcens melior, rariùs iraſcens pejor judicatur.

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, examina te ipſum, qualis ſis? an ſæpiùs iraſceris, & citiùs veniam petis? an tardiùs ad iram exardeſcis, tardiùs tamen veniam imploras. Si *1mus* es? melior es, ſtudeas tamen, ut & hanc ex fragilitate iraſcendi frequentiam atteras, & diminuas numerum paſſionum. Si *2dus* es? deterior es, quare eandem tarditatem, quam habes ad iraſcendum, conſerva, tarditatem verò illam, quam habes ad petendam veniam, exclude, & aſueſcas celeritati, ut ſcilicet, licèt tardè ad iram te provocaveris, tamen ut celerrimè veniam petas.

EXPOSITIO ET MEDITATIO LXIX.

Qui autem nunquam vult petere veniam, aut non ex animo petit, ſine cauſa eſt in monaſterio, etiamſi inde non projiciatur.

COnſidera *1mo.* Quare S. Legislator tam gravem, & horrendam ſententiam ferat contra illum, qui nunquam vult petere veniam, aut non ex animo petit? quòd ſcilicet judicet ipſum eſſe ſine cauſa in monaſterio, etiamſi non projciatur, ſeu reputet illum fruſtra degere, & tanquam pondus inane vivere in religione, quamvis de gremio illius non eliminetur. Qui enim in aliquo peccat, *v.g.* contra votum paupertatis, & pro hoc peccato nunquam vult petere veniam, vel non ex animo petit, ille vide-

videtur adhuc non esse sine causa in monasterio; siquidem adhuc potest multa Religionis officia exequi, & sic *v.g.* potest obedientiam præstare, castitatem servare, choro, meditationibus insistere, carnem domare jejuniis, ægrotis inservire, & alia quæcunq; munera obvia exequi: quomodò ergo dici potest, ut sit sine causa in monasterio, cùm hæc ipsa munera, quæ potest obire, sint causæ, propter quas potest se retinere in monasterio. Deinde, qui nunquam vult petere veniam, vel non ex animo petit pro peccato commisso, *v.g.* contra votum paupertatis, videtur, aut saltem supponi potest, quòd neminem malitiosè occiderit, quòd nullius torum violaverit, quòd furtivè extra portam non exiverit, nec alia crimina notoria ejectionem causantia perpetraverit, quare ergo à S. Legislatore tam severô condemnatur decretô, quòd jam eô ipsô sine causa sit in monasterio, licèt de illo non projiciatur? Cæterùm si rem bene investigemus, justissimè & sapientissimè S. Legislator, illum, qui nunquam vult petere veniam, aut non ex animo petit, judicavit esse sine causa in monasterio. Quia, licèt ille potest multa munera Religionis obire, *v.g.* obedire, jejunare, inservire, & alia his similia, tamen hæc omnia nihil ipsi prosunt ad salutem, quando pro illo uno peccato, à se commisso, nunquam vult petere veniam vel non ex animo petit. Qui enim in peccato habituali mortali perseverat, illi nulla opera etiamsi maxima sint, prosunt ad salutem, seu nullum opus illius est salutare & meritorium vitæ æternæ: unde licèt aliquis sanguinem pro fide fundat, mortem pro honore Dei sustineat, & omnia, ad quæ obligatur, impleat, tamen si in uno peccato pertinaciter hæreat, prædicta omnia nihil ei conducunt ad salutem animæ.

Porrò, qui nunquam vult petere veniam, vel non ex animo petit, ille in peccato habituali mortali perseverat, (illa enim pertinacia nunquam petendi veniam, est peccatum habituale mortale) adeòq; licèt omnia bona opera impleat, tamen hæc omnia nihil ipsi prosunt ad salutem. Unde concesso hôc, quòd ille, qui nunquam petit veniam, neminem occiderit, tamen jam occidit se ipsum, & incedit tanquam sepulchrum dealbatum: licèt nullius torum violaverit, tamen castum animæ suæ torum, soli DEO per vota dicatum violavit, licèt extra portam furtivè non exiverit, tamen extra portam cæli, extra viam rectæ conscientiæ longissimè egressus est: consequenter licèt maneat in monasterio, & non projiciatur ex illo, tamen ita manet in ipso, acsi non maneret, ita est, acsi non esset, ita vivit, acsi non viveret, ita laborat, acsi non laboraret, & meliùs esset, si monasterium ingressus non fuisset. Tandem causa principalis, propter quam est aliquis in monasterio, vel illud ingreditur, est salus animæ per pænitentiam, qui autem nunquam vult petere veniam, vel non ex animo petit, non tendit ad hanc causam & finem obtinendum per pænitentiam: eô enim ipsô, quia nunquam vult petere veniam, vel non ex animo petit, eô, inquam, ipsô nunquam vult pænitere, vel nunquam pænitet illum delictorum, qui autem nunquam vult pænitere, vel nunquam illum pænitet, nunquam salvatur, & nunquam salvari potest, consequenter licèt ad mortem maneat in monasterio, sine causa, hoc est: frustra manet in illo, & tantùm illi prodest hæc perseverantia in monasterio, quantùm prodesset, si nunquam in illo fuisset. Hìc examina te ipsum, qualiter te geras.

Consi-

Conſidera *2do.* Quidnam ſit petere veniam non ex animo? petere ergo veniam non ex animo, nihil aliud eſt, niſi ficté petere, nempe quando aliquis habet quandam ſtabilem renitentiam in petenda venia, tamen quia videt, quòd ſuperiorem habebit ſibi ſemper iratum, ſi ſe illi non ſubmittat, item, quia videt, quòd ex ſua aperta pertinacia, hæc, & illa bona amitteret, gradu hôc & illô in Religione privaretur, vel impedimenta ad id conſequendum, quod ſibi optat, haberet, ideò inclinatur quidem ad petendam veniam ad oculum, ſed intra aliud ſentit, deprecatur ore, ſed maledicit corde, ſubmittit ſe corpore, ſed ſuperba erigitur mente, jactando ſe coram aliis, quòd licèt veniam petierit, tamen ſibi non deeſſe modos, quibûs ſuam poſſit vindicare injuriam. Unde ſicut illum, qui nunquam vult petere veniam, juſtè judicavit S. Legislator, quòd ſine cauſa ſit în monaſterio, ita pariter & hunc, qui non ex animo petit, juſtè eâdem ſententiâ condemnavit, quia taliter petere veniam, eſt illam nunquam verè petere, qui autem nunquam verè petit veniam, ſemper eſt ſine cauſa in monaſterio.

Deinde qui aliquando petit veniam, ſed non ex animo, ab illo, qui nunquam vult illam petere, per hoc tantùm differt, quòd ponat aliquem actum externum petitionis, & quòd ſe externè ſubmittat, in corde autem eundem actum internum habet, quem habet ille, qui nunquam vult petere veniam. Porrò DEUS cor intuetur, non actus externos, adeòq; ſicut illum, ita & hunc pro ſolo actu externo non ſalvabit, cùm ad hoc exigantur omnino actus interni, ſeu voluntas interna proſecutiva hujus boni ad intra, quod nos actu externo demonſtramus amplecti.

plecti.

plecti. Sicut itaq; illi, qui nunquam vult petere veniam, ita & huic, qui petit quidem aliquando, sed non ex animo, nihil prodest ad salutem, si totam legem impleat, sed modoprimùm tunc illi proderit, quando ex animo veniam petet. Ex animo autem petere veniam, nihil aliud est, nisi petere verè & sincerè, ex charitate erga DEUM & proximum, seu ex amore DEI & proximi, propter DEUM, ac ex amore salutis animæ tuæ: item petere veniam ex animo, est sine ulla renitentia eandem postulare, & idem intra fovere, quod extra proferimus, idem tenere in corde, quod in voce manifestamus: tandem petere veniam ex animo, est illam efflagitare ex affectu quodam intensissimo, & desiderio ingenti acquirendæ reconciliationis cum DEO, cum proximo, cum superioribus nostris, & cum aliis quibuscunq;.

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, expende, qualiter tu soleas petere veniam post peccatum? an ex animo, an non ex animo? an ex corde, an tantùm ex ore.

EXPOSITIO ET MEDITATIO LXX.

Proinde vobis à verbis durioribus parcite, quæ si emissa fuerint ex ore vestro, non pigeat ex ore ipsò proferre medicamenta, unde facta sunt vulnera.

COnsidera 1mo. Quòd S. Legislator non dederit præceptum hîs verbîs: *Proinde à verbis durioribus abstinete:* sed

sed hîs: ***Proinde vobis à verbis durioribus parcite:*** nempe, quia parcere plùs importat, quàm abstinere, siquidem abstinere possumus sine misericordia alteri exhibita, sic *v.g.* abstinere possumus à cibis prohibitis, & hôc ipsô nulli alteri misericordiam, vel gratiam præstamus: parcere autem sincerè alteri non possumus, sine misericordia ordinata ad eundem alterum: unde, quando abstinemus ab aliquo vitio, nobis ipsis miseremur, quòd illô peccatô conscientiam nostram non lædimus, quando autem parcimus, non tantùm nobis, sed etiam alteri misericordiam, & charitatem præstamus. Deinde, abstinentia secundùm se ipsam inspecta, non præsupponit ante se ullum delictum ab altero commissum contra nos, quia ordinariè ab aliqua re abstinere possumus, etiamsi contra nos nemo delinquat, ratio autem parcendi ordinariè præsupponit aliquod delictum, tunc enim solùm propriè parcitur, quando peccatur: sicut, tunc justè agitur pœnitentia, quando præcedit peccatum: quando autem non præcedit, nec pœnitentia subsequi potest, (nisi fortè ad probandum spiritum) vel ad delendas alienas pœnas. S. ergo Legislator dum inquit: *Proinde vobis à verbis durioribus parcite*, sensus est: non solùm tunc cohibete linguam à verbis duris, quando contra vos nemo quidquam delinquit, nec vos pro priori ullô verbô læsit, sed etiam tunc, quando aliquis contra vos deliquit, & priùs vos durioribûs verbîs vulneravit, & hoc significat illud verbum *parcite:* tunc enim, ut jam dixi, verè & propriè parcimus, quando peccatum contra nos commissum indulgendo dissimulamus, nec reddimus vicem pro vice, seu dura verba pro duris: Non tantùm igitur abstinere debemus à duris verbis, sed etiam parcere,

cere, hoc eſt: non tantùm debemus nos ipſos cohibere à duris verbis proferendis, ſed etiam dura verba contra nos pro priori exprobrata, benignè remittere, ſuaviter indulgere, humiliter diſſimulare. Dum enim non diſſimulamus, dum non parcimus, ſed dura verba pro duris reddimus, quid aliud facimus? niſi incendium à vicino amico inceptum, magis accendimus? majoribus litibus occaſionem damus, & alterum ad tantum furorem & iracundiam provocamus, ut nos in illo impetu etiam occidere vellet, ſi poſſet: licèt autem non poſſit occidere, nec occidat, tamen quò magis erat provocatus ad contentiones, & diſſidia verborum, eô magis poſtea contra nos malum affectum geret, vel ſaltem magis dolebit, quòd eum ad tam dura verba impatientiâ noſtrâ impulerimus.

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, non tantùm cohibeas linguam tuam à verbis duris, quando te nemo pro priori læſit, ſed etiam tunc, quando priùs ab aliquo impetitus es indiſcretîs verborum aculeîs, quod dum facies, tunc verè parces, & implebis illud, quod dicitur: *Proinde vobis à verbis durioribus parcite.*

Conſidera *2do.* Quòd proportionatus verborum uſus ita ſit ad omnem rempublicam neceſſarius, ut, ſi hæc proportio verborum deſit, nunquam ad finem intentum devenire poſſit. Aſpiciamus primam filiorum Adæ rempublicam, voluit hæc ædificare civitatem & turrim, cujus culmen pertingeret uſq; ad cælum, & ſic celebrare nomen ſuum, voluit, inquam, ſed non potuit: & quid, precor, eam impedivit in tam grandi opere? defactò nihil aliud, niſi improportionatus verborum uſus: nempe DEUS confudit linguas illius reipublicæ filiorum Adæ, & ſic non potuit

tuit consummare, quòd cæpit ædificare: *Venite igitur, descendamus, & confundamus linguam eorum, ut non audiat vocem unusquisq; proximi sui.* Quod fit in qualibet republica, idem evenit in qualibet scientia & facultate: quid enim valet facultas Pòëtarum, sine proportionato verborum numero, & congrua syllabarum quantitate? irridetur, & omnino contemnitur. Quid prodest regina animorum eloquentia sine verbis oratoriis? defactò vilipenditur, nomen, ac authoritatem amittit eloquentiæ. Pariter Philosophum Philosophica, Theologum Theologica commendant verba, quibûs si destituti fuerint, vix appareret, unde Philosophi, vel Theologi dignosci possint. Nec aliter contingere solet in republica religiosa: quàmdiu hæc utitur verbîs suæ vocationi proportionatîs, tamdiu omnia currunt suo ordine: quodsi ab hac proportione deviatum fuerit, plurima improportionata eveniunt, & statui regulari irregularia.

Porrò verba dura, non sunt proportionata statui & vocationi religiosæ, sed statui religioso verba religiosa, verba modesta, suavia, humilia, pacifica, convenientissima sunt: cùm enim status religiosus sit jugum suave, & onus leve, etiam verba suavia, & alleviantia, non deprimentia requirit. Unde S. Legislator post exposita plurima salutaria consilia, & monita, etiam hoc injungit nobis, ut à verbis duris abstineamus, dum inquit: *Proinde vobis à verbis durioribus parcite.* Verba enim dura non corrigunt, sed confundunt, non præcavent, sed calumniantur, non docent, sed convitiô afficiunt, nec alicui magis sunt improportionata, quàm viris religiosis. Hi enim cùm omnem duritiam sæcularem, & barbariem mundi censentur

tur exuisse, & tenentur : valde offendunt aures sæcularium adstantium, quando talibûs in discursu, vel aliqua obvia contentione utuntur verbîs, quæ repugnant statui religioso, aut arguunt spiritum sæcularem. Sicut ergo hæbrea hæbreis, latina latinis, græca græcis, italica italis, hispanica hispanis, polona polonis, germanica germanis proportionata sunt verba, ita religiosa religiosis, spiritualia spiritualibus, humilia humilibus viris convenientissima sunt.

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, cùm religiosus sis, religiosîs utere verbîs: cùm spiritualis sis, spiritualia à te dimanent eloquia, cùm humilis, modestus, suavis, affabilis esse debeas, etiam sermones tui, & discursus debent esse humiles, modesti, suaves, & affabiles, omni deniq; durô verbô carentes: *Nam si latinus es,* (inquit S. Legislator) *vocem latinam quæris, si græcus es, græca verba meditaris, si punicus es, attendis, si nosti linguam punicam. Pro diversitate auditorum, diversas linguas adhibes, ut proferas verbum conceptum*: Pariter itaq; cùm religiosus sis, religiosis insiste verbis, verba autem dura, scommatica, confundentia, laxa, audacia, tam procul debent esse à te, quàm procul debent esse & ipsa opera, duritiam aut barbariem spirantia.

EXPOSITIO ET MEDITATIO LXXI.

Quando verò necessitas disciplinæ in moribus coërcendis, dicere vos dura verba compellit, etiamsi ipsi vos

modum

modum exceſſiſſe ſentitis, non à vobis exigitur, ut à vobis ſubditis veniam poſtuletis, ne apud eos, quos oportet eſſe ſubjectos, dum nimium ſervatur humilitas, regendi frangatur authoritas. Sed tamen petenda eſt venia ab omnium Domino, qui novit eos, quos plùs juſtò fortè corripitis, quantâ benevolentiâ diligatis.

COnſidera 1mo. Quòd licèt inter æquales illa debeat eſſe rerum diſpoſitio, ut, ſi contingat unum lædi ab altero per aliquod verbum durum, & minùs ſvave, tunc æqualis deprecari debeat alterum, ut in immediato puncto innuimus: tamen quando ſuperior ex neceſſitate diſciplinæ in moribus coercendis dicere verba dura compellitur, tunc ſubditos exinde læſos deprecari non tenetur, ut expreſsè loquitur S. Legislator: *Non à vobis exigitur, ut à vobis ſubditis veniam poſtuletis.* Ratio eſt, quia ipſe Chriſtus Dominus, quando neceſſitas diſciplinæ exigebat, aſperîs verbîs uſus eſt, nunquam tamen ab aliquo veniam petiit: ſic, quando Petrus removebat Chriſtum à ſubeunda paſſione, ſatis aſperè increpavit eum Chriſtus Dominus, dicens: *Vade poſt me ſatana, ſcandalum es mihi, quia non ſapis ea, quæ DEI ſunt, ſed ea, quæ hominum.* Similiter cùm diſcipuli euntes in oppidum Emmaus, dubitarent de redemptione à Chriſto Domino facta, ſeverè eos arguit Chriſtus Dominus, hîs verbîs: *O ſtulti, & tardi corde ad credendum:* & tamen ab illis veniam non petiit: cùm autem quilibet ſuperior gerat Perſonam Chriſti in ratione regiminis, ideò non tenetur, imo plerumq; nec licitè poteſt veniam petere à ſuis ſubditis. Similiter Chriſti Domini

Vica-

Vicarius S. Petrus, ſatis aſperè increpavit mendacem: *Cur tentavit ſatanas cor tuum mentiri Spiritui ſancto?* Et S. Paulus ſatis ſeverè inſurrexit contra Galatas: *O! inſenſati Galatæ, quis vos fascinavit non obedire veritati? ante quorum oculos JESUS Chriſtus, proſcriptus eſt in vobis crucifixus.* Et inferiùs ſubdit: *Sic ſtulti eſtis, ut cum ſpiritu cœperitis, tunc carne conſummamini.* S. quoq; Stephanus ſimili modo loquendi uſus eſt contra Judæos: *Dura cervice, & incircumciſis cordibûs, vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis, ſicut & patres veſtri.* Cùm ergo hi tam ſancti viri, licitiſſimè potuerunt uti durîs etiam & aſperîs verbîs, & tamen veniam non poſtulaverint, ideò, quamvis etiam contingat aliquando ſuperioribus verbîs durîs corrigere ſubditos, tamen non debent ab illis veniam poſtulare. Diſcamus ergo ex hoc Regulæ puncto iſta duo: *1mum*, quòd ita ſimus regimini ſuperiorum noſtrorum ſubjecti, ut habeant illi poteſtatem arguendi nos aliquando, etiam verbîs durîs. *2dum* eſt hoc, quòd dum ſuperiores arguunt nos aliquando verbîs durîs, & tamen veniam à nobis non petunt, hæc omiſſio petitionis veniæ, non eſt ſuperbia, (ut plurimi malitiosè appingunt ſuperioribus) ſed eſt conſervatio authoritatis, in regendis ſubditis, quam authoritatem, ſi non conſervarent, etiam nec pacificè regere poſſent. Porrò per veniæ petitionem minuitur authoritas regendi: illi enim à quibus venia petitur, plerumq; exinde ſuperbiunt, & ſuperbiendo ad eadem peccata redeunt, & tandem ſuperiorem admonentem contemnunt, vel prætendunt, ut ab illis iterum petat veniam, ſi in aliquo exceſſerit.

Qui ergo ſubditi manemus ſuperioribus noſtris, examinemus nos, qualiter ſuſtinebamus ſuperiorem, ſi nos

aliquan-

aliquando corrigebat aſperè, qui autem præſumus & regimus, inveſtigemus pariter, utrum aliquid non egimus contra authoritatem regiminis, utrum eandem viâ debitâ conſervare ſtuduimus. &c.

Conſidera *2do.* Quòd proruptio in verba dura, contingere ſoleat vel ex neceſſitate diſciplinæ in moribus còércendis, vel ex conſuetudine, vel ex concepta averſione, in aliquem ſubditum. Ex neceſſitate diſciplinæ fit tunc, quando ſuperior advertens notabilem depravationem morum, violationem ſtatutorum, ex ardenti zelo hæc omnia corrigendi, prorumpit in verba dura & aſpera, & de hac loquitur S. Legislator, dum inquit: *Quodſi neceſſitas diſciplinæ dicere vos dura verba compellit &c:* Ex impetuoſitate fit, quando ſuperior vel ex natura ſua eſt impetuoſus, vel neſciens frænare primos impetus ſuarum paſſionum. Ex conſuetudine fit, quando aliquis jam habitum contraxit durè arguendi. Ex concepta averſione fit, quando ſuperior averſum valde habet animum ab aliquo ſubdito. Unde ſi hic aliquando erret, non poteſt illi pacificè, ſuaviter, & affabiliter loqui, ſed ſtatim in dura verba prorumpit, increpat, & confundit.

Qui ergo præes ſubditis tuis, Regulam S. Legislatoris profitentibus, reflectaris ſuper tuo regimine, & modo arguendi, qualem ſerves? ſi aliquando prorumpis ad verba dura, ex neceſſitate diſciplinæ, in moribus còércendis, & zelo ferventiſſimo conſervandi jura, & obſervantiam regularem in flore ſuo, & tamen te exceſſiſſe in his verbis duris non ſentis, ſcias, quòd tam bonum feceris opus, quàm bonum fecerit S. Stephanus increpans Judæos illis verbîs: *Dura cervice, & incircumcisîs cordibûs, vos ſemper Spiritui*

ritui sancto resistitis &c. Si autem sentis te excessisse modum in arguendo, fac id, quod Regula præscribit, nimirùm: petenda est venia ab omnium Domino, qui novit eos, quos plùs justò fortè corripis, quantâ benevolentiâ diligas. Si autem prorumpis ad verba dura, ex pura tua impetuositate, vel quia non vis, vel negligis frænare impetus tuos, ipse te judices.

EXPOSITIO ET MEDITATIO LXXII.

Non autem carnalis, sed spiritualis inter vos debet esse dilectio.

CONsidera *1mo.* Quid sit carnalis, & quid sit spiritualis dilectio? Carnalis dilectio est, quando diligimus proximum ex aliquo motivo temporali, distincto à DEO, seu non ordinato ultimatè ad Deum, ejusq; summam bonitatem, nec ordinato ad aliquem finem supernaturalem. Et talis dilectio carnalis est, quando proximum diligimus ideò, quia formosus & pulcher est, quia nobis patriâ & sanguine conjunctus est, quia nobis aliquod beneficium temporale præstitit, quia *v.g.* doctus & eruditus est in scientiis speculativis, vel ideò, quia speramus nos aliquid ab eo obtenturos, vel tandem, quando proximum diligimus ideò, quia totum id facit, quando nos volumus, in ordine ad nostra privata negotia promovenda. Dilectio spiritualis est, quando diligimus proximum propter Deum, & summam ejus bonitatem, vel ex aliquo alio motivo

spirituali & supernaturali, *v.g.* quando diligimus ex motivo hoc, quia proximus noster est, quia Christianus est, quia sanguine Christi redemptus, quia rectè vivit, & observat præcepta Dei, quia salutem animæ ejus optamus, quia anima ipsius est à DEO creata, sanctificata, & ad beatitudinem æternam ordinata, &c: &c. Dilectio ergo spiritualis non attendit ullum motivum temporale, non curat ullam commoditatem transitoriam, non spectat, utrum proximus sit amicus, vel inimicus nobis &c: sed attendit Deum, vel aliquod motivum supernaturale: unde æqualiter diligit amicos, & inimicos, fideles, & infideles, proditores, & defensores, homicidas, & conservatores. Et hanc spiritualem dilectionem injungit S. Legislator, dum inquit: *Non autem carnalis, sed spiritualis inter vos debet esse dilectio.*

Cujus ipsius ratio est, quia viri religiosi, sunt viri spirituales, proinde spiritualem inter se debent exercere dilectionem. Deinde, viri religiosi resignârunt carni & sanguini, contempserunt temporalia bona, voluntati propriæ cesserunt, eamq; abnegârunt, adeòq; ad amandum proximum nulla alia ratione debent moveri, nisi vel DEO ipso, vel aliquo motivo supernaturali, ordinato ad Deum.

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, adverte, quali dilectione prosequaris proximum, an carnali, an spirituali?

Considera 2*do.* Quænam proprietates & effectus dilectionis carnalis? Respondeo: Proprietates & effectus dilectionis carnalis sunt sequentes. 1*ma.* Quòd dilectio carnalis sit citissimè corruptibilis, defectibilis, amissibilis, quidquid enim dependet à carne, secundùm concupi-

scen-

ſcentiam ejus, illud totum velociſſimè corruptibile, defectibile, & amiſſibile eſt: & quia dilectio carnalis dependet à carne ſecundùm concupiſcentiam ejus, ideò ſine dubio plerumq; in momento corruptibilis, defectibilis, & amiſſibilis eſt. Patet hoc ipſum quotidianâ experientiâ: quia continuò experimur, & videmus, quàm ſit inconſtans, fragilis, & levi quâcunq; aura mobilis, hominum carnalium dilectio carnalis, hodie diligunt, cras oderunt, aut nonniſi tamdiu amant, quamdiu ſuam concupiſcentiam non implent, vel quamdiu illud non obtinent, quod ſub colore, vel oſtenſione dilectionis externæ obtinere valeant, poſtquam autem ſuam concupiſcentiam impleverint, & id, quod voluerunt, obtinuerunt, tunc amare deſinunt, & odiſſe incipiunt: imo etiam illis plerumq; nocere graviſſimè curant, quos antea carnaliter dilexerant.

2da proprietas dilectionis carnalis eſt, quòd ſit craſſa valde, & communis etiam brutorum appetitui ſenſitivo, omnis enim actio, quæ fit ſecundùm carnem, craſſa eſt, utpote corporea, & nihil habens de ſpiritu, quòd autem communis ſit etiam brutis, conſtat ex eo, quia etiam bruta carnaliter ſe amant.

3tia proprietas dilectionis carnalis eſt, quòd ſit afflictiva horum ipſorum, qui ſe taliter amant, juxta illud Apoſtoli: *Tribulationem tamen carnis habebunt hujuſmodi.*

4ta proprietas præfatæ dilectionis eſt, quòd ſit affixiva, & quaſi alligativa animæ penes carnem & terram, ubi enim eſt objectum dilectionis, ibi & anima adhæret & reperitur, & cùm dilectionis carnalis objectum ſit ipſa caro jacens in terra, ideò talis dilectio & animam facit jacere in terra, ad Deum autem evolare non permittit. Tandem

dilectio seu amor carnalis (juxta Idiotam) c. 34. contempl: *insatiabilis est*, quia extinctus reaccenditur, & post copiam rursus inops fit, animumq; virilem effæminat, & præter passionem quam sustinet, nihil finit aliud cogitare: quia rationis oblivio est, & *insaniæ est proximus*. Hîs proprietatibûs attentîs, detestare dilectionem carnalem, & ad dilectionem spiritualem aspires, in illisq; te diligentissimè exerceas.

Considera *2do*. Quænam sint proprietates dilectionis spiritualis. Proprietates ergo dilectionis spiritualis sunt sequentes: *1ma* est, quòd dilectio spiritualis sit solida, permanens, & dispositiva hominis ad vitam æternam, & ubicunq; illa reperitur, ibi etiam reperitur & DEUS, juxta illud Joan: cap: 4. *DEUS charitas est, & qui manet in charitate, in DEO manet*. *2da* proprietas dilectionis spiritualis est, quòd sit subtilissima, adeòq; penetrans de terra usq; ad intima penetralia Dei, nihil enim habet corporeum, quô gravetur, nihil carnale, quô retardetur. *3tia* proprietas dilectionis spiritualis, quòd sit communis Angelis, & ipsi DEO; DEUS enim sicut se ipsum, ita & omnia quæ creavit, diligit dilectione spirituali, pariter & angeli, cùm sint substantiæ spirituales, non aliam exercent intra se, & erga Deum dilectionem, nisi spiritualem. *4ta* proprietas dilectionis spiritualis, quòd sit elevativa hominis ad Deum: nam in quo prædicta dilectio est, semper cogitat, quando ad Deum perveniat, quando mundum derelinquat, quando carnis corruptionem evadat, ut veram pacem inveniat, semper habet cor suum & desiderium in superna elevatum. Quando sedet, quando ambulat, quando requiescit, vel quando aliquit agit,

cor

cor à DEO non recedit. *S. Aug: in manual: 6. 28.* Tandem *5ta* proprietas dilectionis spiritualis est, quod omnem tribulationem cordis, afflictionem spiritûs, & pusillanimitatem mentis penitùs excludat, & si aliqua contingat tribulatio, eam non sentit, tali enim *amore anima secedit, & excedit à corporeis sensibus, ut se se non sentiat, quæ Deum sentit. Hoc fit, cùm mens infallibili Dei illecta dulcedine, quodammodo sese sibi furatur, imo rapitur, atq; elabitur à se ipsa, ut DEO fruatur ad jucunditatem.* S. Aug: cap: 31.

Sed dilectionis spiritualis, seu charitatis proprietates ampliùs & nervosiùs descripsit Apostolus toto cap: 13. ad Corinthios, ex quibus tantùm aliqua hìc adfero: *Charitas patiens est, benigna est: Charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit, quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, ommnia sustinet.* Si ergo in te reperiuntur proprietates superiùs enumeratæ, tunc in te signum est spiritualis dilectionis, & charitatis. Proinde si *angustiantur vasa carnis, dilatentur spatia charitatis.*

EXPOSITIO ET MEDITATIO LXXIII.

Præposito tanquam Patri obediatur, multò magis Presbytero, qui omnium vestrum curam gerit.

COnsidera *1mo.* Quòd obedientia duplex cogitari possit, alia servilis, alia filialis. Obedientia servilis est illa, quâ

quâ obedimus alteri, ex eo motivo, quia noſter Dominus eſt, vel ex eo, quia ſervimus alteri, & præmium ex contractu recipimus. Obedientia filialis eſt illa, quâ obedimus alteri ideò, quia noſter Pater eſt, quia eum pro Patre recognoſcimus, veneramur, & colimus, ſine ullo reſpectu præmii, ex pacto, conventione, aut contractu provenientis. Obedientia ſervilis ſpectat ad ſervos, filialis ad filios, & religioſos, hancq; filialem injungit S. Legislator, dum inquit: *Præpoſito veſtro tanquam Patri obediatur.* Præpoſitus enim, & omnis in omni religione ſuperior, non eſt tanquam Dominus, non eſt tanquam Princeps, aut Rex, ſed eſt tanquam Pater, adeòq; ipſi non tanquam domino, non tanquam principi, vel regi, ſed tanquam Patri, filialiter obediendum eſt, & quidem majori obligatione & titulo, quàm parentibus noſtris ſecundùm carnem, quia parentes noſtri ſecundùm carnem, nihil aliud nobis præſtant nos generando, niſi hoc, quòd ſubminiſtrent nobis minimam particellam ſuæ ſubſtantiæ, ut docent Philoſophi: Parentes autem ſecundùm ſpiritum, (qualis eſt quilibet ſuperior) innumera nobis bona conferunt, nempe in fide educant, vel confirmant, vocationem perficiunt & coroborant, animam doctrinâ cæleſti erudiunt, à malo removent, ad bonum promovent, & dant media conſequendæ ſalutis æternæ.

Merentur ergo ſuperiores, ut illis non tanquam dominis, ſed tanquam Parentibus in Chriſto obediatur. Tum ex eo, quia obedientia ſervilis dedecet religioſum, quòd reſpicit ſolum lucrum temporale, obedientia autem filialis nullum reſpicit lucrum temporale, ſed ſolam honeſtatem ſpiritualem, & pietatem, quâ debemus ferri in ſuperi-

periores, tanquam in Parentes noſtros. Tum ex eo, quia obedientia ſervilis abſolutè non eſt licita religioſis, ſiquidem multas habet admiſtas imperfectiones, ſcilicet defectum hilaritatis & ſimplicitatis, item continet in ſe querelas, contentiones, triſtitiam, negligentiam, tarditatem, ſuperbiam, & inconſtantiam, ut teſtatur Choriolanus, dicens: *Diſtat autem hæc* (id eſt filialis) *ab illa* (id eſt à ſervili obedientia) *quoniam hæc libenter, illa invitè, hæc ſimpliciter, illa cùm diſcurſibus & querelis, hæc hilariter, illa cum triſtitia, hæc velociter, illa pigrè & negligenter, hæc veraciter, illa fictè, hæc humiliter, illa ſuperbè, hæc infatigabiliter, & perſeveranter uſq; ad mortem operatur, illa verò quandocunq; citò ab opere ſegregatur.* Licetne ergo viro religioſo, invitè, cum diſcuſſionibus querelis, cum triſtitia & negligentia obedire? licetne cum tarditate, inconſtantia, tepiditate, voluntatem ſuperiorum exequi? ſine dubio non licet: quia non tepidam, non negligentem, non triſtem, non fictam, ſed alacrem, libentem, velocem, & conſtantem profeſſus eſt obedientiam.

Qui ergo Regulam S. Legiſlatoris profiteris, erubeſcas ſerviliter obedire, hoc eſt: ex reſpectu alicujus lucri temporalis, erubeſcas invitè, fictè, negligenter, inconſtanter mandata ſuperiorum implere, ne fias ſervus turpis lucri & neglientiæ: potiùs igitur indue filialem obedientiam, & obedias ſuperioribus ex ſola pietate, quam debes illis præſtare ſine ullo reſpectu lucri temporalis, quia alias, ſi tua obedientia talis erit, ſicut eſt ſervorum, non multùm diſcrepabis à ſervo, vel mancipio, niſi fortè ipſo habitu.

EXPO-

EXPOSITIO ET MEDITATIO LXXIV.

Ut ergo cuncta ista serventur, & si quid servatum minùs fuerit, non negligenter prætereatur, sed ut emendandum, corrigendumq; curetur, ad Præpositum præcipuè pertinebit, ut ad Presbyterum, cujus est apud vos major authoritas, referat, quod modum, vel vires ejus excedit.

COnsidera 1mo. Ad quid etiam conditæ sunt regulæ, statuta, constitutiones, jura, legesq;, an tantùm propter hoc, ut illas audiamus, discamus, sapientiam, pietatem, vel prudentiam Legislatorum in illis admiremur? an verò propter aliquid aliud? certum ergo extra controversiam est, quòd leges, statuta, regulæ, non propter aliquid aliud conditæ sunt, nisi propter hoc, ut diligentissimè observentur, impleantur, & ad executionem deducantur. Finis primarius cujuslibet legis, regulæ, & statuti, est observatio ejusdem. Sicut enim augusta regnorum castella, & provinciarum fortalitia, hoc fine conduntur, ut in illis integritas regni defendatur, sicut magnifica ducum palatia, eo fine construuntur, ut commodè inhabitentur, item sicut naves, eo fine fabricantur, ut illarum ope, maris profunda superentur, ita leges, regulæ, constitutiones, eô motivô conditæ sunt, ut à subjectis sibi exactè serventur. Nihil prodest ad salutem regulæ pro-

professio, si desit illius observatio: quid enim leges sine moribus? (inquit Pöëta) quid palatia sine commodo ad habitandum? quid castella sine securitate ad defendendum? quid naves sine beneficio ad navigandum? defactò nihil ista omnia prosunt. Non aliter se habet quælibet regula, statutum, aut constitutio: nihil prodest sine observatione, juvat nihil sine impletione, nihil conducit absq; sui pia executione. Quia verò plurimi etiam viri religiosi, qui sufficere vocationi suæ putant, si scilicet regulam profiteantur, de observatione autem illius parùm, & plerumq; nihil curant, aut planè obliviscuntur, ideò S. Legislator postquam conderet Regulam, tandem in fine illius inquit: *Ut ergo cuncta ista serventur, &c.* hoc est: viri religiosi, habetis regulam, vitæ vestræ futuræ normam, sed hæc non propter formam condita est, sed propter hoc, ut cuncta omnia, quæ in illa continentur, diligenter observentur. Hoc itaq; fine, illô motivô condidit regulam S. Legislator, ut illa servetur, impleatur, & ad effectum perducatur.

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, examina te ipsum, utrum intentioni S. Legislatoris satisfacias? utrum de regulæ fine implendo & exequendo cogitâsti aliquando. O! quàm stultum est, regulam profiteri, & non implere! statuta regularia amplecti, & non exequi! constitutiones suscipere, & illas non servare! ita planè acsi quis militiam profiteretur, & nollet pugnare, vel studiorum albo inscriberetur, & nollet scientiis incumbere. Tempestivè igitur provide saluti tuæ, & tunc serva regulam, quando potes, quia tunc servare postea velles, sed jam non poteris.

Considera *2do.* Quænam sequantur pericula & incommoda ex non observatione regulæ, sine numero sequuntur plurima, *1mum* est scandalum pusillorum, hi enim cùm sciant professionem nostram, cùm noscant regulam, & optimè noverunt, quomodò nos gerere debeamus, dum vident nos violare regulam, valdè inde scandalizantur.

2dum est seductio religionis: nam religioni, (& principaliter DEO) regulam observandam promisimus: dum autem non observamus, religionem seducimus.

3tium periculum ex non observatione regulæ, & statutorum Ordinis, est extinctio religionis: multæ enim religiones ex hoc unico motivo extinctæ sunt, quia regulam suam, statuta, & leges non observârunt. Quid extinxit tam opulenta & fortissima regna? si non conjurata legum violatio, quid evertit tot amplissimas regiones, si non intermissa statutorum observatio? quid in favillas redegit tot nobilissimas provincias? si non derelicta jurium executio. Tamdiu floruerunt, quamdiu leges observârunt, tamdiu regnârunt, quamdiu legibus subesse voluerunt, tamdiu imperârunt orbi, quamdiu imperium legum audiêrunt, & exequebantur, postquàm verò à solita observatione legum recesserunt, illico omnis honor, potestas, & fortitudo ab illis recessit Eôdem modô multæ religiones, tamdiu ab Ecclesia servabantur, quàmdiu servabant leges suas, tamdiu fovebantur, quàmdiu fovebant regulas suas, postquàm verò *1mam* vitæ suæ & regulæ normam dereliquerunt, cum æterna infamia, ab Ecclesia & toto orbe derelictæ, & extinctæ sunt. Qui ergo Regulam S. Legislatoris profitemur, attendamus omnes, quanta pericula sequantur ex non observatione regulæ, & statutorum Ordinis.

Considera *3tio.* Quando S. Augustinus dicit: *Ut ergo cuncta ista serventur:* intelligendum est, quòd omnia, quæ sunt in regula, nullô exceptô, debeant servari, sive alia sint majora, sive minora, sive minima. De majoribus præceptis regulæ, quòd illa sint omnino servanda, nemo dubitat: sed quòd etiam minima præcepta sint servanda, rationes & motiva adjungimus.

Ratio *1ma* est. Quia, qui majora servat, & minora vel minima negligit, eô ipsô est negligens, tepidus, & imperfectus: negligentia autem, tepiditas, & imperfectio dedecet, non tantùm virum religiosum, sed etiam quemlibet Christianum.

Ratio *2da* est. Quia qui minima negligit, exponit se & resolvit ad multa peccata venialia committenda: porrò etiam peccata venialia sunt vitanda, quantùm fieri potest, & quantùm nostra infirmitas permittit.

Ratio *3tia.* Quia Christus Dominus præcepit etiam minima servare, ut constat Math: C. 5. *Amen quippe dico vobis: donec transeat cælum & terra, jota unum, aut unus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant. Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum: qui autem fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.*

Ratio *4ta.* Quia DEUS Optimus Maximus, non tantùm custodit, protegit, & servat animam nostram, vel corpus, sed etiam minimum capillum nostrum, ut habetur Math:10.v.29. *Nonne duo passeres veneunt dipondiô: & unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro? Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt.* Sicut ergo minima nostra custodit DEUS, & protegit, ita etiam nos minima præ-

cepta DEI, vel regulæ, omni diligentiâ servare debemus.

Ratio *5ta.* DEUS Optimus Maximus etiam minima obsequia nostra, largissimè præmiat, ut constat Math: cap. 10. v. 48. *Et quicumq; potum dederit uni ex minimis istis, calicem aquæ frigidæ, tantùm in nomine discipuli: amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* Si ergo DEUS pro calice aquæ frigidæ promittit mercedem cælestem, proinde etiam minima sunt servanda, ut mercedem promissam consequamur.

Ratio *6ta.* Quia DEUS etiam minima opera nostra aliquando plùs æstimat, quàm opera majora, ut constat Mar: cap: 12. v. 41. *Et sedens JESUS contra gazophylacium, aspiciebat: quomodo turba jactaret æs in gazophylacium, & multi divites jactabant multa. Cùm venisset autem vidua una pauper, misit duo minuta, quod est quadrans, & convocans discipulos suos, ait illis: Amen dico vobis, quoniam vidua hæc pauper, plùs omnibûs misit, qui miserunt in gazophylacium.*

Ratio *7ma.* Qui habet centum oves, & perdit unam, tunc relictîs nonaginta novem ovibûs in deserto, vadit ad illam unam, quæ perierat, ut constat Luc: cap. 15. v. 5. Quæ mulier habens decem drachmas, & perdiderit unam, accendit lucernam, & evertit domum, & quærit diligenter donec inveniat eam. Ibidem v. 8. Ita nos, si majora perdidimus, vel negleximus, vel non implevimus, saltem minima adimplere curemus.

Ratio *8va.* *Qui fidelis est in minimo, & in majori fidelis est: & qui in modico iniquus est, & in majori iniquus erit.* Luc. 16. v. 10.

Ratio *9na.* Initium omnis scientiæ est, à minimis: unde, primò discimus literas noscere, 2dò syllabizare, 3tiò lege-

legere, tandem ad alia majora deſcendimus: ita in via perfectionis à minimis debemus incipere, quibûs impletîs, majora faciliùs exequemur, & magìs proficiemus.

Ratio *10ma.* *Qui ſpernit modica, paulatim decidet.* Ecc. 19. v. 1. Ne ergo tu cadas, modica non ſpernas, imo te in illis quantùm potes exerceas. Unde S. Bonaventura in Prol: ſpec: diſci: inquit: *Non minimum eſt, contemnere minima, quæ non minimam moribus maculam, eò turpiùs neglectu habita ingerunt, quò vitari cognita potuerunt.*

Ratio *11ma.* Quando Chriſtus Dominus mittebat Apoſtolos ad prædicandum Evangelium, dedit eis hoc præceptum: *Nolite poſſidere aurum & argentum, neq; pecuniam in zonis veſtris, neq; peram in via, neq; ſacculum, neq; virgam.* Quod ergo Chriſtus Dominus præceperit Apoſtolis, ne poſſiderent aurum, & argentum, vel pecuniam, hoc non eſt mirandum, quia aurum, argentum, & pecunia, corrumpit, & impedìt homines à plurimis bonis: ſed quòd præceperit, ne peram, vel ſacculum, & virgam poſſiderent, vel deportarent, hoc eſt dignum admiratione. Pera, ſacculus, vel virga, ſunt res minimæ: ut ergo Chriſtus doceret Apoſtolos, quòd etiam res minimas debeant obſervare, injunxit eis, ut neq; peram, neq; ſacculum, neq; virgam deportarent.

Ratio *12ma.* A minimis rivulis, fontibus, & torrentibus, vaſtiſſima oriuntur flumina: à minimis plantis, oriuntur altiſſimæ arbores, à minimis granis ſegetum, oriuntur frumenta, quæ totum paſcunt orbem: Sic à minimis bonis operibus, & præceptis impletis, maximæ naſcuntur virtutes, & perfectiones.

Ratio *13tia.* S. Auguſtinus ſerm: 10. de verbis Domini,

mini, inquit: *Magnus esse vis, à minimo incipe.* Hoc consilium quisq; observet, & impleat, tunc sine dubio quisq; minimus, evadet maximus. Unde S. Ambrosius lib: 1. offic: C. 10. inquit: *In minimis probandum est conflictibus, quàm viriliter in majore certamine stare possimus.* Blosius autem cap: 2. instit: spir: docet: *Qui sensualitati, voluntatiq; propriæ, etiam in rebus minimis reluctatur, ac se mortificat, rem ipsi DEO magìs gratam facit, quàm, si multos mortuos ad vitam revocaret.*

Ratio *14ta.* Math: 5. v. 26. dicit Christus Dominus: *Amen dico tibi: non exibis inde, donec solvas novissimum quadrantem:* hoc est: non exibis inde, donec solvas minimum quadrantem: Dum ergo Christus Dominus exiget à nobis etiam minimos quadrantes, etiam nos minimos quadrantes attendere debemus, ne in purgatorio diutiùs detineamur.

Ratio *15ta.* S. Jacobus minor primus Episcopus Hierosolymitanus, in Epist: Catholica, cap. 1. v. 4. monet: *Ut sitis perfecti & integri, in nullo deficientes.* Sicut autem in nullo debemus esse deficientes, ita & in minimo: si enim deficeremus in minimo, non essemus perfecti, & integri: quia etiam minima imperfectio diminuit perfectionem, & integritatem nostram.

Hîs diligenter consideratîs, accinge te etiam ad minima præcepta observanda, & ad vitandos etiam minimos defectus. Dicere, vel excusare te potes, quòd non possis gravissima tormenta subire, vel sanguinem fundere pro Christo, sicut fecerunt innumeri SS. Martyres: sed dicere non potes, quòd nequeas minimam aliquam mortificationem facere, quam offeras DEO, tanquam martyrium,

siqui-

siquidem mortificatio continua, est martyrium, ut supra dictum. Dicere potes, quòd non valeas totum orbem peragrare, & prædicare Evangelium omni creaturæ: sed dicere non potes, quòd nequeas temporibûs præfixîs silentium servare. Dicere item potes, quòd nequeas totis noctibûs vigilare, & orationi insistere: sed dicere non potes, quòd pro matutino, & aliis horis Canonicis, non possis surgere, & comparere. Dicere potes, quòd strictissima jejunia non possis adimplere, qualia adimplebant plurimi sancti: sed dicere non potes, quòd etiam minimam abstinentiam nequeas aliquando exercere. Dicere potes, quòd nequeas in solitudine, vel eremo subsistere: sed dicere non potes, quòd nequeas te in cella continere, & per dormitoria non divagari, & alios non inquietare. Dicere potes, quòd tantam sitim nequeas pati, quantam passi sunt plurimi servi Dei: sed dicere non potes, quòd à luxu bibendi nequeas abstinere. Eundo igitur per singula, potes plurima quæ sunt minima exequi, & implere, & tamen etiam minima non imples. Si ergo magna, vel maxima non imples, & minima negligis, expende, pro quo opere salvaberis.

Considera 4to. Illa verba S. Augustini: *Et si quid minùs servatum fuerit, non negligenter prætereatur, sed ut emendandum, corrigendumq; curetur.* Ex quibus verbis constat, quòd sicut S. Augustinus mandavit omnia servare, etiam minima, ita pariter præcepit, ut omnes defectus etiam minimi non negligenter prætereantur, sed emendandi & corrigendi curentur. Sicut enim pro minimis præceptis observatis datur à DEO præmium superabundans, ita etiam pro minimis neglectis & omissis, debet dari emendatio & corre-

correctio. Hæc autem correctio præcipuè pertinet, vel ad Præpositum Conventûs, sive alicujus loci particularis, vel ad Provincialem, sive Visitatorem Provinciæ, vel tandem ad Præpositum Generalem. Porrò contingit frequentissimè, quòd dum superior vult corrigere defectus, sive majores, sive minores, sive minimos, statim veniunt intercessores & patroni, qui pro delinquente petunt veniam, persuadent indulgentiam, & proponunt, quòd non omnia tam rigorosè sunt punienda, & castiganda, sed etiam aliquid de rigore sit intermittendum: & tales patroni ita sunt frequenter affectati, ut etiam molestiam inferant superiori, ne corrigat id, quod corrigendum est. Non nego igitur discretionem superioribus attendendam, sed etiam cautissimè procedendum est, ne dum peccata facilè dimittuntur, per hoc ipsum multiplicentur. Tandem semper id curandum est, ut in effectu maneat illud regulæ punctum: *Et si quid servatum minùs fuerit, non negligenter prætereatur, sed emendandum & corrigendum curetur.*

Certum est, quòd superior possit aliquando delinquentibus parcere, vel pro majori, minorem pænitentiam assignare, cæterùm in corrigendo specialiter cavenda est negligentia: & hoc inculcant illa verba: *non negligenter prætereatur:* si autem adsit negligentia in corrigendo, jam superior delinquit per negligentiam, cùm sit obligatus ad corrigendum omne peccatum, sive magnum, sive parvum. Quoties igitur importuni patroni veniunt petentes, ut peccata dissimulentur, vel negligantur, toties superior habet pro se regulam dicentem: *Et si quid minùs servatum fuerit, non negligenter prætereatur, sed ut emendandum, corrigendumq; curetur.*

EXPO-

EXPOSITIO
ET
MEDITATIO LXXV.

Ille verò, qui vobis præest, non se existimet potestate dominante, sed charitate serviente felicem.

COnsidera *1mo.* Quid sit præesse potestate dominante? Respondeo: Præesse potestate dominante, est regere subditos ex motivo dominandi, excellendi, præsidendi, & se præponendi aliis, item est regere propter bonum utile, & eminentiam suam, scilicet: ut aliis emineamus, non quærendo bonum, & salutem subditorum; item est regere imperativè, absolutè, independenter ab aliis, & quodammodo monarchicè: item est regere ita, sicut regere solent domini sæculares suos subditos, qui in eosdem, illorumq; bona, habent jus & dominium proprietatis. Porrò domini sæculares regunt subditos:

1mo. Hoc fine & modo, ut ex illis habeant utilitatem, proventum, obsequium, commoditatem aulæ, & alia omnia, quæ spectant ad bonum ordinem totius fortunæ, & conservationem boni utilis.

2do. Ita illos regunt, ut etiamsi aliquando curent eorum subditorum conservationem, tamen non ex hoc motivo, ut illi subditi se meliùs habeant, & propter se ditiores fiant, sed potiùs ex hoc motivo, ut per hanc conservationem subditorũ, majorem utilitatẽ iidem domini habeant.

3tio. Ita eos regunt, ut dum volunt aliquid de illis disponere, nunquam alium, vel raro consulant, nunquam requirant vel conveniant, sed independenter ab aliorum

consilio, voluntate, consensu, totum illud faciant, quidquid ipsis placet. Unde ordinariè iidem domini villas arendant, oppignorant, vendunt, & alia similia faciunt, non consultîs iisdem, quibus dominantur; quodsi etiam subditi in aliquo se opponant, rationes eorum non audiuntur, non attenduntur, sed plerumq; contemnuntur, postponuntur, aut fastuosè confunduntur.

Qui ergo aliis præes, examina te ipsum, utrum illos non regas potestate dominante, nempe hoc fine, ut tantùm emineas, excellas, & præponaris aliis &c. &c.

Considera *2do.* Quid sit præesse charitate serviente? Respondeo: Præesse charitate serviente, est regere subditos ex charitate DEI, & proximi: item est regere magis serviendo, quàm imperando: item est regere absq; prætextu excellendi, æstimandi, se præponendi, & eminendi aliis: item est regere absq; omni bono, utilitate, & fructu proprio, solam in regimine quærendo gloriam DEI, & subditorum salutem: item est regere non imperativè, non absolutè, non monarchicè, sed dependenter à consiliariis, definitoribus, & aliis omnibus, qui ad consilia intrant, & intrare debent: item est regere ita, ut totum regimen sit exercitium summæ charitatis, tam erga Deum, quàm erga proximum. Et tali modô præfuit Christus Dominus Apostolis, quia illos rexit ex charitate DEI, & proximi, ut constat cap: 5. ad Ephesios: *Estote ergo imitatores Dei, sicut filii charissimi, & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis, oblationem, & hostiam in odorem suavitatis.*

2do. Quia rexit Apostolos magis serviendo, quàm imperando, ut constat ex ipsius verbis Math: 20. *Non veni ministrari, sed ministrare.* 3tio.

3tio. Quia rexit Apostolos absq; omni intuitu excellendi, vel eminendi, siquidem Christus factus est obediens usq; ad mortem, mortem autem crucis. Unde ad se imitandum alliciebat, dicens Math: 11. *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.*

4to. Quia rexit Apostolos absq; omni fructu & utilitate propria, sed solam in regimine suo quæsivit gloriam Patris æterni, & salutem animarum: unde de se ipso testatur dicens: Joannis 10. *Ego veni, ut vitam habeant, & abundantiùs habeant.*

5to. Quia rexit Apostolos non imperativè, non absolutè, non monarchicè, (licèt hoc regimen ipsi ùt DEO erat proprium) sed dependenter à voluntate Patris æterni, ut constat Joan: cap:4. *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, & perficiam opus ejus.* Post Christum Dominum, simili charitate rexerunt Apostoli Ecclesiam Dei, omnesq; veri Apostolorum successores, qui in regendis subditis nihil aliud quærebant, nisi gloriam DEI, & salutem animarum.

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, examina te ipsum, utrum regimen tuum sit ex motivo charitatis DEI, & proximi &c.

EXPOSITIO ET MEDITATIO LXXVI.

Honore coram vobis Prælatus sit, timore coram DEO, substratus sit pedibus vestris.

COnſidera *1mo.* Quòd licèt quilibet ſuperior debeat præeſſe charitate ſerviente, ſeu debeat quodammodo ſervire charitativè ſuis ſubditis, tamen hoc ſuum ſervitium charitativum ita debet exequi, ut honorem ſuperiori debitum non amittat, ſed eum de integro conſervet, illaq; duo ſimul conjungere ſciat, ut honore, quem gerit, ſit prælatus, & timore divino ſit ſubjectus pedibus ſuorum ſubditorum. Et hoc vult S. Legislator, quando inquit: *Honore coram vobis Prælatus ſit, timore coram DEO, ſubſtratus ſit pedibus veſtris.* Ad prudentem ergo & ſapientem ſuperiorem pertinet *1mo,* ut licèt aliquando demittat ſe ex charitate ad infima ſuorum ſubditorum miniſteria, tamen hæc ita debet expedire, ut intactè conſervet honorem, prærogativam, & authoritatem ſui officii, quia ſi aliquis ſuperior ſerviret ex charitate, & ſimul neſciret, vel negligeret conſervare authoritatem ſui officii, tunc eò ipsô fieret ſenſim æqualis omnibus, ſeu omnes alii cum ipſo ita familiariter procederent, ſicut ſolent ſecum procedere, & ſic dum minùs prudenter exerceretur humilitas, & regendi frangeretur authoritas. Unde, ne regendi frangatur authoritas, ſervari debet regiminis dignitas. Hujus ipſius dedit nobis ſatis evidens documentum ipſe Chriſtus Dominus, Joannis 13: ibi enim Chriſtus Dominus charitatem ſervientem exhibuit Apoſtolis, dum ipſe in Perſona ſua pedes eorum lavit, poſtquàm autem pedes eorum laverit, dixit eis: *Vos vocatis me Magiſter & Domine: & bene dicitis, ſum etenim:* Ecce in his verbis conſervatio authoritatis Chriſti: lavit ergo pedes ſuorum Apoſtolorum Chriſtus Dominus, demiſit ſe ex charitate ad tam infimum miniſterium, ſervivit illis charita-

te pro-

te profunda & humili, ſed hanc charitatem ſervientem ita exhibuit, ut ſimul conſervaret authoritatem ſuam, innuendo Apoſtolis, *quòd ſit Magiſter & Dominus eorum.* Talî modô debent ſibi procedere ſuperiores, nempe quantùm fieri poteſt, debent charitate ſerviente miniſtrare aliquando ſuis ſubditis, ſed poſtquàm miniſtraverint, & ſe ad infima eorum obſequia demiſerint, debent prudenter innuere ſuis ſubditis, quòd licèt illi hæc ex charitate faciant, tamen adhuc ſunt magiſtri & ſuperiores, adeòq; in honore debent præferri cæterîs. *2do.* Ad prudentem, ſapientem, & pium ſuperiorem pertinet, non ſolùm hoc, ut ipſe curet conſervare authoritatem ſuam, ſed etiam, ut quò magis eſt altior cæterîs, eò magis timore coram DEO ſubſtratus ſit pedibus eorum, hoc eſt: eò magis putet ſe viliorem, abjectiorem, indigniorem, & contemptibiliorem: ſub pedibus enim illud tantùm ſolet eſſe, quod eſt vilius, abjectius, indignius, & contemptibilius, & cùm ſuperior debeat eſſe ſub pedibus ſubditorum in aliquo ſenſu, ideò ſe ipſum debet judicare viliorem, abjectiorem, indigniorem, & contemptibiliorem, quomodo enim affectu, vel effectu poteſt aliquis deſiderare hoc, ut ſit ſub pedibus aliorum, qui ſe digniorem putat cæterîs? Judicium ergo noſtrum de nobis *1mo* formandum eſt tale, quòd licèt honore prælati ſimus, tamen in rei veritate ſumus viliſſimi, & indigniſſimi, quod judicium cùm perſuaſerimus voluntati, tunc demùm facilè ſubſternemur etiam pedibus eorum, quibus præſumus. Si autem iſtud judicium de nobis non formabimus, tunc non proficiemus, ut docet Thomas à Kempis 1. 2. de imit: cap: 2. *Non reputes te aliquid profeciſſe, niſi omnibus inferiorem te eſſe ſentias.*

Rm̃us

Rmus Gervasius Layruelz Abbas Ordinis Premonstratensis, hunc locum S. Augustini explicat in hoc sensu, quòd omnis superior debeat semper timere, & ipsô factô timet, *ne peccent subditi, & ipse in eis peccati reus habeatur. Timet ne sufficiens non sit ad tantam curam, & sic ipse cæcus, cæcos ducens, in foveam cum ipsis cadat. Timet, ne eis sit author mali exempli, sicq; mola asinaria collô appensa in mare barathri projiciatur. Timet, ne eis displiceat; timet, ne nimis placeat. Timet, ne nimis puniat; timet, ne nimis corrigat.* Et ibidem alia plura timoris motiva assignat; proinde concludit, quòd talî modô, & timore, substratus sit pedibus suorum subditorum. Et certè, si multi talem timorem regiminis haberent, nunquam Prælaturas ambirent, imo eas fugerent, ut fecerunt innumeri.

Considera *2do.* Quòd cùm dicitur: *Honore coram vobis Prælatus sit:* non solùm hoc referri debeat ad Prælatos, ut illi sciant conservare honorem dignitatis suæ, sed potest & ad subditos hæc sententia propositionis referri, (inquit Cælius Pannonius) ut in honore habeant Prælatum. Sicut enim Prælati curare debent, ut nihil indignum agant honore suo, ita subditi Prælatorum curare tenentur, ut eos quantùm possunt honorent, colant, & venerentur. Quilibet enim Prælatus & superior canonicè electus, est in loco DEI, repræsentat Personam DEI, & authoritatem ejus: proinde propter hunc ipsum characterem debet omni conatu honorari. Nemo dubitat, quòd Parentes, quantùm fieri potest, honorandi sunt, hoc enim à rudimentis cum pueritia discimus, & à primo usu rationis illud nobis inculcatur à DEO: *Honora Patrem tuum, & Matrem tuam.* Omnis superior noster, primò Pater noster est, & dicere potest cum Apostolo: *Si decem millia*

pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos Patres. Nam in Christo JESU, per Evangelium ego vos genui. 2do. Mater nostra est, quia supponitur eo nos affectu diligere, imo magis, quàm matres soleant diligere filios suos. Cùm ergo præstat munus Patris & Matris, quis erit tam duræ & superbæ mentis, qui eum nolit honorare, vel deliberatè audeat pertinaciter dishonorare? Tandem qui alicui providet necessaria, tam ad spiritualem, quàm ad temporalem vitam, honestè sustinendam, & sanctè tractandam, lumine naturæ notum est, quòd dignus sit omni honore & reverentiâ; hoc totum præstat nobis omnis superior, ille nos enutrit in vita spirituali, ille educat in observantia regulari, ille nos in eadem conservare studet, & simul cavet, ne ab ea deficiamus, omnes possibiles modos adhibet, ut ad pristinum vitæ regularis statum redeamus. Similem solicitudinem exhibet in providendis temporalibus, & exhibere tenetur, juxta ipsius Regulæ obloquentiam, quæ dicit: *Distribuatur unicuiq; vestrum à Præposito vestro, victus & tegumentum:* Verbô loquendo, quidquid requiritur ad universam vitam nostram, de his omnibus debet curare superior, ut nobis illa pro posse suo adhibeat.

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, omni possibili conatu studeas honorare superiores tuos: si adverteres proregem seu vicarium regis, exnunc honorem regium eidem exhiberes, & crimen læsæ majestatis putares, si eum aliquis offenderet, vel contemneret: Superior tuus est in loco DEI, gestat in se characterem DEI, quomodò ergo audebis eum dishonorare? quomodò præsumes eum contemnere? vel ei debitam reverentiam subtrahere? quomodò ei audebis verbô durô, vel opere resistere?

EXPO-

EXPOSITIO
ET
MEDITATIO LXXVII.

Circa omnes, se ipsum bonorum operum, præbeat exemplum.

COnſidera *1mo.* Quòd antequam S. Legislator dederit præcepta, quomodò, & quos debeat ſuperior corripere, conſolari, arguere, aut coërcere, priùs præmittit præceptum, ut ſuperior ipſe ſit exemplaris, dum inquit: *Circa omnes ſe ipſum bonorum operum præbeat exemplum:* quô factô docere voluit ſuperiores, quòd ſi volunt ſecurè, imperturbabiliter, ac fructuosè corripere ſuos ſubditos, debent ipſi pro priori tali vitiô carere, de quo arguunt: & univerſaliter debent eſſe exemplum omnis virtutis, quam in ſubditis florere deſiderant. Qui enim alterum corripit in aliquo vitio, & ipſe in eodem jacet, hic non corrigit, ſed ſcandalizat alterum: correptus enim vel admonitus, intra ſe murmurabit, & dicet: *Me arguit de peccato, & ipſe in eodem hæret; priùs ipſe deſine peccare, tum quoq; me admonebis, vel corripies.* Ad dandam ergo fructuoſam correptionem, vel doctrinam, primariò indiſpenſabiliter requiritur exemplum bonum corripientis, arguentis, & docentis. Evidens hujus rei teſtimonium reliquit nobis Chriſtus Dominus in multis locis, ſed ſpecialiter Joannis 13. cap: ubi cùm ante feſtum Paſchæ omnes cum Illo eſſent congregati Apoſtoli ad cænam, nullam eis dedit doctrinam de lavandis pedibus proximi, ſed poſtquàm ſurgeret

& ſanctitatem; verùm à diabolo circumveniuntur, & cogitare de viis ac ſtudiis perfectionis virtutum, non ſinuntur, ſed perpetuò in priſtino ſpineto peccatorum, & timoris peccatorum, & dubiorum, & perplexitatum, ambiguarumq; ſolicitudinum, & indeterminatarum irreſolutionum detinentur, verſantur, reverſantur, circumrotantur, & exhauriuntur. Totum diei ac vitæ etiam ſuæ tempus, hisce ſpinis explicandis, replicandiſq; impendunt. Omnes ſuas vires in iis pervolutandis conſumunt: ad liberiora, ad quieta, ad filialia, ad ſtudia, inquam, virtutum, opera, affectus, & curas; ad charitatis & devotionis exercitia, ad ſerenitatem pacemq; cordis nunquam vacare, nunquam attollere mentem ſinuntur, nunquam poſſunt, nunquam audent, nunquam ſciunt. Quodſi quando curantur, ſtatim vel à diabolo, vel à ſua mente jam aſſueta, quaſi repelluntur, flagellantur, ad ſpineta ſuarum cogitationum de peccatis, deq; dubietatibus, tanquam ad luti & palearum opera retrahuntur, atq; mandantur.

Tandem contra ſcrupulos idem Author dat remedium obedientiam ſuperioribus, vel viris probatis præſtandam, hoc eſt: ut faciant id, quod ſuperiores, vel confeſſarii, aliiq; viri probati conſulunt, & perſuadent, verba præfati Authoris ſunt hæc: *Nec curantur aliter (ſcrupuloſi) niſi obediendo alicui, contemnendo ea, quæ tanquam neceſſaria volunt, & ſuſpicioſè ſectantur; contraria his, quæ facere vel feciſſe timent, omnino effracto timore conſultò faciendo, & conſcientiæ errantis, & ineptè timentis timores conculcando, & conſcientiam timidam, ad priſtinos ſuos timores relabentem, vel relabi volentem ſuſtinendo, partim conſiliô, partim imperiô alienô, idq; tamdiu, donec ſtare in recto aſſueſcant, & ad judicium ſanum ſectandum ſpontè ſua aſſueſiant.* Hactenus præfatus Author in libr: de ſublimitate perfectionis religio-

læ, in appendice 1ma fol. 308. & 309. referendo varia genera sanctitatis.

EXPOSITIO ET MEDITATIO LXXX.

Sustineat infirmos.

COnsidera *1mo.* Quòd S. Legislator quoties superiùs locutus est aliquid de infirmis, semper eo fine locutus est, ut prædicti infirmi vel discretiùs tractentur, vel ut cura eorum alicui uni injungatur, vel ut eis etiamsi nolint, medicus advocetur: verbô concludendo, in omnibus superioribus Regulæ punctis hoc intendebat S. Legislator, ut ipsis provideatur sufficientia bonorum temporalium, eorum statui & debilitati proportionata. Hìc autem S. Legislator, dum obligat quemq; superiorem hîs verbîs: *Sustineat infirmos*, jam non repetit hoc, quod superiùs dixerat, neq; iterùm secundariò mandat prædictam solicitudinem, sed tantùm injungit superioribus quandam sustinentiam infirmorum hîs verbîs: *Sustineat infirmos.* Pleriq; enim infirmi etiamsi habeant omnium temporalium sufficientiam, & proportionatam suæ debilitati commoditatem, tamen omnia malè judicant, omnia in contrarium interpretantur, & sic fiunt superioribus, vel ministris suis molesti, ut indigni censeantur illa charitate, quæ ipsis præstatur. Cæterùm quia misericordia superexaltat judicium, & aliîs operibûs major est charitas, ideò etiam tales infirmos injustè molestos, & sine prudentia murmu-

murmurantes, debet ſuſtinere ſuperior. Illa enim moleſtia non procedit ex ipſa infirmorum malitia, ſed partim ex nimia intenſione doloris continui, corpus eorum affligentis, partim ex variatione ſenſuum, propter quod non poſſunt diſcernere inter bonum & malum, partim ex recordatione anteactæ ſanitatis. Hæc enim dum eorum menti infigitur, talem amorem ejuſdem concipiunt, ut velint in inſtanti fieri vivaces & ſani; quod dum non acquirunt, tædiô nimiô occupantur, & ſic ex illo tædio ingenti, & ſibi ipſis, & aliis moleſti fiunt. Si ergo debemus aliquando ſuſtinere ſubditos noſtros, quando ex deliberata malitia peccant, multò magìs infirmos, qui vel ex intenſione doloris, vel ex variatione ſenſuum, vel ex tædio moleſtiam nobis inferunt. Deinde tales infirmi, vel poſuerunt aliqua merita in Religione, vel non poſuerunt? ſed ſolùm profeſſi ſunt Regulam: ſi poſuerunt? ergo in vim eorum meritorum debent ſuſtineri, quia hoc præſtant domini ſervis ſuis. Si non poſuerunt ulla merita à profeſſione diſtincta, nihilominus etiam & ipſa profeſſio facta, magnum meritum eſt, in qua & hi multa merita alia poſuiſſent, ſi infirmitate impediti non fuiſſent. Deinde profeſſio eſt contractus, quâ ſe profitens obligat Religioni, & Religio profitenti, adeòq; licèt ſtatim poſt profeſſionem infirmitate prematur incurabili, jam tenentur eum ſuperiores ſuſtinere. Licèt autem Chriſtus Dominus, arborem, quæ fructum non facit, excindi juſſerit; tamen hæc doctrina Chriſti intelligenda eſt de illis arboribus, ſeu hominibus, qui poſſunt facere, & nolunt, nec curant facere, infirmi autem continua infirmitate preſſi, vellent quidem fructum aliquem facere, imo mallent cum

aliis orare, cantare, meditari, quàm lecto sine interruptione affigi, sed nil horum possunt agere.

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, vel alicui regimini præfectus es, licèt tibi etiam post exhibitam omnem sufficientiam, molesti fiant infirmi, tamen eos quantùm fieri potest sustineas, partim subtrahendo te eorum importunis clamoribus, partim condolendo eorum afflictioni.

Considera *2do.* Quòd in omni religione, alii sint fortes in spiritu, alii infirmi seu debiles in eodem spiritu. Fortes in spiritu sunt, qui sicut susceperunt dulce jugum Christi portare in religione, ita illud sine intermissione portant, proficiunt, perseverant in suo proposito, & professione, istamq; fortitudinem non sibi, sed ipsi DEO adscribunt, dicentes: *Fortitudo mea & laus mea Dominus: & factus est mihi in salutem.* Ps. 117. Item: *Fortitudinem meam ad te custodiam; quia Deus susceptor meus es.* Et illud ad Philip: 4. v. 13. *Omnia possum in eo, qui me confortat.*

Infirmi seu debiles in spiritu sunt, qui libenter & prudenter inceperunt portare jugum Christi, & vivere in religione, sed postquàm super illos venit aliqua tentatio, persecutio, difficultas, vel occasio, statim deficiunt, languent, & dissipantur in spiritu, & tanquam levis arundo quôcunq; contrariô ventô moventur, flectuntur, declinantq; à suo proposito. Tales ergo amant paupertatem quando habent omnia necessaria, & omnem cogitabilem commoditatem: amant castitatem, quando non occurrit occasio minùs decentis conversationis: amant obedientiam, eamq; exercent, quando nihil arduum & difficile demandatur. Sobrii sunt, quando non datur

occa-

occaſio compotandi: patientes ſunt, dum à nemine irritantur, & impetuntur. Humiles ſunt, quando non occurrit contentio de gradu, vel aliquo officio, aut beneficio.

Quando autem contingit indigentia, converſatio prohibita, item quando aliquid arduum, aſperum, moleſtum, vel grave demandatur, ſtatim vacillant & franguntur. Pariter dum occurrit occaſio gratuita bibendi, irritandi, vel perſecutionis, vel contentionis de gradu, vel officio, aut beneficio, ſtatim recedunt à ſua ſobrietate, patientia, & humilitate, & concurrunt ad officium, multò magìs ad beneficium, imo officium etiam honorificum in monaſterio relinquunt, & beneficium arripiunt, & ſic in aliis caſibus & circumſtantiis contrariis ſe gerunt, & deficiunt.

Dum ergo S. Auguſtinus demandat Prælato: *Suſtineat infirmos;* intelligi poteſt de infirmis & debilibus in ſpiritu immediatè deſcriptis. Hos ergo infirmos & debiles in ſpiritu, debet ſuſtinere, pati, & confortare ſuperior: nam ſi illos negliget, & non confortabit, totaliter deficient à ſuo profectu, & nihil proderunt religioni, aut ſaltim non erunt ita proficui, ſicut antea fuerant.

Sicut autem ſuperior tenetur confortare infirmos, & debiles in ſpiritu, ita etiam illi ſe ipſos debent confortare, & attrahere ſpiritum DEO fortiter ſerviendi, juxta illud Pſal. 118. *Os meum aperui, & attraxi ſpiritum: quia mandata tua deſiderabam.* Ad quemlibet ergo debilem in ſpiritu loquor cum Pſalmiſta: *Expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum.* Et cum Paulo Apoſtolo 1. ad Timoth: 2. v. 1. *Fili mi confortare in gratia, quæ eſt in Chriſto JESU.* Et 2. Paralip: 15. v. 6.

Vos

Vos ergo confortamini, & non dissolvantur manus vestræ: erit enim merces operi vestro. Et 1. ad Cor: 6. *Vigilate, state in fide, viriliter agite, confortamini: omnia vestra in charitate fiant.* Porrò officium honorificum monasterii vel conventûs deserere, & beneficium arripere, videtur non esse charitas, sed aviditas, & quæsitio commodi temporalis, & proventûs, unde verificatur de talibus illud oraculum: *Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ JESU Christi.*

EXPOSITIO ET MEDITATIO LXXXI.

Patiens sit ad omnes.

COnsidera *1mo.* Quare S. Legislator etiam superiori injungit, ut sit patiens? ille enim non videtur habere talem, à quo patiatur: nemo est qui illum ex subditis arguere, increpare, corrigere, vel punire possit, omnes illi tenentur obedire, omnes illius admonitionem, correctionem, vel pœnam tenentur audire, vel sustinere, ad quid ergo illi necessaria est patientia? Illi patientia est necessaria, qui habet talem, à quo corrigatur, increpetur, arguatur, puniatur, non verò illi, qui ejusmodi correctore caret. Cæterùm si res bene pensetur, etiam superiori qualiscunq; ille sit, patientia est necessaria *1mo* ex eo, quia nullus potest fieri hæres cælestis gloriæ sine adminiculo patientiæ: unde & ipse Christus priùs pati voluit, & postea glorificari, juxta illud: *Oportet Christum pati, & sic intrare in gloriam suam.* *2do* ex eo, quia superior non potest

test bene & rectè suum ducere regimen sine patientia: sicut sol non potest facere diem absq; luce. Cujus ipsius voratio est, quia in omni regimine, plurima occurrunt voluntati & dispositioni superioris contraria, quæ si non ferat patienter superior, sed statim exardescat, vel impetu minùs ordinato ducatur, & se ipsum consumet, & alios in viam rectam non deducet. *3tio.* Patientia necessaria est superiori ex eo, quia ut ait Aristoteles: *Omne agens, patitur etiam à patiente:* cùm ergo superior sit quoddam agens respectu suorum subditorum, si aliquid patiantur à superiore subditi, & superiorem pati aliquid à subditis necessarium est. Imo pensatis pensandis, semper plùs patitur superior à subditis, quàm subditi à superiore, quia superior debet pati ab omnibus, quidquid illi adversum contigerit, subditi autem omnes, patiuntur ab uno superiore: porrò major est dolor uni ab omnibus, quàm omnibus ab uno illatus: sicut faciliùs est omnibus projecta ab uno sustinere jacula, quàm uni incussos ab omnibus tolerare impetus. Si ergo optabas tibi aliquando superioratum hoc fine, ut minùs patiaris, fallebaris: plùs pati debebis, quando superior fies. Dum eras subditus, unicum superiorem timebas, alios ut pares venerabaris, & amabas, dum autem superiorem ages, omnes quidem (utinam sincerè) te venerabuntur, tu verò omnes timebis, ne scilicet tibi admonenti resistant, corrigenti adversentur, punienti rebelles fiant, condemnanti in faciem maledicant.

Considera *2do.* Quòd sicut multi in præstandis beneficiis, vel debitis honestati religiosæ exhibendis necessariis, soleant moveri & duci acceptione personarum, ita

idem

idem solent facere in præstanda patientia, unde dum hi vel illi delinquunt, patienter eos ferunt, dum autem alii & quidem minùs delinquunt, non habent patientiam erga illos, sed statim puniunt, condemnant, & exterminare intendunt. Hanc ejusmodi acceptionem personarum prohibet S. Legislator, & jubet eandem omnibus exhibendam esse patientiam, dum inquit: *Patiens sit ad omnes:* hoc est, superior non debet esse patiens, tantùm supra aliquos *v. g.* modestos, compositos, & regulariter viventes, sed etiam super immodestos, discolos, & delinquentes contrà regularem observantiam. Ratio est, quia ipse Christus Dominus, *hujus patientiæ præbuit & demonstravit exemplum*, (ut docet S. Aug: de pænitentia cap: 3.) *quando ante passionem corporis sui, discipulum Judam, priusquàm ostenderet traditorem, pertulit furem, & ante experimentum vinculorum, & crucis, & mortis, labiis ejus dolosis non negavit osculum pacis.* Simile ejusdem patientiæ documentum reliquerunt nobis viri sancti, ante & post Christum viventes: *Sic tolerat Moyses adversus Aaron multitudinem idolum exigentem, & fabricantem, & adorantem: tolerat Moyses adversus Deum tot millia murmurantia. Tolerat David Saulem persecutorem suum, sceleratis moribus cælestia deserentem. Tolerat Samuel nefandos filios Heli, tolerat Esaias in quos tam vera crimina jaculatur. Legant qui volunt, legant qui possunt eloquia cælestia, invenient omnes Sanctos Dei servos, & amicos, semper habuisse, quos in suo populo tolerarent, cum quibus tamen illius temporis Sacramenta communicantes, non solùm non inquinabantur, sed etiam laudabiliter sustinebant, studentes sicut ait Apostolùs servare unitatem spiritûs, in vinculo pacis.* S. Augustinus Tom: 2. Epist: 162. Non tantùm ergo bonis,

non

non tantùm regulariter viventibus, sed etiam discolis, delinquentibus, & irregulariter viventibus exhibenda est patientia. Qui ergo superioris administras officium, esto patiens non tantùm erga bonos, honestos, & proficientes, sed etiam erga malos, & discolos, & generaliter erga omnes: *Cum tolerantia vivendum est nobis inter malos*, (inquit S. Augustinus) *qui tùm mali essemus, cum tolerantia vixerunt boni inter nos.*

EXPOSITIO ET MEDITATIO LXXXII.

Disciplinam libens habeat, metuendus imponat.

COnsidera 1mo. Quòd licèt nomen disciplinæ multas habeat significationes, tamen hôc locô juxta communem expositorum sensum, significat opera pœnitentialia, & omnes austeritates vitæ regularis, ut sunt abstinentiæ, vigiliæ, mortificationes corporis & animæ, & alia his similia: unde quando dicit S Legislator, ut Prælatus disciplinam libens habeat, significatur, ut omnis ille qui præest, etiam opera pœnitentiæ, nempe abstinentias, vigilias, mortificationes corporis, & alias vitæ regularis austeritates libenter subeat: Non tantùm enim simplicibus religiosis, sed etiam supremis Prælatis animæ salus obtinenda est, hæc autem sine operibus pœnitentiæ, & sine austeritate vitæ comprehendi non potest. Non ad solos religiosos simplices dictum est: *Carnem vestram domate jejuniis, & abstinentiâ escæ & potûs:* sed ad omnes indiscriminatim:

non ad solos inferiores clericos directum est illud Regulæ mandatum: *Orationibus instate, horis & temporibus constitutis:* sed ad universos in Religione viventes; pariter & alia prædictæ Regulæ puncta, non tantùm ipsis Presbyteris, vel neoprofessis, sed omnibus injuncta sunt, adeóq; & Prælatis: consequenter etiam ipsi Prælati tenentur libenter subire omnem vitæ regularis austeritatem. Cæterùm indolendum est, quòd multi quamprimùm ad aliquam prælaturam, vel superioratum ascendunt, statim descendunt à pristina austeritate vitæ. Antequàm essent Prælati, poterant simul cum aliis jejunare, abstinere, vigilare, dormitoria purgare, choro quotidie adesse, mensæ communi accumbere, alia munera etiam onerosa, etiam abjecta subire; postquàm verò altiùs promoti sunt, facti sunt delicati, jam non tantùm abstinentias voluntarias non exercent, sed etiam indicta jejunia frangunt, ad meridiem planè dormiunt, choro aut mensæ communi adesse erubescunt, exercitia humilitatis contra suam esse authoritatem putant; in omnibus deniq; ita singularitatem & mollitiem quærunt, ut omnem vitæ austeritatem, & operum pœnitentialium frequentiam exuant & deserant.

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, & simul in aliquo regiminis existis gradu, converte oculos mentis ad te ipsum, si disciplinam libens habeas, hoc est: si vitæ regularis austeritatem amas, & ita conservas, sicut fortè conservâsti, quando cæteris non præfuisti. Respice Carolum, & Henricum, Romanorum Imperatores augustissimos, respice Ludovicum Galliarum Regem, respice Hedvigim Ducissam Poloniæ, qui omnes, licèt in tam sublimi throno collocati fuerint, tamen etiam

cum

cum regalibus sceptris, continuam vitæ servârunt austeritatem. Veniant tibi in mentem Franciscus Salesius, Martinus Episcopus Turonensis, & alii innumeri SS. Præsules, qui licèt ab inferiori vitæ suæ statu ad altiorem gradum dignitatis Ecclesiasticæ evocati fuerint, tamen eandem vivendi austeritatem in Episcopatu reservârunt, quam ante Episcopatum exercere solebant. Tu verò non ad Episcopatum, sed longè ad inferiorem evectus es in Religione dignitatem, & plùs tibi præsumis concedere, quàm sibi concedere præsumpserint, multò magis digniores, doctiores, sanctiores, & nobiliores Antistites.

Considera *2do.* Quare S. Legislator mandat superiori, ut imponat disciplinam, seu aliquam austeritatem, vel pœnam metuendus? hoc est isto fine, ut metuatur ac timeatur, cùm imponere pœnam, ut metuamur, timeamur, minùs perfectum est: hoc enim sæpissimè fine, domini servis, tyranni mancipiis, principes subditis imponunt pœnas, ut tanquam domini & principes timeantur, à superioribus autem procul hic fastus abesse debet. Pensatâ tamen bene rei naturâ, etiam superior potest imponere disciplinam metuendus, seu hoc fine, ut metuatur: *1mo.* Propter conservandam regendi authoritatem, quæ valde difficilè conservari potest, ubi in subditis non adest metus, ac timor superioris. *2do.* Propter magis augendam regularis obligationis, & præceptorum Dei observantiam.

Metus enim seu timor duplex est, servilis, & filialis: Timor servilis est, quô timetur pœna, ut docet S. Legislator Hom: 8. in Psal: 118. *Timor namq; iste, quô non amatur justitia, sed timetur pœna, servilis est: quia carnalis est,*

& ideò non crucifigit carnem, vivit enim peccandi voluntas, quæ tunc apparet in opere, quando ſeparatur impunitas. Timor filialis eſt, quô DEUS, aut ſuperior in loco Dei exiſtens timetur, ut ametur juſtitia. Quando ergo S. Legislator injungit ſuperiori, ut imponat diſciplinam metuendus ſeu timendus, non hoc fine debet eam imponere metuendus, ut timeatur ſervili timore, ſed hoc fine, ut timeatur filialiter, ſeu ut magis ametur juſtitia, ut magis ametur regularis obſervantia, & mandatorum Dei adimpletio.

Non omnis ergo timor eſt reprehenſibilis, ſed ut ait Divus Ambroſius in Pſal: 120. *Eſt etiam infirmitas ad ſalutem, eſt etiam timor ſanctorum. Timete Dominum omnes ſancti ejus.* Et: *Beatus vir qui timet Dominum: qua ratione beatus? quia in mandatis ejus cupit nimis.* Qui ergo vult eſſe beatus, timeat Deum, timeat ſuos ſuperiores, non ideò quia timet pœnam, ſed ideò quia cupit nimis, ut mandata Dei & ſuperiorum obſervet. Licèt igitur congruum ſit aliquando, ut ſuperior imponat diſciplinam metuendus, metu ſeu timore ſervili, dum ſcilicet duræ cervicis ingenia aliter flecti non poſſunt: congruentiſſimùm tamen eſt, ut imponat eandem metuendus timore filiali, hoc eſt: ut ament ſubditi juſtitiam, ut cupiant nimis mandata Dei obſervare. Hunc timorem commendat nobis ſcriptura dicens: *Initium ſapientiæ timor Domini:* & S. Auguſtinus, pariter eundem commendat timorem, docetq; eum eſſe præparativum charitatis, dum in Epiſt: Joan: Tract: 9. cap: 4. inquit: *Timor quaſi locum præparat charitati, cùm autem cœperit charitas habitare, pellitur timor, qui ei præparavit locum: quantùm enim illa creſcit, ille decreſcit; & quantùm illa fit interior, timor pellitur foras. Major charitas,*

ritas, minor timor, minor charitas, major timor. Si autem nullus est timor, non est quà intret charitas. Ostium ergo & porta charitatis erga Deum, quâ intrat in cor nostrum, est filialis timor Dei, & superiorum; qui timor si desit, deest & porta, per quam intret charitas. Proinde ne videamur portam claudere charitati erga Deum, timeamus Deum, & superiores filialiter timeamus, ut amemus justitiam, ut amemus observantiam regularem, & præceptorum Dei integram adimpletionem, timorem autem servilem procul à nobis excludamus; quia hic est communis servis & latronibus: *Quid magnum est timere pænam? hoc & nequissimus servus, & crudelissimus latro facit:* inquit S. Legislator Tom. 9. in Evang. Joan: Tract. 43. Porrò timor nequissimorum servorum, & crudelissimorum latronum, procul esse debet à viris religiosis Deo dicatis.

Considera *3tio.* Quanta mala sibi ipsis causent Prælati, & superiores illi, qui ad prælaturam, vel aliquod regimen evecti, disciplinam libenter non habent, sed penitùs vitæ regularis austeritatem deserunt. Prædicti ergo superiores & Prælati causant sibi mala sequentia; *imo* vilipensionem, contemptum, & malam opinionem de se ipsis apud subditos, totus enim ferè honor, æstimatio, & reverentia, quæ superioribus tribuitur à subditis, fundatur in pietate superiorum, & vitæ regularis asperitate, ideò quando hoc fundamentum cadit, etiam cadit & illud, quod tali fundamento innititur, & in locum ipsius succedit vilipensio, contemptus, & mala opinio.

2do. Causant inobedientiam in subditis, seu sunt causa, ut sibi non obediant subditi; hi enim, præsertim minùs perfectè disciplinati, tamdiu obediunt, quamdiu

nihil

nihil devium vident in superiore, postquàm autem adverterint, arripiunt occasionem resistendi, & exprobrant superiori, etiam illam imperfectionem, vel defectum, cujus notitiam habent.

3tio. Prædicti Prælati & superiores, causant sibi ipsis delationem suorum defectuum, ad altiùs forum, tum ex eo, quòd DEUS nolit pati eorum malitiam, tum ex eo, quia tales etiam superiores volunt, ut sibi ita obediatur, sicut obediri solet disciplinatis, quod dum non obtinent, inobedientes juxta statuta Ordinis cohibere conantur, subditi autem volentes tegere suam inobedientiam, vel aliud quodvis peccatum, recurrunt ad altiorem potestatem, illiusq; superioris minùs disciplinati omnes deferunt defectus, commissiones exportant, & alia hujusmodi attentant, sed etiamsi tales recursus non fiant, ipsi plerumque consiliarii, definitores, assistentes &c. debent deferre talium superiorum indisciplinatos mores, ne illorum casu quotidiana cadat, vel notabiliter minuatur regularis vitæ observantia.

4to. Prædicti superiores causant sibi ipsis depositionem ex prælatura, privationem vocis activæ & passivæ, inhabilitatem ad officia postmodum obtinenda: dum enim sufficienter illis probatum fuerit, quòd vitæ regularis integritatem non servaverint, sed ipsi etiam penitùs violaverint, & intermiserint, quid aliud ipsis evenire potest? nisi depositio, privatio, & inhabilitas ad similia postmodum tractanda?

5to. Prædicti superiores & Prælati causant sibi horrendum judicium Dei, si enim DEUS illos viros religiosos strictè judicabit, qui voverunt, & non impleverunt: multò stri-

tò stri-

tò strictiùs judicabit illos, qui facti sunt duces voventium ad bonum, & interim relicta sua obligatione, facti sunt duces ad malum.

Qui ergo vocatus es ad prælaturam, vel ad aliud inferius regimen, propone tibi ante oculos hæc omnia detrimenta, ex non observata disciplina religiosa provenientia, & tibi perniciosissima: & primus cures, ut disciplinam religiosam serves, tunc illam omnes servabunt.

EXPOSITIO ET MEDITATIO LXXXIII.

Tamen à vobis plùs amari appetat, quàm timeri.

COnsidera *1mo.* Quòd fundamenta necessaria ad bonum regimen, sunt duo: 1mum est amor subditorum erga superiorem, alterum est timor superioris: quia in omni regimine bene regendo, aut subditi alliciendi sunt ad bonum, & ad hoc multùm confert amor subditorum erga superiorem: quomodò enim persuasione illius allici poterunt, si eum odiô habebunt? aut sunt retrahendi à malo, & ad hoc multùm confert timor superioris, quomodò enim authoritate illius, vel mandatô retrahentur à malo, si eum non timebunt? Quando autem hæc duo adsunt in subditis, relativè ad superiorem, tunc etiamsi superior aliquod gravius injunxerit, amore ipsius omnia tolerabunt: si autem ex propria fragilitate, vel malitia aliquid prohibitũ amplexi fuerint, facillimè timore superioris ab illa re prohibita retrahi poterunt. Cæterùm quamvis hæc duo

duo ſint principalia fundamenta cujuslibet regiminis bene regendi, tamen non eô modô ſunt neceſſaria, ſed unum magìs, alterum minùs: *Et quamvis utrumq; ſit neceſſarium, tamen à vobis plùs amari appetat, quàm timeri,* inquit S. Legislator. Doctrina hæc conſtat ex oraculo Chriſti Domini, qui pro primo & maximo mandato poſuit dilectionem DEI, & proximi, non poſuit autem timorem DEI, & proximi, adeòq; voluit plùs amari Deum, quàm timeri: & ſuperiores in loco Chriſti & DEI exiſtentes, non poſſunt hunc invertere ordinem, ſed potiùs eundem ſequi debent, adeòq; curare tenentur, ut plùs amentur, quàm timeantur: cùm per amorem plùs poſſint efficere in ſubditis, quàm per timorem.

Amor enim ſecurum ad ſuperiorem acceſſum conciliat, timor verò præſertim ſervilis ingreſſum retardat: amor libenter imo libentiſſimè mandata exequitur ne offendat, timor plerumq; renuit, aut occultè murmurat, vel ſi exequitur, hoc facit ideò, ne puniatur. Amor ubiq; ſuperiorem etiam abſentem veneratur, commemorat, laudat, & æſtimat: timor præſentem nonniſi colit, laudes vel recordationes abſentis minùs curat, & de pretio vel æſtimatione illius promovenda minùs attendit. Amor honorem ſuperioris ubiq; defendit, & licèt ab aliquo indifferenter taceatur, tamen eundem ex profeſſo in medium attollit, promovet, & magnificat: timor negativè ſe habet ad iſta omnia, hoc eſt, non detrahit quidem honori ſuperioris, ſed etiam eundem poſitivè non promovet. Amor nunquam contra ſuperiorem convitia colligit vel exagitat, timor ſervilis ſeu timor pœnæ à ſuperiore infligendæ, plerumq; ad convitia refugit, ut pœna impunè

abeat.

abeat. Amor nunquam deserit superiorem, nunquam contemnit, nunquam altiùs forum ab illo appellat, timor est facilis ad deserendum illum, quem timet, postquàm deserit, contemnit, postquàm contemnit, suum contemptum appellatione, tanquam palliô vult protegere. Amor beneficia etiam minutissima extollit, auget, & ampliat, timor autem servilis, vix tantum eis valorem tribuit, quantum ex se habebant. Amor pro motivo habet bonitatem objecti, timor justitiam vindicativam, amor deniq; subditorum erga superiorem, ita eundem reddit securum, paccatum, & quietum, ut nihil adversi ab illis timere, vel suspicari valeat, timor autem in subditis existens, etiam ipsi superiori quandam inquietudinem adfert.

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, & gregem tibi commissum regis, scias optimè, quòd duo habeas principia & fundamenta regiminis bene & prudenter ducendi, nempe amorem, & timorem: cæterùm semper cures à tuis subditis plùs amari, quàm timeri, quia plùs valet unus gradus amoris veri erga te, quàm mille similes gradus timoris, expertus potest credere, cui aliquoties impositum est onus cæteros regere.

EXPOSITIO ET MEDITATIO LXXXIV.

Semper cogitans Deo se pro vobis redditurum rationem.

CONsidera *1mò*. Quantum sit onus superioris cujuslibet? ecce non satis est, quòd debeat subditis doctrinam

ſpiritualem, & reliqua omnia ad animam, ejuſq; ſalutem neceſſaria providere, non ſatis eſt, quòd victum & amictum debeat ſufficienter præbere, rei familiaris totiuſq; œconomiæ domeſticæ curam habere, inquietos corripere, conſolari puſillanimes, ſuſtinere infirmos, patiens eſſe ad omnes, ſed præter hæc & multa alia, hoc onus graviſſimum habet ſibi impoſitum, quòd pro ſuis ſubditis in horrendo DEI judicio, rationem reddere teneatur, ut inquit S. Legislator: *Semper cogitans Deo ſe pro vobis redditurum rationem.* Torquet multos ſuperiores malitioſa ſubditorum inobedientia, affligit continuata murmuratio, exacerbat pertinacia, enervat aſſidua cura circa temporalia illis providenda, diminuit ſanitatem eorum quotidiana circa progreſſum ſibi commiſſorum vigilantia, ſed hæ anguſtiæ cum vita præſenti finiuntur: obligatio autem reddendi rationem pro ſubditis, poſt mortem reſervatur, quam DEUS ita ſtrictè exiget pro ſubditorûm peccatis, ſicut & pro eorundem ſuperiorum defectibus.

Peccata enim duplicia ſunt in univerſum, alia propria, alia aliena: peccata propria ſunt, quæ propria peccantis voluntate committuntur. Peccata aliena ſunt, quæ aliena voluntate committuntur, imputantur tamen alteri, vel ex eo, quia illa debuit impedire, & non impedivit, ſed diſſimulavit, vel ex eo, quia occaſiones peccandi, neglexit ſubtrahere. Ideò ſi ſuperiores non impediant, vel non ſubtrahant occaſiones peccandi, non tantùm pro ſuis, ſed etiam alienis, hoc eſt ſubditorum peccatis, ſtrictam rationem reddere debebunt. Si igitur magnum eſt opus & grandis horror, reddere rationem pro ſuis peccatis, tantò majus eſt onus reddere pro ſuis, & alienis. Qui ad

regen-

regendum assumitur, paratus esse debet non ad quietem, sed ad continuas de subditis vigilias, non ad otium, sed ad laborem, non ad eminentiam, sed ad ministrandum aliis, non ad lætitiam, sed ad continuam afflictionem, non ad respirium, sed ad jugum quotidianæ solicitudinis, non ad absolutionem, sed ad subeundam obligationem reddendæ rationis, tam pro suis, quàm pro aliorum peccatis.

Videtur quidem in omni regimine resplendere quædam honoris eminentia, videtur apparere quoddam respirium à laboribus, videtur præseferri libertas à choro, à vigiliis pro matutino, dispensatio ab oneribus communibus, videtur relucere quædam major inter homines æstimatio, dignitas, & prælatio, sed quando devenitur ad rem ipsam regendi, longè majora occurrunt negotia, difficiliores eveniunt labores, frequentiores occurrunt vigiliæ, intensiores angustiæ mentis, fortiores afflictiones spiritûs: dum hi non obediunt, alii pertinaciter hærent in malo, illi ebrietati indulgent, hi murmurant, cæteri contendunt, aliqui contra authoritatem insurgunt, nec horum finis, sed tandem post has spiritûs angustias, post afflictiones continuas mentis, restat maximum & inevitabile onus, scilicet obligatio reddendi rationem, tam pro suis, quàm pro alienis imperfectionibus. Hæc omnia intra te diligenter compone, composita revolve diligenti animo, & nunquam ambies præesse, recordando præsertim illius, quod dicit Chrysostomus, dialog: lib: 3. *Quicunq; desideravit primatum in terra, inveniet confusionem in cælo. Et inter servos Christi non computabitur, qui de primatu tractavit, nec unusquisq; eorum festinet, quò aliis major videatur, sed quomodò omnibûs inferior appareat, quoniam, non qui major*

fuerit in honore, ille justior fuerit, ille est major. Conversatio ergo melior est desideranda, non dignior gradus.

Considera *2do.* Cuinam reddere debeat rationem superior pro peccatis suorum subditorum? Certum quidem est, quòd si fuerit superior subalternus, debeat reddere rationem ei, à quo immediatè dependet, *v.g.* si est Præpositus particularis, debet reddere rationem Provinciali, ipse autem Provincialis Commissario, vel Generali: cæterùm non hic finis est hujus calculationis, adhuc in altiori foro, altiori Judici reddenda est, nempe ipsi DEO, supremo omnium creaturarum Judici. Unde S. Legislator non dixit: *Semper cogitans Generali se pro vobis redditurum rationem*: ut ostendat, quòd redditio rationis pro peccatis subditorum, non terminetur absolutè apud Judices, & superiores creatos, sed extenditur & protrahitur ad universalem, Generalem, & altissimum cujuslibet creaturæ Judicem & Superiorem illimitatum, ac à nemine altero dependentem.

Parùm est coram Provinciali vel Commissario reddere officii nostri rationem, parùm est coram Generali vel alio quocunq; Judice creato exponere nostri regiminis calculationem, hos enim omnes possumus aliquando captare submissione, possumus convincere rationibûs, eludere subtilitatibûs, decipere effugiîs jurîs, seducere quadam authoritate officii, & quasi colore manutenendi honorem superioris, sed quando causa deveniet ad supremum illud Tribunal, hæc omnia nihil valebunt, ibi enim inquit S. Augustinus Epist: 263. *Transit honor hujus sæculi, transit & ambitio. In futuro Christi judicio, nec absidæ gradatæ, nec cathedræ velatæ, nec sanctimonialium occursantium*

atq;

atq; cantantium greges, adhibebuntur ad defensionem, ubi cœperit accusare conscientia, & conscientiarum arbiter judicare. Quæ hic honorant, ibi onerant, quæ hic relevant, ibi gravant. Ista, quæ pro tempore honori nostro exhibentur, defendent fortè bonam conscientiam, defendere autem non poterunt malam.

EXPOSITIO ET MEDITATIO LXXXV.

Unde vos magìs obediendo, non solùm vestri, sed etiam ipsius miseremini, quia inter vos, quantò in loco superiori, tantò in periculo majore versatur.

COnsidera *1mo.* Multa sunt, quibûs debent misereri viri religiosi, illi enim debent misereri afflictis, & subministrare consolationem egenis, & providere illis necessaria ad vitam sustinendam, debent misereri oppressîs, & præbere illis liberationem; debent misereri infirmîs, & curare illorum salutem; debent misereri captivîs, & vindicare illos à servitute. Sed specialia miserationis opera virorum religiosorum sunt duo: *1mum*, misereri sibi ipsis, *2dum* misereri suis Prælatis & Superioribus, & hæc duo miserationis opera expressè injungit S. Legislator sui instituti professoribus, dum inquit: *Unde vos non solùm vestri, sed etiam ipsius miseremini.* Porrò misereri sibi, nihil aliud est, nisi animam suam conservare illæsam, eamq; non occidere per violationem Regulæ, statutorum, & omnium universaliter præceptorum DEI. Quoties enim

nim peccamus, ſtatuta, Regulam, in his, quæ cadunt ſub vota, & præcepta DEI violamus, toties animam occidimus, inferni ream efficimus, & beatitudine cæleſti privamus. Dum autem ab his abſtinemus, eô ipsô miſeremur animæ noſtræ, conſervando eam à morte æterna, & infelicitate maledicta.

Miſereri ſuperioribus, nihil aliud eſt, niſi ipſis ſubmiſsè obedire, quod injungunt libenter facere, præcepta DEI, Regulam, & ſtatuta implere, eoſdem pertinaciâ, contentionibûs, vel murmurationibûs non affligere. Quoties igitur refractarii ſumus voluntati ſuperiorum, quoties non obedimus, quoties cum illis contendimus, de rectitudine mandatorum diſputamus, vel malitiosè illos exacerbamus, toties non miſeremur ſuperioribus noſtris, ſed crudeles efficimur in ipſos: crudelitas enim eſt, eum malitiosè affligere, exacerbare, & contriſtari, qui vitam animæ noſtræ & corporis ſuſtentat, qui nos ſpiritualiter & temporaliter nutrit, & tandem debet reddere rationem, ſi nos non ita, qualiter pertinebat, nutrivit.

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, *imo* miſerere tibi ipſi, & animæ tuæ, non occidendo eam tua ipſius malitioſa voluntate: miſerere conſcientiæ tuæ, non agendo unquam contra dictamen ipſius. Miſerere *2do* ſuperioribus tuis, ſubmiſsè illis obediendo, præcepta DEI ſervando, Regulam implendo, ſtatuta Ordinis intemeratè ſervando, afflictionem ſpiritûs eiſdem non cauſando: quorum, ſi ita miſereberis, etiam tui miſerebitur DEUS in illo inſtanti, quô tu ipſe indigebis maximè miſericordiâ ejus.

EXPO-

EXPOSITIO ET MEDITATIO LXXXVI.

Donet Dominus, ut observetis hæc omnia, tanquam spiritualis pulchritudinis amatores, & bono Christi odore, de bona conversatione fragrantes, non sicut servi sub lege, sed sicut liberi sub gratia constituti.

COnsidera *1mo.* Quòd observatio præceptorum DEI, consequenter & Regulæ, duplex cogitari possit. Prima est naturalis, quam creatura potest ponere solis viribus naturæ, cum solo concursu generali DEI. Altera observatio præceptorum DEI & Regulæ est supernaturalis, quam creatura non potest ponere solis viribus naturæ, cum solo concursu generali DEI, sed ad hoc indiget speciali gratiâ DEI, elevante illam ad actum supernaturalem. Naturalem observationem aliquorum præceptorum DEI, exercent etiam infideles, & hæretici, quia & illi habent multa opera bona naturalia, quia verò fidem veram non habent, ideò etiam gratiâ speciali sunt destituti. Observationem supernaturalem præceptorum DEI, exercent fideles Catholici, qui, sicut veram fidem habent, ita etiam gratiæ DEI specialis & supernaturalis capaces sunt, illaq; fidelibus à DEO infunditur, si illam per peccata sua non impediunt.

Quando ergo S. Augustinus inquit: *Donet Dominus, ut observetis hæc omnia:* inculcat nobis observationem Regulæ, non naturalem, sed supernaturalem, dependentem à gra-

à gratia DEI, quod significant illa verba: *non, sicut servi sub lege, sed sicut liberi sub gratia constituti.* Ex quibus verbis colligitur, quòd observatio præceptorum & Regulæ, dependeat à donatione DEI, & à speciali gratia Ipsius. Licèt autem nemo scit, utrum sit amore vel odio dignus? tamen certum est illud axioma Theologicum: *Facienti quod in se est, DEUS non denegat gratiam.* Dum ergo facimus quod in nobis est, speramus quòd nobis DEUS non deneget gratiam, & in hac spe & fide operari, & Regulam observare tenemur, in eaq; proficere.

Sive ergo observamus unum vel omnia præcepta Regulæ, non possumus nobis totum tribuere, vel adscribere, sed principaliter DEO, nobis autem aliquid cum gratia DEI, exemplô S. Pauli dicentis: *Non ego, sed gratia DEI mecum.* In eundem sensum loquitur S. Augustinus Tom: 2. Epist: 89. *Illud quod dicunt sufficere homini, liberum arbitrium ad dominica præcepta implenda, etiamsi DEI gratiâ, & Spiritûs S. donô, ad opera bona non adjuvetur, omnino anathematizandum est, & omnibûs execrationibûs detestandum.* Ad extremum concludo authoritate S. Concilii Tridentini sess: 6. cap: 6. dicentis: *Absit, ut Christianus homo in se ipso vel confidat, vel glorietur, & non in Domino: cujus est tanta gratia omnes beatificans, ut eorum velit esse merita, quæ sunt illius dona.* Videas ergo qualiter te in observatione præceptorum DEI, & Regulæ geras? & gratiam DEI petas, ut cum ea vivas, proficias, & totam tuam obligationem exequaris, & adimpleas.

Considera *2do.* Illa verba S. Augustini: *tanquam spiritualis pulchritudinis amatores.* Ad hoc intelligendum, sciendum est, quòd pulchritudo duplex sit, una spiritualis, alte-

altera corporalis. Pulchritudo corporalis est illa, quæ provenit à forma corporis, & quam amatores mundi sectantur. Pulchritudo spiritualis est, primò illa innocentia, quam anima acquirit in Baptismo, eamq; conservat. *2do*, est illa puritas animæ, & conscientiæ, quæ acquiritur per sacramentum pænitentiæ. *3tio*, sunt virtutes morales, & bona opera, quæ anima constanter & perseveranter exercet, post peractam pænitentiam. *4to*, est gratia sanctificans, de qua Tridentin: sess: 6. cap. 7. inquit: *Unica formalis causa justificationis, est justitia Dei, non quâ Ipse justus est, sed quâ nos justos facit: quâ videlicet ab eo renovamur spiritu mentis nostræ, ut non modò reputemur, sed verè justi nominemur, & simus, justitiam in nobis recipientes.* *5to.* Sunt habitus infusi seu virtutes Theologicæ, à DEO nobis infusæ: quales sunt fides, spes, & charitas. *6to.* Sunt gratiæ speciales supernaturales, prævenientes & concomitantes.

Breviùs loquendo, pulchritudo spiritualis animæ, consistit in omnibus ornamentis, donis cælestibus, & in exercitiis spiritualibus, seu in omni justitia, de qua Psal: 44. dicit Propheta: *Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus oleô lætitiæ, præ consortibus suis.* Et S. Augustinus in Psal. 64. inquit: *Quædam est pulchritudo justitiæ, quam videmus oculis cordis, & amamus, & exardescimus: quàm multùm dilexerant homines, in ipsis Martyribus, cùm eorum membra bestiæ laniarent. Nonne cùm sanguis fædaret omnia cum morsibus belluinis, viscera scinderentur, non habebant oculi, nisi quod horrerent? quid ibi erat, quod amaretur? nisi quia erat, in illa servitute dilaniatorum membrorum, integra pulchritndo justitiæ.*

Dum ergo S. Augustinus inquit: *tanquam spiritualis*

pulchritudinis amatores : per hæc verba inculcat nobis, quòd debeamus amare, & exercere pulchritudinem ſpiritualem, à pulchritudine autem corporali remotiſſimi eſſe curemus. Et ratio eſt, quia vir religioſus debet differre ab amatoribus mundi: amatores ergo mundi quærunt pulchritudinem corporalem: viri religioſi debent quærere pulchritudinem ſpiritualem. Tu hìc expende, qualem cures pulchritudinem?

Conſidera *3tio.* Illa verba S. Auguſtini: *Et bono Chriſti odore, de bona converſatione fragrantes;* per quæ verba inculcat S. Auguſtinus, ut bonæ converſationi adhæreamus, immoremur, eamq́; exerceamus, malam autem ut caveamus. Ratio eſt, quia bona converſatio efficit hominem bonum, mala autem efficit hominem malum, ut conſtat ex Pſal. 17. *Cum ſancto ſanctus eris: cum viro innocente innocens eris. Et cum electo electus eris: & cum perverſo perverteris.* Unde idem Ptopheta Pſal. 128. orat Deum, ut eum ab iniquo homine eripiat: *Judica me Deus, & diſcerne cauſam meam, de gente non ſancta, ab homine iniquo & doloſo erue me.* Et Pſal. 139. *Eripe me Domine ab homine malo, à viro iniquo eripe me.* Et rationem ſuæ petitionis dat Propheta in ſequentibus immediatè verſibus: *Qui cogitaverunt iniquitates in corde, tota die conſtituebant prælia. Acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentis: venenum aſpidum ſub labiis eorum. Cuſtodi me Domine de manu peccatoris: & ab hominibus iniquis eripe me. Qui cogitaverunt ſupplantare greſſus meos: abſconderunt ſuperbi laqueum mihi. Et funes extenderunt in laqueum: juxta iter ſcandalum poſuerunt mihi.* Ex quibus verbis Pſalmiſtæ manifeſtè patent effectus malæ converſationis cum iniquis: nempe, quòd contra nos

cogitent iniquitates in corde ſuo, & quòd tota die conſtituant contra nos prælia, quòd acuant contra nos linguas, tanquam ſerpentes, quòd conſervent venenum ſub labiis ſuis, quòd ſupplantent greſſus noſtros, & laqueos nobis objiciant, & tandem ſcandala pariant.

Sicut modicum fermentum totam maſſam corrumpit, ita etiam modica converſatio cum iniquis, totum hominem deſtruit, & in ſuam naturam, mores, & nequitiam traducit. Converſatio mala cum inobedientibus, facit nos inobedientes, cum rebellibus, facit nos rebelles, cum bibonibus, facit nos bibones, cum impudicis, facit nos impudicos, cum diffamatoribus ſuperiorum, vel aliorum quorumcunq; facit nos diffamatores, cum violatoribus ſilentii, facit nos ejuſdem ſilentii violatores, cum abſentibus ab Horis Canonicis, facit nos ab iiſdem Horis abſentes, cum ſeditioſis, ſeditioſos, cum murmurantibus, murmurantes, cum tepidis, tepidos, cum imperfectis, imperfectos, cum diſcolis, diſcolos, cum ſtultis, ſtultos, cum notatis, notatos, & ſic de aliis intelligendum eſt.

E contra bona converſatio cum bonis, efficit nos bonos, cum juſtis, juſtos, cum obedientibus, obedientes, cum ſobriis, ſobrios, cum pudicis, pudicos, cum pauperibus, pauperes, cum contemptoribus mundi, facit nos contemptores ejuſdem mundi, cum cultoribus ſuperiorum, facit nos cultores eorundem, cum obſervatoribus ſilentii, facit nos obſervatores ſilentii, cum perfectis, facit nos perfectos, & ſic de reliquis dicendum eſt. Confirmat hoc ipſum S. Iſidorus libr: 2. ſolil: dicens: *Sancta converſatio confundit inimicum, ædificat proximum, glorificat Deum.* Præterea Seneca Epiſt: 94. inquit: *Nulla res magis animis hone-*

honeſta inducit, dubioſq; & in pravum inclinabiles revocat ad rectum, quàm virorum bonorum converſatio; paulatim enim deſcendit in pectora, & vim præceptorum obtinet, frequenter audiri, adſpici frequenter. Occurſus ipſe ſapientium juvat: & eſt aliquid, quod ex magno viro, vel tacente proficias. Cum talibus ergo tibi eſt converſandum, ex quibus potes ædificari, & induci per eos ad Deum glorificandum, vel ex quorum etiam tacentium conſortio proficere valeas.

Conſidera *4to.* Sicut converſatio cum viris iniquis, eſt periculoſa, ita eadem converſatio cum mulieribus, eſt periculoſiſſima, perniciosiſſima, & maximè noxia: præſertim, ſi fiat ſine licentia ſuperioris, & ſine ulla neceſſitate, & ſine cura vel zelo ſalutis animarum, ſed propter ſolam vanitatem, accomodationem eiſdem mulieribus, vel propter ſolam notitiam, familiaritatem, confidentiam contrahendam, vel diſtractionem inutilem capiendam.

Ratio 1ma eſt. Converſatio cum mulieribus eſt periculoſa, prohibita etiam perſonis ſæcularibus, propter multas & legaliſſimas cauſas: proinde viris religioſis eſt magis periculoſa, & prohibita, qui obſtringuntur votô caſtitatis, & obligantur, ut nihil etiam minimum, admittant contrarium ſuæ caſtitati.

Ratio 2da. Quia converſatio cum mulieribus, eſt ſemper ſubjecta ſuſpicioni, & malæ opinioni hominum: etiamſi enim aliquis converſetur cum mulieribus honeſtiſſimè, tamen homines eam converſationem videntes, ſtatim malîs ſuſpicionibus agitantur, de taliter converſantibus.

Ratio 3tia eſt. Quia viri religioſi facti ſunt ſpectaculum mundo, angelis, & hominibus: cùm ergo tantos,

& tot

& tot spectatores habeant, debent esse cautissimi, ne quid indignum tantis spectatoribus admittant. Cùm autem audacter, procaciter, dissolutè cum mulieribus conversantur, faciunt id, quod est indignum, & inconveniens eorum vocationi & professioni.

Ratio 4ta. Quia multi viri etiam perfecti, & in castitate probatissimi, ex incauta conversatione cum mulieribus, prolapsi sunt in gravissima peccata, ut constat ex tot historiis, & ex Ecclesiastici cap: 9. v. 8. *Propter speciem mulieris, multi perierunt, & ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit.* Et ex S. Augustino dicente: *Experto crede, coram DEO non mentior: Cedros Libani, Duces gregum, sub hac peste concidisse reperi, de quorum casu, non magis suspicabar, quàm Hieronymi, vel Ambrosii.*

Ratio 5ta. Sicut impossibile est ignem tangere, & non aduri, sic planè impossibile est cum muliere audacter conversari, & tamen non inquinari. Constat id Proverb: 6. v. 27. *Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta ejus non ardeant? aut ambulare super prunas, ut non comburantur plantæ ejus? sic qui ingreditur ad mulierem proximi sui, non erit mundus, cùm tetigerit eam.*

Ratio 6ta. Quamvis fæminas transeunter, obiter, & casualiter videre non sit prohibitum, ut patet ex Regula ubi dicitur: *Neq; enim quando proceditis, fæminas videre prohibemini:* tamen multi sancti & perfecti viri ita fæminas cavebant, ut illas nunquam viderent, imo neq; in vultu noscerent: consequenter fugiebant diligentissimè conversationem earundem.

Hîs consideratîs, propono tibi pro principali exemplo S. Augustinum, qui conversationem mulierum ita fugie-

fugiebat, ut etiam mulieres consanguineas intra domum suam non admitteret, ut testatur de illo B. Possidonius, in vita ipsius cap. 25. *Fœminarum intra domum ejus, nulla unquam conversata est, nulla mansit, nec quidem germana soror, quæ vidua DEO serviens, multo tempore, usq; in diem obitûs sui, præposita ancillarum Dei vixit. Sed neq; Patrui sui filiæ, & fratris sui filiæ, quæ pariter DEO serviebant, quas personas sanctorum Episcoporum Concilia in exceptis posuerunt. Dicebat verò, quia etsi de sorore & neptibus secum commorantibus, nulla nasci possit mala suspicio; tamen quoniam illæ personæ, sine aliis necessariis, secumq; manentibus fœminis, esse non possent, & quod ad eas etiam aliæ à foris intrarent, de iis posse offendiculum, aut scandalum infirmioribus nasci.* Et infrà idem Possidonius cap: 27. testatur: *In visitationibus verò modum tenebat ab Apostolo definitum, ut nonnisi pupillos & viduas in tribulationibus constitutas visitaret. Et si fortè ab ægrotantibus ob hoc peteretur, ut pro eis in præsenti Deum rogaret, eisq; manus imponeret, sine mora pergebat. Fœminarum autem monasteria, nonnisi urgentibus necessitatibus visitabat.* Hoc ergo exemplum S. Augustini in fugiendis conversationibus mulierum sequaris, & nunquam in conversatione cum illis peccabis.

S. Augustinus ad domum & cellam suam, nullam admisit mulierem etiam sororem, aliasq; consanguineas: proinde & tu sive in monasterio, sive extra monasterium existis, nullam mulierem etiam sororem, aliasq; consanguineas admittas. S. Augustinus ideò etiam consanguineas, ad suam domum, cellam non admisit, quia timebat ne ex illis fieret offendiculum vel scandalum: proinde & tu, ne præbeas scandalum, exclude omnem mulierem à tua domo, & cella. Et ad hoc obligant te consti-

tutiones Ordinis, à S. Sede approbatæ, quæ obloquuntur, quòd non tantùm in monasterio, sed etiam in beneficio obligatus sis ad clausuram.

APPENDIX

In qua referuntur Constitutiones Ordinis, à S. Sede Apostolicâ approbatæ, contra ingressum, & conversationem cum mulieribus.

CONSTITUTIO I.

à Sixto V. Pontifice Maximo approbata.

QUamvis in literis Pontificum Pii Quinti, & Gregorii XIII. nulla esse videatur obscuritas, quæ explicatione indigeat, tamen ne ex fratrum memoria effluant, quæ ab iis constituta sunt, nôrint, non solùm ad conventuum claustra, sed ad omnium regularium cujuscunq; instituti, ordinis domos, & loca, mulieribus ingressum præcludi; pœnæ, quas subeunt ii, qui contra quam ab illis sancitum fuit, hujusmodi loca adeunt, sunt excommunicationes decretæ, ipso facto incurrendæ: cujus absolutionem Sanctissimus Romanus Pontifex, exceptâ mortis articulô sibi reservat.

Caveant quoque superiores nostræ Religionis, quocunq; nomine vocentur, ne in monasteria, domos, & loca sua, aliquam mulierem ingredi faciant, vel permittant, quia eædem prorsus pœnæ, quas ingredientes luunt, ipsis ex Pontificiis literis statuuntur; præter eas, dignitatibus, beneficiis, & officiis privantur, & ad illa, & alia, in posterum obtinenda inhabiles, indigniq; redduntur. Libr. 3. constitutione 2da, cap. 2.

CON-

CONSTITUTIO II.

Ab Urbano VIII. Pontifice Maximo approbata.

CÆterùm, cum & variis Summorum Pontificum Decretis, sub gravissimis Ecclesiasticis censuris prohibitum, & ipsis Ordinis nostri statutis, quàm diligentissimè cautum sit, ne ullus ad omnium regularium cujuscunq; instituti Ordinisq; domos, & loca, mulieribus aditus pateat; Nos verò ejusmodi pleraq; habeamus beneficia, quæ ad rem œconomicam cum fructu administrandam, ministeriô mulierum saltim ætatis provectioris indigeant, idq; in constit: a libr: 3. cap: Generali 2. concedatur; talis moderatio hac in parte videtur adhibenda, ut nimirùm beneficiati nostri, ad evitandam cum mulieribus conversationem, præter commune hypocaustum, separatas aliquas habeant mansiunculas, ad quas nulli omninò fœminæ, (sive illa domestica, sive externa fuerit) accessus pateat. Cæterùm constit: 2. lib. 3. cap. gen: 2. de habitatione religiosorum, in omnibus punctis satis fieri volumus.

Constitutio 3tia Łubieniana habetur in Capitulo Generali 2do cap. 5. puncto 2do ad finem fol. 28. Constitutio 4ta Łubieniana habetur puncto 3tio, fol. 30, quam utramq; brevitatis studiô omitto. Porrò Constitutio 4ta intelligenda, juxta limitationem, in constitutione hìc adducta propositam.

Considera 5to. Illa verba S. Augustini: *Non tanquam servi sub lege, sed tanquam liberi sub gratia constituti:* per quæ verba docet nos S. Augustinus, quòd debeamus observare præcepta Regulæ, non praxi servorum, sed filiorum liberorum, sub gratia constitutorum. Porrò servi præcepta dominorum suorum non aliter observant, nisi quia sperant præmium aliquod temporale, vel aliquem respe-

ctum

ctum in hac tantùm vita se obtenturos. Deinde non observant præcepta dominorum suorum, ideò, quia domini boni, sancti, & pii sunt, sed ideò, quia ipsis solvunt, aut soluturi sunt justitialirer, rarò aut nunquam ex alacritate animi, ex promptitudine pura, eisdem inserviunt, sed primarius finis illorum est, præmium contractum. Quod si ipsis domini præmium contractum non exhibeant, ubiq; illos diffamant, ubiq; illis detrahunt, ubiq; illos odiò prosequuntur, necem aliquando etiam intentant, vel saltim ipsi sibi per vim præmium extorquent, & repetunt. Tandem, si illis hæc media non eveniunt, quærunt alios nocendi modos, & quoscunq; prævident in locum suum successuros, omnino illis disuadent, ne se ad obsequia obligent, ordinem rerum, aulam, & totam domum præfati domini sui quantùm possunt vituperant, se ipsos pro documento veritatis ostendunt, asserendo, quòd illis non sit ad æqualitatem solutum.

Talî ergo mòdô passim servis propriô & usitatô, non debent sibi procedere viri religiosi, hoc est in observanda Regula, vel observandis mandatis superiorum, non debent expectare ullum præmium temporale, compensationem, & mercedem, tanquam ex contractu debitam, sed quidquid agunt, quidquid adimplent, quidquid exequuntur, debent omnia agere tanquam filii Religionis liberi: debent omnia operari in charitate, & propter solum Deum, juxta illud Pauli: *Omnia vestra in charitate fiant.* Et juxta doctrinam ejusdem Apostoli dicentis: *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba, (Pater.) Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus*

filii Dei, si autem filii, & hæredes, cohæredes autem Christi. ad Rom: cap: 8. Non est verus religiosus, sed verus servus, qui pro qualibet re, aut obsequio, mercedem exigit à superiore: quam si superior deneget, ille subtrahit manum à labore. Præmium virorum religiosorum non est hìc in terra, sed in cælo, non est ulla merces temporalis, aut terrena, sed æterna beatitudo. Ad hanc debent omnes aspirare, & intuitu illius servare Regulam, & omnes nutus etiam minimos superiorum. Qui servat Regulam, & omnia mandata superiorum adimplet eo fine, ut aliquam prælaturam, vel beneficium capiat, est miserrima, abjectissima, & servilis ejus intentio: qui autem omnia agit propter Deum in charitate perfecta, in libertate spiritùs, & promptitudine velocissima, hic supremum gradum coram Deo ascendit, & licèt non curet prælaturas, officia, & beneficia, hæc ipsi ultro conferuntur, quamvis illa nunquam quæsiverit, & plerumq; petitur ab omnibus, ut illa acceptet. Unde quilibet talis potest dicere cum Salomone Rege; *Propter hoc optavi, & datus est mihi sensus: & invocavi, & venit in me spiritus sapientiæ: & præposui illam regnis, & sedibus, & divitias nihil esse duxi in comparatione illius. &c. &c. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas, per manus illius, & lætatus sum in omnibus: quoniam antecedebat me ista sapientia, & ignorabam, quoniam horum omnium mater est.* Sapien: cap. 7. v. 7. & 11.

EXPOSITIO ET MEDITATIO LXXXVII.

Ut autem vos in libello hoc, tanquam in speculo, possitis inspicere, ne per oblivionem aliquid negligatis, semel in septimana vobis legatur.

COnsidera *1mo.* Quòd licèt multæ sint occasiones & causæ, propter quas intermittitur observatio præceptorum, & constitutionum Ordinis, tamen specialiter occasio, & causa violationis, vel omissionis horum omnium est, quando hæc præcepta Regulæ, & statuta Ordinis non leguntur viris religiosis, pro assignata temporum circumstantia. Unde summi Pontifices Clemens VIII, Urbanus VIII. &c: videntes, quòd hæc intermissio lectionis statutorum, sit præcipua causa & occasio violandorum, aut negligendorum eorundem statutorum, quando formârunt constitutiones ad reformationem regularium spectantes, simul obligârunt superiores Ordinum, sub pœna privationis officiorum, & sub privatione vocis activæ, & passivæ, ut curent dictas constitutiones Pontificias, quotannis legi, statutis à se temporibus. Eandem causam & occasionem esse plurimorum malorum advertit S. Legislator noster, ideò postquam dederit sui instituti cultoribus Regulam, statim simul mandat, ut eadem Regula quâlibet septimanâ semel legatur: certè non alio fine & motivô, nisi, ut per lectionem ejusdem, subtrahatur occasio violandæ Regulæ, vel omittendorum illorum, quæ in ea præscribuntur:

tur: ſicut enim, quando terra per aliquod tempus ſuavibûs cælorum pluviîs non aſpergitur, ſenſim exſiccatur, indureſcit, & fit ſterilis, ac penitùs inutilis, ita, quando mens viri religioſi frequenti com̃emoratione Regulæ non excitatur, ſenſim tepeſcit, friget, obdureſcit, & in via ſpirituali deficit, & tandem, ita fit ſterilis, ut Regulæ obliviſcatur, & vivat modô ſæcularibus ſolitô.

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, cures eandem ſaltem ſemel in hebdomada legere, ut ſic illius pia commemoratione, aut relectione, exciteris ad illius obſervantiam. Experientiâ enim quotidianâ compertum habemus, quòd, dum aliquid nos concernens relegimus, ſenſim in conſcientia tangimur, ut illud obſervemus. Legas itaq; ſaltem ſemel in ſeptimana, ſed quotidie obſerves: legere enim Regulam ſemel in ſeptimana ſufficit, ſed non ſufficit ſemel in ſeptimana obſervare: ſi enim hodie obſerves, & cras violare audeas, quid tibi prodeſt ejuſmodi tam brevis obſervatio? ſicut, nihil tibi prodeſſet, ſi te aliquis regaliter hodie veſtiret, & cras de integro ſpoliaret, & denudatum riſui, vel opprobrio hominum exponeret. Lege ergo ſemel in ore, & quotidie obſerva in opere.

Conſidera *2do.* Quòd licèt S. Legislator poterat Regulam à ſe ſcriptam, multis aliis appellare nominibus, tamen omiſsîs hîs, nominavit eam *Speculum* quoddam religioſorum, dum inquit: *Ut autem vos in libello hoc, tanquam in ſpeculo, poſſitis inſpicere.* Cujus ratio eſt, quia omne ſpeculum talis eſt naturæ, ut, etiamſi aliquis nolit ſeipſum videre, aut agnoſcere qualis ſit, tamen, ſi illud etiam obiter inſpiciat. vel eidem occurrat, ſtatim apparet, qualis ſit,

sit, an rectus, an gibbosus, an pulcher, an deformis, an lætus, an tristis, an magnus, an parvus, an stans, an jacens: verbo loquendo, si quid etiam occultè agat, proditur à speculo. Porrò Regula à S. Augustino scripta talis est naturæ, ut, etiamsi aliquis nolit cognoscere se ipsum, etiamsi nolit videre suas perfectiones, vel imperfectiones, tamen, si illam vel occasionaliter introspiciat: vel etiam nolenti opponatur, illico apparet qualis & quantus sit, statim eminet, an habeat charitatem Dei & proximi? an habitet unanimis in domo? an sint illi omnia cum cæteris communia? an erigat cervicem ex pia societate fratrum? an instet orationibus? an carnem domet jejuniîs & abstinentiâ escæ? an obediat Præposito tanquam Patri? verbo loquendo, videbit omnia, in quibus profecit, & quæ illi desunt. Accedit & hoc, quòd viri, etiam religiosi, bene compositi, ne arguantur de aliqua indecentia, vel disordinatione vestitûs, multoties in die recurrunt ad speculum; si regulariter capiti incumbunt crines, si rectè collare adhæret collo, si deniq; non est aliqua macula in genis, oculis, vel alia parte corporis. S. ergo Legislator, licèt semel in septimana expressè mandaverit lectionem, & introspectionem Regulæ, tamen cùm eam speculum vocavit, implicitè quodammodo voluit, aut velle intelligendus est, ut viri religiosi ita frequenter introspicerent hoc spirituale speculum animæ, & vitæ suæ, sicut introspicere solent materiale speculum corporis. Sicut enim disordinatio vestium, capillorum, maculæ genarum, vel oculorum, dedecent honestatem religiosam, ita multò magìs dedecet disordinatio morum, perturbatio actionum regularium, omissio solitorum officiorum, & ne-

& neglecta obſervatio exercitiorum à Regula præſcriptorum, conſequenter, ſi tam frequenter introſpiciunt materiale ſpeculum corporis, ne deformes appareant in corpore, multò frequentiùs debent introſpicere ſpitituale ſpeculum animæ, ne deformes coram Deo appareant in anima.

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, examina te ipſum, quod ſpeculum frequentiùs inſpicis? an corporis? an animæ? ſi frequentiùs *1mum*, quàm *2dum*, expende, quid tibi plùs proſit, an videre, an cognoſcere te ipſum in corpore & externo habitu? an verò videre & cognoſcere te in anima, & interna conſtitutione mentis? quodſi bene expenderis, credo, qnòd frequentiùs ſpeculum Anguſtini, quàm corporis introſpicies.

EXPOSITIO
ET
MEDITATIO LXXXVIII.

Et ubi vos inveneritis ea, quæ ſcripta ſunt facientes, agite gratias Domino, bonorum omnium Largitori.

COnſidera *1mo.* Multi reperiuntur tales, qui poſtquam ſe invenerint ea, quæ ſcripta ſunt facientes, tunc aliqui cupiunt exinde laudari, alii eo inſtanti ſeipſos laudant, alii dant occaſionem ſe laudandi, alii putant ſe eſſe jam perfectos, & ſic ulteriùs proficere non curant. Sed occurrit his vanitatibus S. Legislator, dum oſtendit, quid facere debeamus, quando nos invenimus ea, quæ ſcripta ſunt, facientes, dicendo: *Et ubi vos inveneritis ea, quæ*

ſcripta

ſcripta ſunt, facientes, agite gratias Deo bonorum omnium largitori. Non ergo cupere laudari, non ſe ipſos laudare, non dare occaſionem ſe laudandi, non putare ſe perfectos docet S. Legislator, dum advertimus, quòd totum juxta Regulam obſervamus, ſed potiùs docet, & jubet, ut pro hoc Deo gratias agamus.

Cujus ratio *1ma* eſt, quia quidquid boni ſalutariter agimus, hoc totum ſoli agere non valemus, ut docet fides, ſed nonniſi cum adjuvante Dei gratia, & quidem principaliter cum illa, ut jam ſupra diximus. Unde non nos ipſos, ſed gratiam Dei, & Deum ipſum laudare debemus, quòd nobis ſuam gratiam ad ſalutare opus largiri dignatus ſit.

2da ratio eſt, quia licèt videamur nobis, quòd omnia fecerimus, quæ in Regula ſcripta ſunt, tamen ſcire non poſſumus, utrum hæc fecerimus ſalutariter, an non? neſcimus item, utrum hoc DEUS acceptavit pro merito vitæ æternæ, an non? utrum hoc opus noſtrum ſit naturale, an ſupernaturale? conſeqnenter, ex hoc laudes venari non poſſumus, ſed miſericordiam Dei exaltare, quòd hoc exequi potuimus.

3tia ratio eſt, quia licèt obſervemus ad punctum hæc, quæ ſcripta ſunt, tamen quia fragiles ſumus, & mutabiles, poſſumus iterum hoc ipſum non obſervare, & ſic locô laudis, vituperium & damnationem æternam promereri.

4ta ratio eſt, quia poſitò hôc, quòd obſervemus omnia, tamen ſi his obſervatis laudamus nos ipſos, vel cupimus laudari, totum illud opus bonum deformamus, & Deo ingratum reddimus. Conſultiſſimum itaq; eſt, & ſaluti animæ noſtræ utiliſſimum, quod, dum aliquid extra

tra Regulam exequimur, & de integro implemus, ut statim excurramus in gratiarum actionem Deo nostro, sicut omnium bonorum, ita & hujus ipsius boni, quod nos fecimus, largitori.

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, expende, quid facere soleas, quando advertis te fecisse ea, quæ scripta sunt in Regula? fortè non ad gratiarum actionem DEO Optimo Maximo, sed ad laudes tuas excurris: inverte ergo hanc consuetudinem, & quando cernis te aliquid boni fecisse, age gratias Deo, bonorum omnium largitori.

EXPOSITIO ET MEDITATIO LXXXIX.

Ubi autem sibi quicunq; vestrum viderit aliquid deesse, doleat de præterito, caveat de futuro.

COnsidera 1mo. Sicut S. Legislator docuit nos, quid facere debeamus, quando nos invenimus facientes omnia, quæ scripta sunt, & ordinata ad observandum vel fugiendum, ita, si invenerimus nobis aliquid deesse, docet nos, quid tunc agere debeamus, nempe, ut doleamus de præterito, caveamus de futuro. In quo Regulæ textu hoc specialiter notandum est, quòd post commissum peccatum, vel factam omissionem agendorum, non tantùm injungit S. Legislator, ut præcisè doleamus, sed insuper addit: *ut caveamus de futuro*: nimirùm, ut nos doceret, quòd ad delendum peccatum non sufficiat solus præcisè

dolor

dolor de illo, ſed præterea requiratur etiam cautio de futuro, ſeu requiritur hoc, ut ampliùs ad idem peccatum non redeamus. Qui enim dolet de peccato, & iterum illud committit, illius vanus dolor & pœnitentia, ut teſtatur S. Legislator dicens: *Inanis eſt pœnitentia, quam ſequens culpa coinquinat, vulnus iteratum ſanatur tardiùs, frequenter peccans, & lugens, vix veniam merebitur, nil proſunt lamenta, ſi replicantur peccata, nihil valet veniam á malis poſcere, & mala denuo iterare.* Quid prodeſſet illi agricolæ, qui exundantibus & exuberantibus aquis, gravi labore, & ingenti ſudore grandes apponeret aggeres, & tandem ipſe eoſdem aggeres dirueret, & penitùs everteret? quid prodeſſet medico grande vulnus ſui corporis ſanare, & ſanatum exulcerare? quid prodeſſet errabundo viatori lucem accendere, & tandem accenſam extinguere? & in mediis errorum tenebris volutari, defactò nihil prodeſſet, imo eſſet perniciofiſſimum. Idem totum evenire ſolet ei, qui de peccato commiſſo dolet, & mox brevi ad idem peccatum revertitur, gratiam enim Dei, quam ſibi per dolorem in corde & anima fundaverat, ipſe depopulatur, & lumen vultus divini, quod ſibi per pœnitentiam accenderat, iterum extinguir, & manet in tenebris, ac umbra mortis.

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profitetis, ita de peccatis doleas, ut ad eadem non revertaris: loquor ad te verbîs ipſius S. Legislatoris tui: *Perſiſte ergo in confeſſione, eſto in pœnitentia fortis, & confirmatus, vitam bonam, quam accepiſti tenere non deſinas, propoſitum bonæ vitæ conſerva jugiter.*

EXPOSITIO ET MEDITATIO XC.

Orans, ut & debitum dimittatur, & in tentationem non inducatur. Amen.

COnsidera: Quòd, dum homo dolet de præterito, & cavet de futuro, & obtinet remissionem peccati quoad culpam, duo ipsi occurrunt & restant timenda: *1mum*, suspensa remissio peccati, quoad pœnam, *2dum* est, multitudo tentationum, provenientium à mundo, carne, & diabolo. Contra hæc duo pericula, etiam post elicitum dolorem de præteritis, & factam efficacem cautionem de futuris, obarmat S. Legislator quemlibet virum religiosum, clypeô inexpugnabili, nempe oratione humili, dum inquit: *Orans, ut & debitum dimittatur, & in tentationem non inducatur.* Grande est debitum, suspensa remissio quoad pœnam, ordinariè exsolvenda in purgatorio, sed etiam oratio attenta & humilis, tanti est valoris, ut hoc debitum, si non solvere, saltem minuere possit. Graves sunt & conjurati planè contra salutem animæ hostes isti, mundus, caro, dæmon, sed contra horum omnium insidias, convenientissimum est antemurale, humilis oratio. Quòd autem oratio conciliet remissionem peccatorum, id videri potest in latrone, qui orando Christum Dominum hîs verbîs: *Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum:* eo instanti audire meruit: *Hodie mecum eris in paradiso.* Porrò nemo potest esse cum Christo in paradiso

radiso, seu in cælo, cui priùs remissa peccata non fuerint, adeoq; quando Christus oranti latroni promisit paradisum, eô ipsô largitus est & remissionem peccatorum. Hoc ipsum videri potest in Stephano Proto-Martyre, hic oravit pro Saulo persecutore suo, & impetravit conversionem ejus, pariter Magdalena, & alii viri innumeri, intuitu orationis continuatæ, omnimodam delictorum suorum adepti sunt indulgentiam. Quòd verò prædicta oratio muniat nos contra dæmonis, mundi, & carnis tentationes, clarum est ex eo, quia ipse Christus, opus redemptionis nostræ consummaturus, cùm ante inchoationem tanti negotii oraret, & interim Apostoli obdormirent, tunc ne Apostoli aliqua tentatione impeterentur, voluit illos esse munitos clypeô orationis, dicens ad illos: ***Orate, ne intretis in tentationem.***

Qui ergo Regulam S. Legislatoris profiteris, licèt pro quolibet peccato præterito doleas, & caveas pro futuro, tamen nondum plenè es securus, adhuc enim restat pœna pro peccato sustinenda, & tentationum adversitas superanda, quod utrumq; ut perficias, humiliter, attentè, & continuò ora, sic & peccatum tibi plenè dimittetur, & tentatio supprimetur.

Hactenus dicta de Expositionibus & Meditationibus supra Regulam S. Augustini sufficiant, ad majorem DEI, & Sacrosancti Sepulchri Domini nostri JESU Christi gloriam, B. V. MARIÆ Immaculatè Conceptæ, omnium Sanctorum, & Patronorum Ordinis nostri venerationem.

CARMEN

Pro Immaculata Conceptione B. V. MARIÆ.

Ubi de peccatis agitur, nulla est habenda quæstio de Beata Virgine MARIA. Hoc principium est desumptum ex S. Augustino, qui libr: de natura & gratia, cap. 36. inquit: *Excepta itaq; Sancta Virgine MARIA, de qua propter honorem Domini, nullam prorsùs, cùm de peccatis agitur, habere volo quæstionem.* Plura de hoc videantur in libr: meo, cui titulus: *Fundamenta Scientiarum*: Artic: 1.

Cùm de peccatis, turpi vel crimine tractas,
Mater ibi Christi non habet alta locum.
Nam quæ peccatum, nec labem noverat ullam,
Quid de illa justè, quærere ritè potes?
Quod tibi credendum de pura Virgine constat,
Quæstio de tali, nulla movenda sonet.

INDEX RERUM.

A.

D.

E.

Eje-

Moti-

SS.

In-

Præ-

INDEX LIBRORUM

Ab Authore præsentis libri Typîs impressorum.

1mus Liber, cui titulus: *Norma vitæ Apostolicæ:* in quo agitur de vocatione Apostolica, de fine, felicitate ejusdem vocationis, tandem de mediis ad eandem. Impressus Cracoviæ, Anno - - 1725

2dus Liber, cui titulus: *Ogłos Tryumfalny Grobu Chrystusowego,* in quo agitur de Confraternitate SSmi Sepulchri, ejusque juribus & privilegiis. Impressus Lublini, Anno - - - - - 1730

3tius Liber, cui titulus: *Grob Wielkopiątkowy:* in quo proponuntur modi visitandorum Sepulchrorum Christi, quæ in die Parasceves extrui solent. Impressus Lublini, Anno - - - - 1730

4tus

4tus Liber, cui titulus: *Oktawá Bożego Ciáłá:* in quo libro producuntur modi visitandi SSmi Sacramenti per totam Octavam Corporis Christi, imo & per totum annum. Impressus Lublini, Anno - - 1731
5tus Liber, cui titulus: *Norma Probationis Apostolicæ activè sumptæ*, in quo traduntur modi & industriæ, quibûs Magistri novitiorum debent probare suos novitios cujuscunque Religionis. Impressus Lublini, Anno 1732
6tus Liber, cui titulus: *Prawdá Chrześciáńska, od nieprzyiacielá swego zeznána*, in quo agitur de perfidia Judæorum. In hoc libro additum est supplementum variarum doctrinarum, & decretorum contra Judæos. Impressus Lublini, Anno - - - 1733
7mus Liber, cui titulus: *Zebránie krotkie Grobu Wielkopiątkowego, álbo sposob krotki náwiedzánia Grobow Wielkopiątkowych.* Impressus Lublini, Anno - 1733
8vus Liber, cui titulus: *Sepultura viventium in Sepulchro Christi, seu Considerationes in Psalmos, Cantica, & Evangelia, Honori Sacrosancti Sepulchri accommodata.* Impressus Lublini, Anno - - - - 1734
9nus Liber, cui titulus: *Tron Krolewski, Krolewskiemu Kápłáństwu Chrystusowemu wystáwiony, álbo sposob ádorácyi Nayświętszego Kápłáństwá Chrystusowego, Prześwietnemu Bráctwu Kápłáńskiemu podány.* Impressus Lublini, A. 1735
10mus Liber, cui titulus: *Sepulchrum Parasceves*, ex lingua polonica in latinam translatus, in hoc libro additur Trienna, seu Triduana Sepulchri Christi, Psalmi & Litaniæ de eodem Sepulchro. Impressus Sandomiriæ. 1736
11mus Liber, cui titulus: *Wizytá codzienna Nayboleśnieyszey MARYI Pánny w Obrázie cudownym, w Kościele Járostá-*

rostáwskim Collegii S. J. *zostáiącym.* Impressus Cracoviæ, Anno - - - - 1744

12mus Liber, cui titulus: *Constitutiones duorum Capitulorum Generalium Ordinis nostri*, ab Illmo & Rmo MATHIA ŁUBIENSKI, Præposito Generali editæ, & à S. Sede Apostolica approbatæ, tempore autem incendii Ecclesiæ & Conventûs Miechoviensis combustæ, & postmodum reimpressæ Sandomiriæ. Anno - - 1747

13tius Liber, cui titulus: *Enchiridion Stanislai à Łowicz*, Canonici SSmi Sepulchri, de Immaculata Conceptione B. Virginis MARIÆ, olim Anno 1538 impressum, modo verò propter defectum exemplarium, reimpressum, & notabiliter auctum, Anno - - 1747

14tus Liber, cui titulus: *Corona Urbis, & Orbis, Publicæ Bibliotheca Załusciana*, Varsaviæ fundata, & variis Epigrammatibùs exornata. Impressus hic liber Cracoviæ, Anno - - - - - 1748

15tus Liber, cui titulus: *Vita Claudiæ, Principissæ Lotharingiæ, Canonissæ Regularis SSmi Sepulchri*, soluto, & ligato sermone porrecta. Impressus Cracoviæ, Anno 1749

16tus Liber, cui titulus: *Trophæa Immaculatæ Conceptionis B. Virginis MARIÆ:* in quo libro proponuntur argumenta industriosa pro Immaculata Conceptione, ex Figuris sacræ Scripturæ. Impressus hic liber Cracoviæ, Anno - - - - 1751

17mus Liber, cui titulus: *Fundamenta Scientiarum, seu Principia Philosophica, & Theologica explicata.* Ad finem hujus libri additur Appendix de distinctione Bacconica, Impressus hic liber Cracoviæ, Anno - 1753

18vus Liber, cui titulus: *Gemmæ Sacrosanctæ Crucis Domi-*

ni Nostri JESU Christi, seu Figuræ ejusdem Sanctæ Crucis, ex sacra Scriptura desumptæ, & carmine descriptæ. Impressus Cracoviæ, Anno - - 1755

19nus Liber, cui titulus: *Imago Thaumaturga Czestochoviensis, Beatissimæ Virginis MARIÆ:* seu, Historia ejusdem Sanctæ Imaginis, carmine descripta. Impressus Cracoviæ, Anno - - - 1756

20mus Liber, cui titulus: *Laureæ Triumphales*, seu Elogia Sanctorum Patronorum Regni Poloniæ, carmine descripta. Huic libro addita est series nonnullorum Archi-Episcoporum, & Episcoporum Polonorum, & aliorum virorum in opinione sanctitatis defunctorum. Impressus Cracoviæ, Anno - - - 1757

21mus Liber, cui titulus: *Archi-Confraternitas Sacrosancti Sepulchri Christi:* per JULIUM III. Pontificem Maximum restaurata, & instituta, nunc autem reimpressa Cracoviæ, Anno - - - 1758

22dus est Liber præsens, cui titulus: *Speculum S. Augustini, vitæ Apostolicæ repræsentativum*, seu Regula ejusdem S. Augustini, Expositionibûs & Meditationibûs illustrata.

23tius Liber, adhuc existit sub prelo.

24ta Opella, cui titulus: *Godzinki o Zwiástowániu Nayświętszey MARYI Pánny, przez Aniołá Gábryelá, y o szczęśliwym Jey Porodzeniu Syná Bożego Wcielonego. Mátronom ciężárnym dla Nabożeństwá przysposobione.* In hac opella adduntur ad finem variæ orationes, pro mulieribus post partum. Impressa hæc opella Cracoviæ, Anno 1726. reimpressa 1755.

25tus Liber, de jure amovendi ab Officiis & Beneficiis, Romæ impressus, Anno 1745.

26tus

INDEX

Librorum manuscriptorum ejusdem Authoris.

1mum Manuscriptum est, cui titulus: *Epigrammata in festa, & dies Sanctorum totius anni.* Hoc manuscriptum donatum est publicæ Bibliothecæ Załuscianæ Varsaviensi, originale servatur in Archivo Miechoviensi, propria manu Authoris descriptum.

2dum Manuscriptum, cui titulus: *Meditationes octo dierum.*

3tium, cui titulus: *Expositiones & Considerationes super Epistolam Catholicam S. Jacobi Minoris, Apostoli, Primi Episcopi Hierosolymitani.*

4tum Manuscriptum, cui titulus: *Zegáru Xiążęcego Księgá druga, z łácińskiego ná polskie przetłomáczona*, w ktorey się pokázuie, iáko wszelkiego stanu ludzie powinni żyć w Małżeństwie, iáko Rodzice powinni dzieci swoie ćwiczyć, y w boiáźni Bożey wychowywáć.

5tum Manuscriptum, cui titulus: *Corona Regalis, Regi dolorum JESU Christo comparata.*

6tum Manuscriptum, cui titulus: *Carmen Eucharisticum.* p. m. Celsissimo Illustrissimo & Reverendissimo Domino Adamo Ignatio KOMOROWSKI, Archi-Episcopo Gnesnensi, Primati & Principi Regni inscriptum.

7mum

7mum Manuſcriptum, cui titulus: *Elogium in Divertimenta Aſcetica de extremo Judicio DEI*, carmine polonico propoſita, per Illmum & Rmum Dñum Joſephum Andream ZAŁUSKI, protunc Supremum Referendarium Regni Poloniæ, nunc autem Epiſcopum Kijovienſem, & Czerniechovienſem, &c.

8vum Manuſcriptum, cui titulus: *Porta Triumphalis*, Illuſtriſſimi & Rmi Dñi Antonii OSTROWSKI, Epiſcopi Livoniæ, & Piltinenſis, variîs inſcriptionibûs & Epigrammatibûs exornata, dum in Epiſcopum Livoniæ, & Piltinenſem conſecraretur.

9num Manuſcriptum, cui titulus: *Epigrammata de morte* Reverendiſſimi Joannis Lipſki, Canonici & Officialis Generalis Cracovienſis, quæ mors contigit in ipſa Eccleſia Cathedrali Cracovienſi, in Feſto S. Stanislai Epiſcopi & Martyris.

10mum Manuſcriptum, cui titulus: *Miechovia Compendioſa.*

11mum Manuſcriptum, cui titulus: *Epigrammata* de Reliquiis S. Adalberti Martyris, tempore Incurſionis Sveticæ conſervatis.

12mum Manuſcriptum, cui titulus: *Epigrammata* in Stemma p.m. Celſiſſimi & Reverendmi Principis & Archi-Epiſcopi Gneſnenſis Adami Ignatii KOMOROWSKI, Primatis Regni.

13tium Manuſcriptum, cui titulus: *Exercitatio Academica*, per Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum Dominum Joſephum Andream ZAŁUSKI, protunc Supremum Regni Poloniæ Referendarium, nunc Epiſcopum Kijovienſem & Czerniechovienſem &c. Anno Domini 1753. 7ma Decembris propoſita Varſaviæ, & Epigrammatibûs adornata.

14tum Manuſcriptum, cui titulus: *Norma Probationis Apoſtolicæ paſſivè ſumptæ*: ſeu modi, qualiter Novitii ſe ipſos probare, exercere, & Novitiatum abſolvere poſſunt.

15tum Manuſcriptum, cui titulus: *Norma Profeſſionis Apoſtolicæ*; in qua dantur variæ doctrinæ propter eos, qui quamcunque Religionem profeſſi ſunt.

16tum Manuſcriptum, cui titulus: *Martyrium incruentum B. V. MARIÆ*: in quo, carmine deſcribuntur Dolores ejuſdem Sanctiſſimæ Virginis.

17mum Manuſcriptum, cui titulus: *Vita Alveræ de Virmundt Canoniſſæ Regularis Sanctiſſimi Sepulchri*, Prioriſſæ Juliacenſis: cujus interpretationem ex germanica lingua in latinam, procuravit hic Author, eo fine, ut prædictam vitam Typîs latinîs imprimeret.

18vum Manuſcriptum, cui titulus: *Supplementum Epigrammatum de Immaculata Conceptione B. V. MARIÆ*: præter illa Epigrammata, quæ jam ſunt impreſſa in libro intitulato: *Trophæa Immaculatæ Conceptionis.*

19num Manuſcriptum, cui titulus: *Vita & mors Canonicorum Regularium Sanctiſſimi Sepulchri*; partim ex antiquis monumentis, partim ex propria obſervatione, collecta.

20mum Mánuſcriptum, cui titulus: *Mauſoleum S. Jacobi Minoris, Apoſtoli, Chronologico myſticum*, ex lingua germanica in latinam tranſlatum, in quo tractatur de origine, inſtituto, legibus, & obſervantia Canoniſſarum Regularium Sanctiſſimi Sepulchri, in Germania, Belgio, Gallia, Hiſpania, Arragonia, &c: florentium.

21mum Manuſcriptum, cui titulus: *Wieczność w czterdzieſtu*

dzieńst godzinách zámknięta. Sed hoc manuscriptum est combustum tempore incendii Ecclesiæ, & Conventûs Miechoviensis.

22dum Manuscriptum, cui titulus: *Kazánia Niedzielne, w Kościele Leżáyskim miáne,* pariter combustum.

23tium Manuscriptum, cui titulus: *Considerationes super Psalmos, Sanctæ Cruci accommodatæ,* pariter combustum.

24tum Manuscriptum, cui titulus: *Partitio quarta Historiæ de Thaumaturga Imagine Czestochoviensi B. V. MARIÆ,* carmine descripta.

25tum Manuscriptum, cui titulus: *Psalmy o Męce Páńskiey, z łácińskiego ná polski ięzyk wytłomáczone, do náwiedzánia Káplic Kálwáryiskich służące.*

26tum Manuscriptum, cui titulus: *Medytácye o Męce Páńskiey.*

27mum Manuscriptum, cui titulns: *Considerationes aliæ super Psalmos,* non alligatæ ad Sanctam Crucem, sed in communi propositæ, cæterùm adhuc non finitæ.

28vum Manuscriptum, cui titulus: *Wielkość Męki Chrystusowey, przez rożne stopnie w Kazániách Kwádrágezymálnych pokazána.*

29num Manuscriptum, cui titulus: *Relatio Historica de fatali Incendio Ecclesiæ & Conventûs Generalis Miechoviensis,* quod contigit Anno Dñi 1745. die 19. Aprilis, feria 2da Paschatis, post meridiem.

30mum Manuscriptum, cui titulus: *Jura Ecclesiarum Ordinis Canonicorum Regularium Sanctissimi Sepulchri, in partibus Russiæ existentium.*

31mum Manuscriptum, cui titulus: *Officia Divina Sanctorum, S. Hierosolymitanæ Ecclesiæ,* à Canonicis Regulari-

bus Sanctiſſimi Sepulchri recitari ſolita, carmine deſcripta, Anno Dñi 1758.

32dum Manuſcriptum, cui titulus: *Zelus Apoſtolicus in Synodis celebrandis*, p. m. Celſiſſimi Principis, Illuſtriſſimi Reverendiſſimi Domini Andreæ Stanislai Koſtka ZAŁUSKI, Epiſcopi Cracovienſis, Ducis Severiæ, variis Epigrammatibus exornatus, Anno Domini 1758.

33tium Manuſcriptum, cui titulus: *Sacroſanctum Sepulchrum Domini Noſtri JESU Chriſti, de Pſalterio Davidico Glorioſum:* ſeu Elogia Sepulchri Chriſti ex Pſalmis deprompta, & carmine deſcripta. Compoſitum Anno Domini 1759.

Tandem Authoris ejusdem reperiuntur libri manuſcripti in folio, plures quàm duodecim, in quibus reperiuntur varia miſcellanea Hiſtorica, inchoata ab Anno 1744, & continuata uſque ad Annum 1759num, & continuabuntur ulteriùs, ſi DEUS Optimus Maximus, vitam prolongaverit. Reliqua minutiora manuſcripta hîc omittuntur. Hæc omnia ſint ad Majorem DEI Gloriam.

F I N I S.

PROTESTATIO AUTHORIS.

SIcut firma fide credo, quòd Sancta Romana Catholica & Apoſtolica Eccleſia ſit infallibilis Interpres, & Judex omnium veritatum, in quacunque materia adſeribilium, ita, quæcunque hîc dicta ſunt, hæc omnia intelligere volo juxta ſenſum ejuſdem Sanctæ Romanæ Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ, Illiuſque ſupremo judicio omnia ſubjicio.

Erra-

Errata ſic corrige.

Folio 2. verſu 6. eminenter omnem bonitatem verbo eſt tale bonum, lege: eminenter omnem, eſt tale bonum

fol. 4. ad finem: concupiſcen rum l. concupiſcentiarum

Ibid: animam ut poſt l. animam meam, ut poſt

Ibid: ſq; l. uſq;

fol. 13. v. 18. Quiſnam ſir ordo l. Quiſnam ſit ordo

fol. 14. v. 12. ſcut l. ſicut

fol. 15. v. 12. Ipſæ fecit hæc l. Ipſe fecit hæc

fol. 23. v. penultimo: devenimus ad cogitationem l: devenimus ad cognitionem

fol. 25. v. 2. de ſervenda l. de ſervanda

fol. 28. v. 12. quaſi l. quia ſi

fol. 58. v. 14. eiq; vigilantium l. eiq; invigilantium

Ibid. ex omui præſentium l. ex omni parte præſentium

fol. 75. v. penultimo: coacervavi mibi l. coacervavi mihi

fol. 90. v. 3. noſtri Poloni B. Boguslaus l. noſtri Poloni B. Bogumilus.

fol. 90. v. 9. caſtrametatus l. caſtra metatus

fol. 105. v. 19. manifeſtum imo Apoſtolis l. manifeſtum eſt imo ex Apoſtolis

fol. 107. v. 21. licèt S. L. dederit præceptum l. licèt S. L. dederit ſuperiùs præceptum

fol. 111. v. 17. templa facti eſtis l. cujus templa facti eſtis

fol. 117. v. 21. pro continuo illo inſtandum l. proinde continuo illi inſtandum

fol. 127. v. 3. vovolens l. volens

fol. 164. v. 4. hoc autem totum cogitabunt l. Hoc autem totum ſi cogitaverint

fol. 165. v. 21. quo differe vita talium religioſorum l. quo differret vita talium religioſorum

fol. 169. ad finem: in præcendi textu ajebat l. in præcedenti textu agebat, seu tractabat

Ibid. in hoc textu ait l. in hoc textu agit, seu tractat

fol. 196. v. 8. aspestum alterius l. aspectum alterius

fol. 196. v. 19. allquando l. aliquando

fol. 210. v. 6. Unde cognoscens hanc cogitationis divinæ perspicaciam l. Unde cognoscens hanc cognitionis divinæ perspicaciam

fol. 215. v. 22. ad custudiandám pudicitiam l. ad custodiendam pudicitiam

fol. 233. v. 18. ta imprudens est l. tam imprudens est

fol. 239. v. 6. pussumus l. possumus

fol. 264. v. 15. & 265. v. 9. pro temporum congruentia non proferatur l. pro temporum congruentia proferatur

fol. 265. v. 21. suæ mllitiæ Ducem l. suæ militiæ Ducem

fol. 271. v. 2. Gervasius Layncelz l. Gervasius Layruelz

fol. 283. v. 15. quàm alter, ita planè & hic profectus vocari potest major extensivè l. quàm alter, & hic profectus vocari potest major extensivè.

fol. 342. v. 25. quia furum l. quia furtum

fol. 368. v. 7. in illisq; te diligenter exerceas l. in illaq; ta diligenter exerceas

fol. ibid. v. ultimo: aliquit agtt l. aliquid agit

fol. 371. v. 24. neglientiæ l. negligentiæ

fol. 375. v. 4. sive alia sint majora l. sive illa sint majora

fol. 413. v. 11. paccatum l. pacatum

fol. 416. v. 5. su erior l. superior

In Præfatione sub litera *b*. grantulantur l. gratulantur



